ORATIONES MATTHAEI DRESSERI: TAM RERUM VARIETATE ET...

Matthaeus Dresser



Orationes MATTHAEI DRESSERI, TAM RERVM VARIETATE ET copia quàm ſermonis puritate & elegantia commendatæ:

HARVM ORDINEM & ſeriem poſt præfationem inuenies.



CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

FRANCOFORTI AD MOENum, excudebat Ioannes Spies.

M. D. LXXXVII.


Bayerische
Staatsbibliothek
München

DIGNITATE, DOCTRINA, INTEgritate & humanitate antecellentibus viris, Dn. THOMAE ZEGEDINO, Munkaczienſis, & Dn. BARTHOLOMAEO NAGI THALLIAI, Berexaſienſis Eccleſiæ in Vngaria Paſtoribus, Dominis & amicis ſuis, pietate & officio ſummo colendis,

S. P.

DVAE SVNT ARTES, quæ non ſolùm in ampliſsimo gradu dignitatis locare homines poſſunt, ſed plurimum etiam vtilitatis ad communes vſus Eccleſiæ & Politiæ afferre ſolent: Vna rei militaris, altera eloquentiæ. Ab hac enim religio, iuſtitia, diſciplina, & cætera pacis ornamenta retinentur: Ab illa verò hoſtium impetus, iniuria, & reliqua belli incommoda repelluntur. Vtraque arte iam multos annos excelluit Vngaria:

Nam duces habuit scientia rei militaris antecellentes, virtute eximios, & pugnis exercitatos, qui inde vsque ab Ioanne Hunniade Turcorum arma partim ab Vngaria depulerunt, partim belli impetum, ad patriæ suæ mœnia consistentem, fortiter sustinuerunt. Quanquam interim res interdum calamitosæ ita fuerunt, vt diminui potentiam Vngariæ, contra verò hostis opes, & nomen augeri vehementer oportuerit. Quod, siquidem ex veterum rerum monumentis iudicare volumus, inde multò maxima è parte accidisse reperiemus, quod nonnulli pontificijs artibus ab honesto proposito sese abduci sunt passi: cùm quidem res præclaras, maximeq́ue salutares patriæ, si suum institutum tenuissent, gerere potuissent. Exemplis id facere longius & planius non est difficile. Nam inde à Matthia vsque non destiterunt Pontifices Romani, nescio qua ambitione, & regnandi cupiditate, vel ab externis bellis ad intestinas dissensiones, vel fraude inexpiabili ad iniusta bella hostibus infe-

renda

renda Christianos Reges incitare. Vt dubium nullum sit, florentem illam Vngariæ partem, quæ Turcis nunc parere cogitur, partim fato tristi, partim pontificijs artibus amissam esse. Sed gratia est habenda DEO, quòd non penitus consumi pulcerrimum regnum Vngariæ passus est: & laus tribuenda ijs ducibus, qui pro patria vehementissimè vexata fortiter propugnârunt. Cladem verò & accepta vulnera deplorare magis quàm sanare temporum difficultates, rerumq́ue asperitates, in quas fato ætas nostra incidit, sinunt. Quin summi beneficij loco habendum, quòd in hunc vsque diem Duces aliquos Deus in Vngaria excitat, qui ad reprimendum hostem omne studium curamq́ue conuertunt.

Eloquentiæ verò cultores, vel certè dicendi peritos tot suppeditat Vngaria, vt neque ad docendum veram religionem, neque ad tuendum iustitiam, neq; ad firmandum disciplinam præsidij ei deesse videantur.

Nec iam de summa illa dicendi & scri-

bendi vi copiaq; loquor, quæ primas semper vrbanis pacatisque rebus tenuit, sed de artificio seu facultate, res bonas & necessarias verbis commodis, & sententijs aptis explicandi: qua vix quicquam ad salutem hominum, & ad conseruationem Ecclesiæ, post sanctum Dei verbum, à DEO nobis datum est vtilius. Ea enim necessarium est instrumentum, ad intelligendum & tradendum DEI verbum, & ad retinendum in officio ciues: vt qui illa instructus est, non minùs domi quàm in bello nauare aliquid & efficere poßit, quod & DEO gratum sit, & Ecclesiæ vtile, totiq; patriæ salutare.

Tali facultate, vos quoq;, viri ornatissimi, præditi estis. Nam & donum diuinitus tributum habetis docendi verbum DEI disertè, & propositum exequendi susceptum officij munus, ea fide atq; constantia, quam & DEI mandatum requirit & dignitas professionis postulat. Eos enim ego inprimis oratores bonos iudico, qui in Ecclesia Filij DEI, tanquam cicadæ vocem suauem de arboribus mittentes,

tes, mysteria DEI *& magnifica eius facta palàm prædicant & auribus animisq; Christianorum inculcant. Vt enim cicadæ arboribus insident, vnde prospicere communes casus, & deplorare scelera Tyrannorum, quemadmodum Stesichorus existimauit, possint: Sic concionatores etiam in custodia Ecclesiæ, tanquam in specula collocati sunt, vt obseruent, quemadmodum se vnusquisque gerat in retinenda religione, colendaq; pietate, & peccata potentum ac subditorum arguant. Tribuit autem Homerus cicadis vocem floridam vel suauem: vnde & concionatorum sermonem eiusmodi esse debere intelligimus, vt & suauitate alliciat auditores ad amplectendum orationem, & sua tamen vi efficacitateq; cupiditates frangere, petulantiamq; hominum comprimere possit. Hæc enim est flexanima illa concionatoris vox, quæ mæstos solatur, iacentes erigit, afflictos & diffidentes recreat, contumaces verò & iuueniliter ferociterq; exultantes reprimit atque coërcet. Hoc igi-*

tur donum, cùm ad vos etiam translatum esse, vel certè diuinitus communicatum vobiscum intelligam: in Ecclesiæ oratorum numero locoq; iure omni duco.

Commissa est vestræ fidei cura gubernandi Ecclesiam Christi, credita sunt oracula DEI, *commendatum mysterium, ex arcano consilio Diuinitatis prolatum per λόγον ipsum, Filium* DEI, *interpretem totius mentis & voluntatis diuinæ. Verè igitur in specula, quæ est antiqua Sion, collocati estis, vt sonetis vocem Christi suauem & lætabilem omnibus pijs & mæstis in Ecclesia vobis commendata, terribilem verò impijs & contumacibus, adfrangendũ illorum furorem tanquam acuto gladio. Hæc profectò summa dignitas est muneris vestri, quòd Oratores estis, concionatores & interpretes* DEI, *sonantes ipsius vocem, & tanquam cicadæ fundentes sonos ad consolandum & viuificandum probos, arguendum verò & terrendum improbos. Quod quamuis per se satis arduum & diuinum sit*

munus

munus: tamen admirabilius illud facit locus, in quo virtus vestra, tanquam in campo excurrit atque cognoscitur. Estis enim vtrinque septi hostibus Christianæ religionis, qui omnem regni sui conatum in Ecclesiæ Christi perniciem conuertunt atque meditantur. Ab vna enim parte imminet ceruicibus vestris Turca, paucorum milliarium interuallo à vobis seiunctus. Cuius tamen impetum sic repreßit hactenus Ecclesiæ custos, DEI Filius, vt impedire Euangelij cursum penitus non queat. An non verò hoc est miraculum, non minùs quàm Danielis, conseruati inter leones? Nihil absque vlla dubitatione deest Turcis, ad euertendum Christi nomen & Ecclesiam, præter facultatem, quam illis Christus in hunc vsq; diem constanter denegat. An non Christus ipse, vt olim leonum rabiem, sedente inter eos Daniele, refrenauit, sic hodie etiam ardorem restinguit Turcicum? Cæci igitur impijq; simus, nisi miraculum illud aßiduè animis & cogitatione comprehendamus, gratiasq; tam

 forti

forti & vigilanti Ecclesiæ suæ custodi, Filio Dei, pro eo agamus.

Ab altera verò parte impendet in vestram Ecclesiam Pontificia tyrannis, quæ Turcicum impetum longè superat, & delere conatur Euangelium profitentes, non verbo sed ferro, non iure, sed impressione & igne. Vt satis superq; constet, non esse alium Antichristum, quàm ipsum Pontificem Romanum, qui in Christianos nullam aliam ob causam tantũ odium conceptum continet, quàm quod Christi Redemtoris vnici vocẽ audiunt, eius doctrinam sectantur, & solo ipsius merito confidunt, Papæ verò ἐθελοθρησκείας, abducentes à fide Iesu Christi, reijciunt. Vt autẽ Turcos hactenus repreßit Deus, ne delere Ecclesiam potuerint: sic huic etiam Antichristo exultanti, tanquã frenos furoris inijciet Iesus Christus & tandem aliquando lætißimo suo aduentu ab eius insidijs & minis Ecclesiam suam liberabit. Tantis igitur cùm circundati sitis hostibus, eò admirabilior est pietas & constantia vestra, quò plus periculi pro-

pter

pter professionem doctrinæ veræ de DEO in vos impendet. Me certè non parum commouet (quoties vestrum exemplum intueor) hæc virtus vestra, & ad amorem in vos pium atque ardentem accendit.

Testis est mihi Deus, & Vngari ipsi qui ad nos, non tam ingenij cultus capiendi, quàm veræ religionis doctrinæ cognoscendæ causa veniunt, me incredibili pene lætitia atq; voluptate affici, quoties prædicari ab alumnis illis Ecclesiæ vestræ audio nunc inclytorum dominorum Magoclinorum in se munificentiam nunc tuam Thoma Zegedine gratificandi liberalem voluntatem, nunc tuum, Bartholomææ Nagi Thalliai, propensum atq; inflammatũ de multis bene merendi studiũ. Inprimis verò Georgij Geoncrij Transtybissanæ in Vngaria Ecclesiæ Superintendentis clarissimi & vigilantissimi mirificam animi alacritatem, officium, operam & fidem in omnes qui ope, consilio aut commendatione indigent, plærique summis laudibus efferunt, & oculum, in spectoremq; patriæ Ecclesiæ iure & merito

omni celebrant. Gratissima quoq; nuper mihi accidit narratio Michaëlis Debrecini, Georgij Caposij, & Matthiæ Iulani de Petro Literato Somogino, viro amplitudine, pietate, virtute & fortunis omnibus decorato, qui sumtus tanta liberalitate in studia Matthiæ Iulani facit. Quibus omnibus & singulis nō patria solùm, verùm Ecclesia etiam ipsa tantum non edita voce gratiam se debere profitetur, vt vnà omnes pij mecum agere gestiunt. Maiorem verò multo refert in extremo iudicio is, qui remunerator est vnicus omnium beneficiorum, quæ liberali pectore in Ecclesiam conferuntur. Vbi ἀκρόαμα illud longe futurum est iucundissimum: Is est, qui Ecclesiæ ministros voce sua excitauit, beneuolentia complexus est, liberalitate adiuuit. Is deniq; autor mihi ad ingrediendum hæc studia pietatis & literarum extitit.

Etsi autem eo loco ego non sum, vt Ecclesiastico concionatori me cōparare possim: huc tamen præcipuas curas & cogitationes meas confero, vt inuitem traducamq;

discen-

discentes ad studium cultumuè, eius artificij, per quod dogmata vera in Ecclesia, & aliæ doctrinæ vtiles ac necessariæ in scholis, alijsq; vitæ ordinibus disertè explicantur. Ad quam quidem facultatem cum duo adiumenta DEVS *ipse in hoc tempore ordinauit, linguarum scientiam, & dicendi scribendiq; exercitationem: vtrumq; subsidium studiosis commendare atq; inculcare conor: vt boni oratores siue concionatores aliquando in Ecclesia & Republica Christiana euadere possint.*

Ac linguam quidem vtramq; quotidie doceo, vsum verò exercitationemq; dicendi & scribendi in orationibus, quoad fert facultas, monstrare soleo. Cum autem plærasq; orationes meas separatim hactenus editas, Typographus coniunctas nunc in vno volumine constituisset edere: arbitratus sum me non ingratum vobis officiū cultumq; esse tributurum, si in nomine vestro apparere, & cum hac honorifica pietais, eruditionis & constantiæ vestræ commemoratione exire atq; in vulgus

gus emanare paterer. Cupio enim hoc velut testimoniũ meæ de vobis præclaræ opinionis conceptæ, ex vestris ad me literis, & cùm aliorum, tum inprimis Michaëlis Debrecini, verè pij, eruditi, & officiosi viri, crebris de vobis sermonibus extare. Vos pro perpetua vestra in omnes eruditos, tum in me etiam beneuolentia, fide & necessitudine in partem optimam hoc meum factum interpretabimini, & libelli quoq; Dedicationem amanter suscipietis, me deniq; vos animo & studio colentem vicissim hærere in bona parte amoris vestri sinetis. Valete. Lipsiæ, Calend. VIItemb. Anno IESV *Christi,* 1584.

Matthæus Dresserus.

ORDO

ORDO ET SERIES ORATIONVM.

A priorem paginæ faciem: b, posteriorem denotat.

XIX. De



Oratio I.
DE DILVVIO.



TANTA est iræ Dei magnitudo in diluuio in gentē humanam effusæ, vt eam nullius nostrûm mens cogitādo assequi, nedum verbis enarare possit. Cæteræ enim clades humani generis, vt sunt cōflagratio & deletio Sodomorum, excidium regni Iudaici & Israëlitici, exundatio maris Aegæi in terram Atticam, diluuiū Deucalionis, & si quę sunt generis eiusdē, particulares sunt, & aliquos tantum, non omnes attingunt. At hoc diluuium vniuersale est, quod totum terrarū orbem complexum est & obruit. Quamobrē animis attentis à nobis omnib. est meditanda diluuij historia, vt excitet in nobis metū iræ diuinæ, & ad vitæ morumq; emendationē nos inuitet. Res autem hoc modo acta est. Duæ erant in terris sectæ siue familiæ, dispares prorsus inter se & contrariæ, vna filiorum Dei in Ecclesia vera: altera filiorum hominum, id est, impiorū Cainitarum in Ecclesia falsa siue hypocritica, quę religionē & cultū Dei peculiarem horribili audacia. Sathanæ impulsu cōmenta erat & profitebatur, perinde vt hodie

Duæ Ecclesiæ discrepantes ante diluuiū.

die Turcica gens, relicto Dei verbo, doctrinam rationi humanæ conuenientem sectatur, & Christianam religionem odit, & contumelia afficit. Crescebat autem indies potentia & furor Cainitarum: contra verò imminuebatur cœtus piorum: præsertim mortuis iam patribus sanctis, qui acerrimum certamen cum Cainica Ecclesia sustinuerant, & pro vero Dei cultu propugnauerant. Etsi autem intoleranda fuit Cainicæ sectæ impietas, libido, petulantia, & audacia: tamen intolerabilius multò fuit, quod de Ecclesia vera adeo multi sese cum Cainitis coniunxerunt, & impiam eorum religionem, florẽtemq; fortunam potius quàm sanctum Dei verbum, & luctuosum Ecclesiæ veræ statum, sequi voluerunt. Id demum grauissimè omnium offendit Deum, & vt de euersione gentis humanæ cógitataret, impulit. Vt enim paterfamilias liberorum suorum, quàm seruorum atrocibus delictis grauiùs afficitur: sic Deum vehementiùs cõmouit filiorum suorum, siue sanctorum hominum ad impios defectio, quàm ipsorum impiorum malitia. Non igitur continere sese potuit Dominus quin iusta incensus ira, de vindicta talium portentorum, consilium iniret.

Causæ diluuij.

iniret. Verè enim portenta sunt, quicunq; ex filijs Dei fiunt filij hominum, Deum & cultum eius deserunt, et Diaboli ductum sequuntur: quod nihil aliud est, quàm ex sinu Dei in fauces Diaboli & inferni barathrum sese præcipitare. Iudæorum cæca pertinacia & furor hodie ingens est & irritat vehemẽter Deum: Machometica impietas aduersus Dei filium horrendũ quidem scelus est: Idolomania Papistica indies iram Dei acuit: improbitas, fraus & profana securitas mundi, magnopere quidem Deum offendit: sed magis tamen irritat Deum, & pœnam accelerat, quòd filij Dei, vel vt CHRISTVS vocat, filij lucis agnitam veritatem & professionem repurgatæ doctrinæ vel negligunt, vel abijciunt, & cum mundo impio colludunt, factaque eius improba sectantur. Hinc est querela illa Dei apud Prophetam, plena paternorum affectuum: Filios educaui & exaltaui: ipsi verò iniquè egerunt contra me. De hac tetra commixtione seu confusione sanctorum cum profanis, piorum cum impijs Moses ait: Vidẽtes filij Dei filias hominum quòd essent pulcræ, acceperunt sibi vxores. Fuit igitur hæc prima causa, quæ impulit Deum, vt diluuio perderet genus

I. Confusio libidinum & coniunctio piorũ cũ impijs.

humanum, quod filij ſanctorum patrum, qui erant veræ Eccleſiæ membra, & hæredes promiſsionis, pluris fecerunt filias hominum, quàm creatorem ipſum, & ſpreto Dei verbo, inceſtis & vagis libidinibus ſeſe polluerunt, & cum impijs Cainitis commixti ſunt abſque diſcrimine, mares cum maribus, patres cum filiabus, fratres cum ſororibus concubuerunt. Ad hanc tetram confuſionem libidinum acceſsit non ſolùm luxus & voluptas profuſa atque immoderata, ſed etiam contemtus miniſterij verbi, vt homines inſani ebrijq́ue peccata ſua neque argui, neque damnari amplius paterentur. Ideoque ſine pœnitentia peccata peccatis cumulabant, & verbi Doctores Epicuræo furore deridebant, omnesq; eorum comminationes pro nihilo putabant. Non deerant tunc iuſtitiæ præcones, qui ſcelera accuſabant, & ad vitæ emendationem omni cura & contentione vocis hortabantur: tùm iram etiam Dei impendentẽ apertè denunciabant. Inter omnes tamen eminebat vnus Noamus, qui ſingulari mandato Dei, velut præco, peragrabat vrbes, oppida, caſtella & pagos, omnesque quotquot poterat, de venturo diluuio admonebat. En, inquiens, quid furis homo?

II. Cauſa diluuij cõtemtus miniſterij in Eccleſia.

Conciones Noami quales fuerint.

mo? quid in impietate tua perseueras? Deus irascitur sceleribus tuis, nec diu pœna aberit. Pauci supersunt anni, cum perdet Deus te & omnia, quæ in mundo speciosa sunt, & oblectare hominem solent. Tunc pœnas Deo persolues graues & iustas. Nec interibis solùm diluuij aquis, sed in æternum etiam exitium rues. An non hæc te mouent, vt abiecta vita tã praua ad Deum tuum te conuertas, & iram eius auertere studeas? Sed surdis concionatus est Noamus, caruit venter auribus, non flectere potuit animos obstinatos concio vlla, non frangere profanum impetum comminatio: cæci furentesque contemserunt sanctũ Dei verbum, nec pœnam vllam horruerunt. Id enim indicat grauissima querela Dei, cum inquit: Non contendet Spiritus meus perpetuò cum homine. Satis iam, satis tolerauerat Deus furorem hominum, vt ferre diutius non posset. Ad hunc verbi contemtum addiderunt etiam oppressionem proximi. Quemcunq; enim impellere in fraudem, fallere dolis, aut euertere vi potuerunt, in eũ inuaserunt, bonis expulerunt, & è medio sustulerunt. Non iure, non disceptatione, sed vi & impressione omnia egerunt, tyrannidẽ, iniuriam *III. Causa diluuij tyrannis.*

& cyclopicam immanitatẽ exercuerunt. Hæc sæuitia piorum cœtum valde attenuauit & imminuit, paucosq; adeo reliquos fecit. Qui enim erant ex sanctorũ patrum familia reliqui, hi vel ad Cainitas transibant, eorumque mores imitabantur, vel miserè opprimebantur. Et quò pœna aberat propius, eò magis crescebat impiorum furor, & maior pertinacia reddebatur, vt iam tota terra corrupta esset, & iniurijs repleta. Quod igitur iam dudum tam impijs & obstinatis contemptoribus minatus erat Deus, id tandem re præstare instituit. Concesserat illis annos centum viginti, intra quos pœnitentiam agere debebant: spacium satis longum: vt suam bonitatem, clementiam, tolerantiam atq; patientiam abundè declararet. Sed cum in effrenato & pręcipiti furore perseuerarent: dedit mandatum Deus Noamo de fabricanda arca, quò consolaretur eum, ne cum impio mundo pereundum sibi esse putaret. Hîc palàm Deus testatus est, sibi curæ esse pios, longeque aliter se illos tractare quàm impios. Probauit enim & elogio præclaro ornauit innocentiam, pietatem, fidem, constantiam & integritatem Noami, illique vitam & salutem promisit, vt-

Cum verbũ Dei, Noamiq; conciones nihil proficerẽt, ad executionem pœnæ sese conuertit Deus.

Mandatũ de fabricanda arca.

ut

ut ſeſe alia, quæ in mundo erant, haberent. Addidit etiam fœdus, quo non ſolùm de cõſeruatione ſui in diluuio, ſed de promiſſione etiã venturi Meſsiæ confirmaretur. Iuſsit autem apparare arcam, cum iam annos natus eſſet Noamus quadringentos octoginta, nempe cẽtum & viginti annis ante diluuium. Ex quo ſanè intelligi poteſt, quãta moles ædificij iſtius fuerit, quod Noamum in vaſtis diluuij vndis vexit. Nam amplius centum annos in eo apparando & perficiendo conſumſit. Oportuit certè firmum inprimis & amplum eſſe, ne ab aquis & imbribus corrumperetur, & tot animantia capere poſſet, quot cum Noamo ingreſſura erant. Fuit autem longum trecentos cubitos, latum quinquaginta, altum triginta, ita vt longitudo latitudinem, latitudo verò altitudinem ſuperaret, ad eum prorſus modum, quem Deus expreſsis verbis præceperat, ne ſcilicet ſuo arbitrio quicquam faceret Noamus, ſed à ſolo Dei verbo penderet.

Moles arca

Forma arcæ.

Eſt autem cubiti ſeu vna longitudo pro hominum longitudine qui tũc vixerunt, accipiẽda.

Parauit etiam & in arca recõdidit Noamus victum & pabulum, plus quàm annuum, pro ſe & omnis generis animalib. quæ vnà in naui iſta vehi debebant: animalium ſcilicet immundorum ſingula

paria, mundorum verò ſeptena paria. Habebat autem arca contignationes tres diſtinctas, vt in infima, animalia immitia, vt ſi, leones, tygrides: in media verò mitia: in ſuprema Noamus ipſe, cum ſuis & animalibus domeſticis ac auibus habitare poſſet. Cum autem exacto præſtituti temporis ſpacio omnia iā adornaſſet, iuxta diuinum præſcriptum, fabricaſſet arcam, congregaſſet animalia, & victum paraſſet: datum eſt illi mandatum à Deo de ingreſſu in arcam. Importauit igitur in eam ſeptem dierum ſpacio victum, & introduxit animalia, nempe à 10. die menſis ſecundi: Decimo ſeptimo autē ingreſſus eſt ipſe cū vxore, tribus filijs, & tribus eorum coniugibus. Hîc miraculum vidit Noamus voce & literis prædicandum: animalia alioqui fera & ſæua, diuerſa, mireq; inter ſeſe diſſidentia hîc contra naturam ſuam, depoſita feritate, paria de paribus in arcā ingreſſa ſunt, quaſi ipſius Dei manu, ex tanta multitudine animalium ſeparata, cicurata atque deducta. Vidit autem Noamus quidem ingreſſum, ſed ſucceſſum & exitum animo ſuo perſpicere minimè potuit. Vidit cum tot beſtijs, volucribus, & reptilibus in vno domicilio ſibi cōmorandum eſſe.

Ingreſſus in arcam.

esse. De quo quàm variæ in animo eius cogitationes natæ ſint, nemo noſtrûm cogitando poteſt aſſequi. Quid enim faceres tu, ſi cum tam paucis hominibus, tot verò & tam diuerſis animalibus in arca ſuper aquis vagari deberes, nec finem aut euentum longinquæ dubiæque nauigationis vllum proſpiceres? Videbat etiam Noamus duo illa vel maximè in nauigatione neceſſaria deeſſe, vela & remos ad impellendam & regendam nauim idonea, quorum vel oblitum eſſe putabat Deum, vel errare oportere arcam, & fluctibus ventiſque agitandam relinqui. Ex quo, quanta periculi moles ſibi impenderet, facilè diuinare potuit. Sed in hac tamen formidine, ſpem in Dei promiſsione fixam atque locatam habuit, eique nauis & curſus totius gubernationem commiſit. En fidem viri, en cõſtantiam & animi magnitudinem, ſuperantem & infra ſe ponentem omnia pericula, quantacunq; ratio & ipſe naturalis ordo oſtentabat. Nos, niſi ad nutum voluntatemque fluant omnia, frangimur animis, labaſcimus, ſuccumbimus, & Dei ipſius obliuiſcimur, quaſi qui iuuare nos neque velit neque poſsit amplius. Pudeat nos nimis ieiuni & anguſti animi, cohor-

Cogitationes Noami ingredientis arcam.

Vela & remi defuerunt Noamo.

rescamus mente & corpore, cum nos intuemur, & cum tanto heroë Noamo comparamus. Sed pergat narratio. Cum ingressus esset Noamus arcam, clausit post eum Dominus fores: Mox ruptis abyssi fontibus, apertisque cœli fenestris, aquarum moles ingens collecta est, orbemque terrarum in quadraginta diebus sic repleuit, vt arca natare in aquis cœperit. Deus bone quantus tunc extitit cœli terræque sonitus? quàm intolerandus fragor concitatus est? Nam & terra motu ingenti concussa est, & vis ventorum immensa coorta: Vnde conuulsa & labefacta conciderunt ædificia, corruerunt vrbes, collapsa sunt oppida, & fragorem horrendum ediderunt. Dies in noctem conuersa est, contremuit cœlum tonitru, coruscauit inter nubes flamma. Tota denique naturæ facies alia facta est: vt penitus conspirasse ad vniuersalem generis humani interitum, cunctæ mundi huius partes visæ sint. Voluit enim Deus iræ suæ vim vniuersam effundere in tam impios alumnos. Ideoque natura tota furere, & implacabiliter irasci homini visa est, nec quicquam de acerbitate sua remisit, priusquam ad vnum omnes perdidisset in terris. Non

Pluuia continua 40. dierum.

alia

alia erit cœli & terræ facies tunc, cum in aduentu filij Dei ad iudicium, cœlum, elementa, & omnia quæ in terris sunt, igne liquescent & exurentur. Quantus tunc fragor, quantus tremor impij mundi futurus est? Iudex ipse totaque militia cœlestis vultu toruo percellet improbam multitudinem, cœlum, terra & omnia elementa interitum minabuntur, fauces & ora inferni, rictus Diabolorum ad deglutiendos absorbendosque impios, patebunt. Sed redeo ad historiam. Creuerunt aquæ tunc; & præualuerunt adeò, vt omnes montes excelsos operirent. Non ergo ædes, non turres, non arces, non magni etiam montes perfugium amplius impijs hominibus præbere potuerunt. Superauit enim aqua montes magnos, cubitis quindecim. Horrendum fuit spectaculum, tantam hominem multitudinem tam potentium, tam florentium, tam robustorum adeò miserè in aquis perire. Non tunc matribus profuit clamor, non liberis eiulatus, non propinqui comploratio: sed promiscuè sæuijt in omnes fluctuum vis, & modò hunc, modò illum ex complexu matris abripu-

Facies naturæ in aduentu filij Dei ad iudicium.

abripuit, & ſubmerſit, donec vniuerſos vndarum impetus, tanquam charybdis vorax abſorbuit. Incidit autem inundatio hæc in tempus vernum, amœniſsimā anni partem, cum iam ſata arboreſque florentes vbertatem varietatemque frugum fructuumq; pollicerētur: quod indicat menſis ſecundus, quo Noamus in arcam ingreſſus eſt, & foliū oleæ, quod exacto iam anno columba ad Noamum attulit. Quo ſanè ægrius auelli ſe à tanta ſpe homines paſsi ſunt. Quemadmodum nos etiā dolemus grauiùs, cum cataractæ cœli, aut nubes rapta decidit, aut ventus vehemens vel tēpeſtas immoderata, rebus terrā iam naſcentibus, frugumq; vbertatem & copiam magnam pollicentibus, damnum aut detrimentum aliquod grauius importat. Credibile eſt, tunc homines demum pœnituiſſe impiæ ſuæ pertinaciæ, & gemitu, vociferatione, eiulatuque ſuum dolorem & mœrorē declaraſſe. Sed ſera nimis fuit pœnitentia, & in illud tempus vſque dilata, quo iam exarſerat & ſæuire cœperat ira Dei, veniæque nullus locus erat relictus. Habebant centum annos & viginti: his rectè vti ad emendationem vitæ & ſalutarem conuerſionem ad Deum debue-

Tempus diluuij.

Nimis ſera pœnitentia primi mundi.

debuerunt. Tunc iuſtum pœnitentiæ agendæ tempus fuit, & exaudire Deus vota precesque voluit. Quod tempus, cum obſtinatis animis neglexiſſent, iuſta Dei ira tandem ablatum eſt ab eis miniſterium verbi, clauſæ ſunt Dei aures, & nihil niſi pœna fuit reliqua. Simus memores temporis gratiæ, & pulſemus Dei fores dum patent: ne illis occluſis, fruſtra opem & miſericordiam, more impiorum Cainitarum in prima mundi ætate imploremus. Non ergo tunc vlli viuentium in terris pepercit Deus: ſed omnia, in quibus ſpiritus & anima fuit, rationalia & irrationalia, reptilia & volatilia deleuit, excepto vnico Noamo, qui in tanta iræ Dei ſæuitia, cum ſuis in arca, bona quidem ſpe, ſed euentu incerto vehebatur. Non enim iam præſidiũ vllum vlla in creatura reliquum, non portum ad quem appellere, non montis iugum, vbi quietem polliceri ſibi poſſet proſpiciebat. Ad ſummam, libero ſub cœlo vagabatur, & omnium creaturarum ope atque ſubſidio deſtitutus, à ſolo pendebat Deo, eius ductum ſequebatur, & quid de ſe futurum eſſet, in illum reijciebat. Hoc tanto tempore, quas cogitationes, quæ opera Noami fuiſſe

Vagus & incertus arcæ curſus, ſuper vaſtis diluuij aquis.

Cogitationes & opera Noami.

fuisse putabimus? Profectò difficile est in tantis versari fluctibus, sub cœlo obscuro & pluuioso, carere Solis, Lunæ, & reliquorum luminum aspectu, ferre eiulatum, & ploratum mulierum, mœrorem filiorum, tristitiam coniugis, strepitum, vociferationem, & garritum bestiarum, & auium. Has tamen molestias & difficultates omnes exantlare oportuit Noamum, & quidem tolerabiliora hæc fuerunt: illud autem grauissimum ei accidit, quod ex Dei ipsius animo effluxisse in hoc tempore iam longo videbatur. Etsi enim in medijs fluctibus præstò illi fuit Deus: tamen præsentiam suam occultauit, & angi trepidaréque eum aliquantisper passus est. At, inquies, num paruo animo fuisse Noamum existimamus in arca, quem consolari reliquos, vxorem, filios, & nurus oportuit? Hi enim ab ipso penderunt & gubernati sunt. Nec tantùm tamque diuturnam afflictionem sustinere potuissent, nisi à Noamo, duce suo diuino, animum & vires accepissent. Fateor autem multùm animi fuisse in Noamo, & plus etiam quàm in vllo mortalium esse posset, in tanto concursu calamitatum. Verò

Mœror Noami cum consolatione coniunctus.

rè etiam animos mœstos atque iacentes suorum erexit, & crebra promissionis diuinæ repetitione confirmauit. Sed ille ipse tamen aliorum doctor, in animo suo mœrorem, curam, & solicitudinem magnam circumtulit. Ita enim cum suis agit Deus, vt quanquam illis parcit, nec cum impia multitudine perire sinit: tamen sentire eos quoque patiatur iram suam, & participes communium pœnarum aliquo modo faciat: ne prorsus immunes sint, & labe omni vacare videantur. Itaque etiam pœnæ diluuij pars aliqua Noamum attigit, vt molestias ex eo graues, & diuturnas caperet. Quoties ei in mentem venit? En, tibi promissa est salus, vita & incolumitas, pereuntibus cæteris in diluuij aquis. An hæc est promissa illa Dei gratia? an hæc est sperata immunitas? Nonne mori satius esset, quàm tot incommoda perpeti, tot difficultatibus conflictari, & tam diu quidem, vt non finem vllum prospiciam? Ah enecat me tā florentis humani generis, tot carorū & propinquorum interitus. Examinant me meorum crebri gemitus, suspiria, querela in his angustijs, quas audire cogor. Fatigat me ani-

Pœna communis Noamum etiam attigit quidem, sed non cōsumsit.

Dialogismus siue disputatio vel lucta potius Noami cum Deo.

mā-

malium tot cura & fremitus. Vtinã tandem aliquando illucescat ille dies, quo finem errorum & calamitatũm mearum videam. Ante locutus est mecũ Deus: at nunc tacet penitus. Hîc mixtam audis infirmitate fortitudinem, querelis & suspirijs tolerantiam. Sic enim solet tractare Deus suos, sic regit eos, sic beat, vt cum infirmi sunt, confirmare possint alios, cum fluctuare videntur animis, constantiam præ se ferant. Hic ludus est filij Dei in orbe terræ inter filios hominum, hoc in delitijs habet, vt inter metum & spem constituti, in ipso hæreamus, & fidem in magno dubitationum concursu probemus. Id quod immortali laude & exemplo ad omnem posteritatem prædicando præstitit Noamus, in his vastis diluuij fluctibus, & his omnium, quas hic Sol vidit tempestatibus turbulentissimis. Porro, cum centum & quinquaginta dies in aquis errasset Noamus, recordatus est tandem illius Dominus, & omnium quæ cum ipso in arca erant. En alia facies Dei: Qui enim hactenus iratus fuit, nunc placatus esse incipit: qui ante oblitus fuit Noami, nunc in me-

Ludus filij Dei in Ecclesia.

memoriam eius redit. Verè ab Epitasi ad Catastrophen factus est transitus. Nam vnà cum Deo reconciliato, tota natura mitior atque benignior redditur. Iratus fuit Deus orbi terræ, propter scelera & iniurias hominum, quibus repleran eum. Punitis igitur & perditis iam sontibus hominibus, deiijt irasci Deus, & sedatus est furor omnis. Innocenti itaque Noamo in arca, tanquam in diuturno & tenebroso carcere animum addere voluit, & deficere aquas iussit. Itaque claram faciem iterum ostendit cœlum, & emisso vento exiccari terra cœpit. Nam die decima septima mensis septimi, arca in montibus Armeniæ resedit, quos celsissimos esse in toto terrarum orbe intelligi hinc facilè potest: Tanta enim eorum fuit altitudo, vt quamuis paulatim diminuerentur aquæ: in decimum tamen mensem vsque, quiescere arcam ibi oportuerit, priusquam cacumina altorum montium conspicerentur. Nam primo die mensis decimi, primùm cacumina montium apparuerunt. Hîc animum recipiens miser Noamus, bene tandem sperare de exitu tantæ inundationis cœpit.

Catastrophe diluuij, id est, conuersio in lætum exitũ. Simul cum Deo etiam natura placata est Noamo.

Ararat appellat Moses, Ptolomæus verò Gordeos. Haitonus natione Armenius scribit, sua ætate conspectas esse arcæ reliquias, in hoc inaccesso monte Ararat.

Et Berosus ait, partem nauigij Noami superesse apud montē Corideum, indeq; bitumen abradi, pro quo anuletō homines vtantur.

Post quadraginta dies fenestram arcæ aperuit, & coruum columbamq; ad explorandum terræ statum emisit. Ac reuersus quidem est coruus, & circa arcam vltro citroq; volitauit: Sed in arcam tamen recipi se non est passus. Columba verò in arcam reuertit. Ex quo satis intelligere potuit Noamus, nondum desiccatam esse terram. Emisit ergo post alios septem dies iterum columbam, quæ tempore vespertino reuersa, folium oleæ decerptum portauit in ore suo. Quo indicauit Deus jam arbores iterum eminere, & mox meliora esse secutura. Post alios septem dies emissa columba non redijt ad arcam, quod satis indicio fuit, iam desiccatas esse super terram aquas, & viuere iterum in ea posse animantia. Amouit igitur tectum arcæ Noamus, clareq; conspicatus est siccam terræ superficiem. Nondum tamen exire ausus fuit, sed diebus quinquaginta sex, mandatum Dei certum de exitu expectauit. Hoc bene longo temporis spacio, cum in tam tristi carcere fidem, patientiam, perseuerantiamq; suam probasset Deo Noamus: mandatum tandem diuturnis votis atq; gemitibus expetitum, accepit de exitu ex arca in terram, cum omnibus, quæ cum

ipso

ipſo fuerunt. Egreſſus eſt igitur cum ſuis, eductis ſecum in terram omnibus animantibus, quas Deus reliquas fecerat, locusq́; inde ἀποβατήριον, Latinè egreſſorium ſecundum Ioſephum, cognominatus eſt. Hic exitus fuit, hæc cataſtrophe calamitatum Noami in vaſtis diluuij fluctibus. Tum demum depulſis omnibus periculis, & ſedatis tempeſtatibus jucunda Dei & totius naturæ facies emicuit. Deus enim tanquam ex ſomno excitatus, iterum aſpexit Noamum, & benignè liberaliterq; recreauit. Sol, Luna, & lumina cætera priſtinum ſplendorem præbuerunt: Terra domicilium, victum, pabulum, & alia neceſſaria reddidit. Etſi enim terræ facies ſqualidior propter diuturnam inundationem erat facta, & toti rerum naturæ mutationem exitialem tanta eluuio attulerat: tamen jucundus fuit eius aſpectus Noamo, & quaſi poſtliminij iure recuperatio. Nobis propter quotidianum vſum minùs eſt grata illius forma: At Noamus quò diutius caruerat, & ardentiori deſiderio eam exoptauerat, eò maiori voluptati recuperatio illi fuit. Eſt enim infidum hoſpitium aquæ, vt fieri non poſsit, quin terram videre geſtiant, quotquot in alto vehuntur.

Exitus Noami de arca.

Quàm iucundus fuerit Noamo terræ aſpectus & recuperatus vſus.

huntur. Facta est igitur egressio cum ingenti lætitia, non solùm hominum, sed etiam pecudum & auium. Quanto enim impetu putabimus erupisse leones, vrsos, & reliquas bestias? Quanto cum desiderio fruendi æris euolasse volucres? Quanto cum gaudio exijsse reptilia? Deus bone, quantus tunc auditus est in ære sonus? quàm suauis concentus? Non enim sese continere potuit vllum animal, quin plenis buccis in laudem Dei erumperet. Ipse verò Noamus, quanta lætitiæ & pietatis suæ documenta dedit? An non totum sese quasi profundit, cum Domino altare ædificat, & de cunctis pecoribus, volucribusq; mundis σωτήρια sacrificat? Gestijt profectò animus eius gratias agere Deo, tam justo, tam veraci, tam misericordi, tam benigno, pro tam admirabili conseruatione in tantis periculis, & paterna restitutione in pristinam possessionem terræ. Testatusq; adeò est DEVS, se amicum, se patrem, se patronum esse Noami. Applicauit enim sese ad eum, & odoratus est eius sacrificium halitu suo, & flammis illud incendens: Quo clarè ostenderet, sibi placere cultum illum Noami in fide, inuocatione & obedientia, gratiarum actionis causa

Noamus hostiam gratiarum actionis Deo obtulit.

susceptum

susceptum atq; exhibitum. Tempus autem, quo in arca commoratus fuit Noamus, annuum est. Ingressus enim est anno mundi, 1657. ætatis suæ 600. die 17. secundi mensis. Egressus verò anno mundi, 1658. ætatis suæ 601. die 27. Mensis secundi. Quod anni solaris spacium completum est.

Hæc est historiæ Diluuij breuis enarratio, quam nos decet attentis animis perpendere, & cohorrescere toto pectore, quoties in eius mentionem incidimus. Non enim ad primum tantum mundum pertinuit; sed bona eius pars ad nos etiam spectat: Nos, inquam, reliquias Diluuij quotidie deprehendimus, & nisi planè *stupidi sumus*, assiduis gemitibus meritò deploramus. Experimur enim singulis naturæ partibus impressas esse notas iræ diuinæ, in Diluuio in gentem humanam effusæ. Quota enim pars naturæ est, quæ non languidior & squalidior multò sit facta? Vbi nunc longæuitas hominum illa, quæ fuit ante Diluuium? An non vires omnium animantium, plantarum, radicum diminutæ sunt? Quid de victu dicam, qui ante Diluuium fuit multò facilior? Quàm difficilis nunc est cura sani-

Applicatio Diluuij ad nos.

Reliquiæ Diluuij.


tatis? Carnes quidem edimus, vinum bibimus, aromatibus & multis alijs corpus reficimus atq; fouemus,& vix tamen ægra membra trahimus. Hæc & alia innumerabilia, nisi magna esse mala ex pœna Diluuij reliqua fateamur, ipsi nos & naturam hanc, quam quotidie aspicimus, non nouerimus.

Iidem mores hominũ ante Diluuium & extremum diem.

Deinde cùm filius Dei asseueret, in extremis temporibus finem mundi antegressuris, fore eosdem mores hominum, qui ante Diluuium fuerint: magnam vtiq; nos causam habere putemus sæpius recordandi historiam Diluuij, quò videlicet vitare peccata discamus, quæ tunc irritarunt Deum, & pœnam tam horrendam attraxerunt. Verissima enim est comminatio Petri Apostoli: Si Deus neq; Angelis neq; originali mundo pepercit, nec nobis parcet. Cùm autem primo mundo fuerit exitio verbi diuini contemtus, libidinum confusio, luxus, superbia, tyrannis & sæuitia, fugiamus summa cura has pestes, & verbum Dei, ministeriumq; sanctum veneremur, & a Deo nos regi petamus, ne quid committamus, quo benigna eius voluntas nimium offendatur: Tum libidinem voluptatesq; blandissimas domi-

nos

nos deteſtemur, & caſtè viuamus, nec luxu, helluatione, aut vlla turpitudine profeſsionem noſtram Chriſtianam deformemus: ſed omnem faſtum, violentiam, iniuriam, fraudem, & ignauiam deponamus: Ne vt primum mundum aqua, ſic nos ignis perdat, qui in aduentu læto filij Dei, quem ſingulis momentis expectamus, impios & totam hanc mundi machinam, propter impiorum contagium, exuret. Ac eò propius adeſſe hanc mundi πύρωσιν nobis certò perſuadeamus, quò indices pene magis ignoſcere cœlum videmus, dum chaſmata, & ignita ſigna plurima nobis conſpicienda præbet, quaſi iam igne pleno concepto ſit conflagraturum.



Oratio II.

DE EDVCTIONE POPVli Israëlitici ex Ægypto, per mare rubrum, duce Moyse:

SCRIPTA ET RECITATA IN Academia Erffurdensi, initio semestris hyberni, cum lectiones iterum incoarentur: XII Calend. Nouemb. Anno 1566.

QVOD iterum prodeo in hunc locum, verba facturus, Viri magnifici, reuerendi, doctrina virtuteq; præstantes, & Studiosi bonarum literarum amantissimi, non mea fit voluntate: sed autoritate Senatus philosophici, qui inuito mihi Decanatus officium per semestre hybernum prorogauit. Ego verò ingenuè fateor, idq; præ me fero, neq; ingenij tantum, neq; iudicij, neq; industriæ atq; virium inesse mihi, vt tanto muneri cum laude & aliquo fructu præesse possim: sed præter piam officiosamq; voluntatem nihil mihi suppetit. Hanc quia video Academiam philosophicam à me requirere, neq; possum neq; debeo ei denegare. Cùm enim honoribus & præ-

& præmijs ab ea ornatus & auctus ſim non contemnendis: & naturalis etiam quædam propenſio me inuitet, vt, cùm patria mihi ſit, eam complectar ardentiùs: non licet mihi, neq; integrum eſt, vt meum laborem illius neceſsitatibus ſubleuandis non impertiam. Quippe eſt hominis aſtuti & ingrati, labores, per quos præmia ceperis, cùm adeptus ſis, deponere. Quod cùm ita ſit, quamuis de re & perficiendi facultate, nihil habeam polliceri: quicquid tamen in me eſt ſtudij, conſilij, laboris, ingenij, quicquid gratia & beneficio Dei, quicquid fide & conſtantia poſſum, id omne ad conficiendum munus commendatum, Academiæ promitto & defero: optans ex animo illud cum Aeſchylo: πειθὼ ἕποιτο, καὶ τύχη πρακτήριος. Vt autem ſuperiori æſtiuo ſemeſtri Orationem in celebri conuentu Doctorum, Profeſſorum, Magiſtrorum, & Studioſorum, haberi à me Senatus philoſophicus voluit: ita huius quoque hyberni ſemeſtris initium, putauit piæ alicuius orationis recitatione decorandũ eſſe. Hoc conſilium cùm plenum ſit pietatis, & ad vtilitatem incrementumq; ſtudiorum in Schola noſtra abſque omni dubio pertineat, neutiquam

improbari debet. Nam non solùm honesti sunt congressus publici, docentium & discentium in Academia, sed apprimè etiam vtiles & necessarij. Etsi enim vnusquisq; nostrûm, priuatim, sedulò ardentibus votis Deum rogare debet, vt conatus & studia nostra clementer regat, proueh at & fortunet, vt sint ipsi inprimis grata, & Ecclesiæ, nobis ipsis, & alijs quàmplurimis salutaria: tamen plurimùm etiam prodest, in cœtu publico, coniunctis animis Deum precari. Qua de re quoties cogito, venit in mentem dulcissimæ sententiæ, quam recitat Tertullianus in Apologetico: Coimus in cœtum, inquit, & aggregationem, vt Deum quasi manu facta, precationibus ambiamus, orantes. Hæc vis Deo grata est: Hac sententia vel sola contentus, & delectatus mirificè, putaui non aliud nos in hoc congressu nostro agere debere, quàm pia precatione Dei beneficia in hanc Academiam & nos omnes, præterito semestri collata, celebrare. Nec argumentum etiam aliud adferendum arbitratus sum, quàm quod huic instituto conuenire maximè videretur. Etsi enim iure fortasse quispiam obijcere mihi potest illud Aristophanicum: Quam quisq; nouit

uit artem, in ea ſe exerceat: mihiq́; in ſtudio doctrinaq́; artium & linguarum verſanti integrum eſſe negat, ex ſanctiſsima profeſsione Scripturæ diuinæ argumentum tractandum ſuſcipere: tamen neſcio quomodo animus inclinat & propendet totus ad ſacram orationem. Dent igitur mihi Theologi hanc veniam, vt pro animi mei libitu, in hoc congreſſu aliquid dicam de hiſtoria eductionis populi Iſraël ex Ægypto, per mare rubrum. Nihil enim eſt, quod tam capiat & excitet animos ad pietatem, timorem Dei, gratiarum actionem, & inuocationem, quàm recordatio & conſideratio tam inſignis miraculi. Dicam autem ea breuitate, quam tempus nobis definitum, non illa copia maieſtateq;, quam magnitudo rei poſtulat: vosq́; oro omnes, vt æquis animis me audiatis.

Promiſerat Deus Abrahamo poſſeſsionem terræ Cananeæ, & infinitæ poſteritatis, ſtatim cum eum ex Haran ad inſtaurandam collapſam in Palæſtina Eccleſiam vocaſſet, anno à condito mundo 2020. Huic promiſsioni firmiter credens Abrahamus, certò ſperabat, & expectabat bona promiſſa. Non enim hæſitandum ſibi eſſe putauit, quin quòd tantus Rex, creator cœli &

si & terræ pollicitus erat, sanctè etiam seruaturus esset. Sed quid fit? Promissa erat ei terra Cananæa, & in eius possessionem ne vestigiũ quidem pedis fecerat. Promissa erat infinita posteritas, nec liberos tamen vllos habebat: imò ne sperare quidẽ sobolem per naturam poterat. Hîc si rationem tuam consulas, negabit prorsus, promissa Dei esse rata. Non enim potest mens aliter statuere, quàm actum esse de tali promissione. Quid igitur? mendax est Deus? & vanæ eius pollicitationes, irritæq; spes in eum collocatæ? Perpendite quæso morem consuetudinemq́; Dei, cognoscite quàm mirabiliter cum sanctis suis agat. Erigit, cum premere videtur: iuuat & bene vult, cum putatur irasci: solatur, liberat, cum patitur nos affligi: fidelis est, cum nihil fide dignum præstare illum opinamur. Hæc quia dulcissimè ab Eobano in Psal. 4. expressa sunt, versus integrè recito:

Mirificas Domini tandem cognoscite leges,
In quibus exercet, quos amat, ipse suos.
Deprimit, vt releuet: premit, vt solatia præstet:
Enecat, vt possint viuere, & esse super.

In Abrahamo etiam fidem datam seruauit, etiamsi ratio & causæ secundæ omnes recla-

reclamarent, & aduersari viderentur. Inde Paulus supra & extra omnem captum humanæ rationis & iudicij loquens, de Abrahamo inquit: Credidit Abraham contra spem. Quæ verba Pauli Hyberbolica prorsus videntur rationi, & absurda in philosophia, nec nisi veris Christianis approbari possunt. Quid enim tam pugnat cum communi rationis iudicio, quàm expectare rem in promissione ostensam, vbi nullam spei causam ratio vel natura ipsa præbet? Hæc est ars artium, scientia scientiarum. Quid autem impetrat tandem Abraham, certa fiducia expectans promissa à Deo bona? Multum vtique. Nam & filius ei datur, licet serò: & repetitur ei promissio, de posteritatis immensa multitudine & propagatione. Hac promissione & asseueratione contentum esse Abrahamũ oportuit: terram verò promissam non adeptus est. Poterat autem sanctissimus Patriarcha in hac promissione acquiescere quidem, præsertim cum filium iam haberet, spem posteritatis promissæ. Verùm duriùs adhuc exercetur, & hæc vnica spes propagandę sobolis penitus aufertur. Nam filium suum iubetur à Deo immolare. Hîc quid animi ei fuisse existimas? Quis non
irritam

irritam promißionem totam, & inane tantum θελκτήριον fuisse iudicet? perstitit tamen Abraham, & hoc etiam grauißimum fulmen fide constantiaq; superauit, firmißimè in animo retinens promißionem vsq; ad extremum vitæ *spiritum*: & certißimè statuens, quòd qui promiserat, esset etiam facturus. Quid de successore eius dicam, Isaac, cui quoq;, & semini eius promißio terræ Cananeæ facta est? Is certè, tantum abfuit, vt illa potitus sit, vt tanquam hospes in solo promisso, sine certa sede per totam suam vitam peregrinaretur. Isaacum secutus est Iacobus, cui itidem promißio, de possessione terræ sanctæ, melle & lacte abundantis, repetita est: sed neq; huic, quod sperabat, consequi libuit: imò fame inopiaq; ex ea insuper discedere, prorsus contra promißionem, coactus est. Ecquis hîc veracem existimet esse Deum, qui quod sanctè promisit tot annis, tam sanctis patribus non præstitit? Præterierant enim iam, cum Iacob ex terra Canaan in Ægyptum descenderet, anni à promißione primùm data Abrahamo, ducenti & quindecim. Tanto tempore nullus euentus responderat. Et quod tristißimum est, in eo discessu Iacobi cum familia,

milia, omnis etiam ſpes confirmandæ & explendæ promiſsionis, euaneſcere prorſus videbatur. Quæ tunc in animo Patriarchæ cogitationes verſatæ ſunt? quantam luctam fidei in eo fuiſſe putabimus? Expendat hoc tacitè, quantum conniti animo quiſq; poteſt. Stupet mea mens, & hæret lingua, cum talia reputo: & animus tamen, neſcio quomodo geſtit coram, illa videre & cognoſcere in cœleſti Academia. Sed redeo, vnde aberrauit oratio. Moritur in Ægypto, in terra peregrina, Iacobo relinquens in ſeruitute poſteros ſuos, quos tamen liberos & terræ Cananeæ dominos ex pacto Dei eſſe oportebat. Et in ea quidem ſeruitute ducentos & quindecim annos illi permanſerunt. Ita abierunt anni quadringenti integri, & triginta. In hoc temporis curriculo deceſſerunt Patres, quibus promiſsio erat data. Ad exitum vitæ vocati ſunt, Ioſeph, & alij quamplurimi, qui ingenti deſiderio terram in promiſsione oſtenſam expectarunt. Nec ſpes eorum poſteris ferè vlla monſtrabatur, ūa ſe ſuſtentare poſſent: quin iugum ipſorum ſeruitutis indies exaſperabatur, & fiebat durius. Cum enim augeretur Iſraëlitarum familia, & creſceret multitudo

populi.

populi cœpit esse inuidiosa Ægyptijs. Ideoq; onera identidem grauiora laborum & ærumnarum illis imponunt, atq; adeò in sanguinem & viscera eorum quoq; immanissimè sæuiunt, dum omnes infantes masculos Hebræorum, per obstetrices occidi rex Pharao iubet. Hîc trepidat populus, angitur, gemit, & intolerabilem seruitutem sibi suisq; posteris in perpetuum sustinendam esse conspicit. En iterum Dei promissa, en asseuerationes editas patribus. Itáne exoluit Deus, quod pollicitus est? Quis huic credat? quis non inani spe lactari fidem ei habentes videt? Promissa erat libertas, & possessio terræ Cananææ huic populo ante tot annos: & nunc seruitute in terra peregrina opprimitur, exanimatur, & tanquam brutum laboribus intolerabilibus enecatur. Hîc quiescat ratio, & in obsequium Dei captiua redigatur. Non enim potest esse iudex tantorũ Dei facinorum, quæ vincunt & superant omnem captum humani ingenij & intelligentiæ. Quis enim hoc suæ mentis acie comprehendat? Quis hoc sibi rationis iudicio persuadeat, Deum esse propitium, vbi iratus omni è parte videtur? Quis statuat Deum opitulari, cum eum aduersari

& duri-

& duriter affligere res atq; euentus demonſtrant? Quis in eum ſperet,in eaq; fiducia ad extremum vſq; perſeueret, vbi ſpem omnem cauſæ ſecundæ auferunt? Hic eſt mos Dei, quem nos diſcere, & credere, non intelligere in hac vita oportet. Viuificat, cum extinguere eum putamus: amat,cum odiſſe exiſtimatur: deniq; potens eſt, & efficax in nobis,cum infirmus & procul abeſſe à nobis cenſetur. Nihil hîc homo ψυχικὸς ſibi ſumat,ſtupidus eſt, cæcus & hebes, horum nihil aſſequitur. Sed iterum reuoco me, & ad inſtitutum reuertor. Videte quid faciat Deus: mirabilis eſt in omnibus operibus ſuis. Cum iam in ſummas anguſtias redacti eſſent Iſraëlitæ, & non tantùm de ſeruitute perpetua,ſed vita etiam fortuniſq; omnibus periclitarentur, gemerent, & tantam lacrymarum vim profunderent, quantam ne cogitare quidem, nedum explicare animus humanus poteſt: ecce Deus ille, in quem patres ante ſperauerant, quem omnes Iſraëlitæ ſub intolerabili iugo ſeruitutis ardentiſsimis gemitibus inuocauerant, prodit, & clarè ſe conſpiciendum præbet, vocans Moſen illum fugitiuum balbumq; ad eductionem & liberationem ſui po-

puli, ex tristi seruitute, in patriam promissam. Hæc lætum nuncium adfert Hebræis, cum fratre suo Aharone, iubens eos bene sperare: breui fore dictitans, vt ex tyranni faucibus erepti, in locum tutũ, melle lacteq; fluentem traducantur. Hîc miscentur læta tristibus, liberantur formidine animi Hebræorũ, respirant & præsentiam auxiliumq; Dei sui, in quem tot annis in tã graui necessitate sperarant, agnoscunt: & experiuntur se illi curæ esse, ne eum abiecisse aut mutasse illum animum, quem toties patribus ipsorum ostenderat & promiserat. Hîc intelligunt spem patrum suorum non fuisse vanam, nec gemitus & preces suas esse irritas. Testatur enim Deus dulci & clara voce, idq; re euentuq; cõprobat, se audiuisse gemitus populi sui, & vidisse lacrymas eius. Ideoq; se misertum esse illius, & velle eum esse saluum & possidere promissa iam olim patribus bona. Hic est iucundus exitus ærumnarũ, hæc paterna afflictionum mitigatio, hæc optata credentium, diuq; expectata liberatio. En hîc Deus nõ est mẽdax, sed quod promisit, fideliter seruat. Quis igitur huic Deo non fidat? Quis de eius promissione dubitet? quis non certam opem liberationem

nemq́ue in omnibus calamitatibus, periculis, & ærumnis ab eo petat & expectet? Quantam hæc diuina liberatio lætitiá in animis Hebræorũ peperit? quantũ laxationis & solatij attulit? O incomprehensibilem Dei maiestatem: O admirandam bonitatem: O inuictam veritatem. Graue est equidem ferre morbos, seruitutem, exilium, penuriam, contemtum, & alia mala, quibus gens humana diuexari solet. Sed contrà iucundum est & lætum, ex malis eluctari, eripi, & optatum euentum videre. Non percipit verè vllius boni suauitatem, qui non acerba & amara gustauit. Sic multò gloriosior & lætior est liberatio ex malis, *quantumuis* diu dilata, quàm assidua bonorum perceptio. Feramus ergo magno animo, quæcunque mala nobis obijciuntur, dummodo spem mitigationis diuino animo infixam retineamus. Qui vult lætari cum Israëlitis, prius cum ipsis inter ærumnarum molem laboret, gemat & lacrymet necesse est. Sed quid triumphas? dicat aliquis: tenentur adhuc seruitutis iugo Hebræi, nec dum Pharao eos dimissurus est. Etsi enim Moses mandatum Dei exposuerat illi, petieratq́ue vt ad sacrificandum

Deo vero, patefacto in populo Israëlitico, Hebræos dimitteret: tamen nihil prorsus impertrauit: & quò magis orat, eò cor Pharaonis magis & magis induratur. Est ne hæc dicenda liberatio? Considerate, impedimenta iterum sese offerunt, & difficultates obijciuntur. Sed quantæ illæ sunt? Quæso animis attentis perpendite. Homo opponit se Deo: vter cedet? vter victoriam reportabit? O miser homuncio, quis es, qui Deo factori tuo aduersa fronte repugnas? quid agis? videte quantus conflictus Pharaonis cum Deo, muscæ scilicet cum elephanto, muris cum leone. Num propterea quòd Pharao Deo reluctatur, populus Israëlis non educitur? Minimè, ludus iocusq; est Pharao: ludere eum Deus patitur aliquandiu humano more, sed tandem iocum conuertit in iram, & Pharaonem rabiosum præcipitat, clarè demonstrans, tantò se illo superiorem esse, quantò potentior est creatura creator. Ita omnes tyranni, quantumuis fremant, ringantur, & superbiant, deridentur à Deo, & conatus eorum omnes vani sunt & irriti, quemadmodum in secundo Psalmo dicitur. Etsi enim omnes suos neruos contendunt, & potentiam regni sui vniuersam furenter

in Chri-

in Christianorum perniciem conuertunt: tamẽ frustra sæuiunt, & inanes spirant minas: quia fortior est Dominus ad propugnandum, quàm hostes Ecclesiæ ad oppugnandum, vt præclarè Cyprianus dixit. Quid igitur metuimus? cur trepidamus? cur potentiam & minas hostium perhorrescimus? Carnis nostræ hoc est vitium: fides hæc terriculamenta omnia contemnit, infra se abijcit & despicit. Pertimuerunt quoq; absq; dubio Israëlitæ horribiles Pharaonis comminationes, quibus tanquam fulmine & tonitru absterrere eos à migrádi proposito, diuino iussu suscepto volebat. Sed frustra fuit omnis metus: si Deo satis *confidere* potuissent, non pauore vllo *perculsi essent*. Sed ita facere carnis mira infirmitas nos cogit. Vnde sanè fit, vt nos quoq; sæpe homines formidemus, vbi nec esse non est. Verùm commonefacti hoc Israëlitarum illustri exemplo, discamus fidere potenti nostro Deo, & ea fiducia confirmati, omnia pericula, quæ hostes nobis minantur, tanquam inania terriculamenta contemnere. Cognoscimus enim frustra timuisse Pharaonem Hebræos: siquidem Deus propter hominis furorem nequaquam suam mutat sententiam, neque

quod decreuit boni, ab eo desistit, ꝓpterea quòd aduersarium habeat tyrannum. Equidem indignum hoc esset maiestate diuina, alienum à veritate Dei, & contra communem etiam naturæ ordinem est, vinci creatorem à creatura, figulum regi à luto. Agite ergo, videbimus quem exitũ hic temerarius tyranni ausus habuerit. Mittit Deus sæpius ad eum Mosen cum fratre Aarone, vt discedendi veniam ab illo impetret. Hîc putet fortasse quispiam, in potestate Pharaonis situm fuisse, vtrum egrederentur Israëlitæ, an verò in seruitute manerent? Nequaquam ita se res habet, decretum statutumq; hoc erat in animo Dei, vt educeret in terram promissam populum suum: quare cœlum & terram, totamq; naturæ faciem prius mutari, vel in nihilum etiam redigi necesse fuisset, quàm hoc consilium Dei relinqui. Cur igitur toties solicitatur Pharao, vt populum dimittat? Duæ sunt potissimùm huius consilij diuini causæ. Prior est, vt sua benignitate & lõganimitate Deus inuitet Pharaonem, vt potentiam voluntatemq; Dei cognoscat, eique reuerenter obediat: altera, vt gloriosior, gratior & illustrior esset eductio, manifestareturq; per eam maiestas & omni-

omnipotentia Dei, qua ſuos tuetur & defendit: aduerſarios verò proſternit, & in nihilum redigit. Hac igitur omnipotentia, hoſtibus terribili, optata verò pijs, educit Deus populum Iſraël, opimum ſpolijs Ægyptiorum, & lætum ſpe potiundæ terræ, tot ante annos promiſſæ, inuito & reclamante Pharaone. Etſi enim plagis diuinis ita territus & edoctus erat, vt vel manibus potentiam & vim Dei palpare poſſet, in eumq; locum res iam erat adducta, vt expellere etiam Iſraëlitas ex ſuo regno cogeretur: tamen in tantam identidem relapſus eſt pertinaciam & furorem, vt exeuntes Hebræos hoſtiliſsimo exercitu perſequeretur. O pectus Caucaſi rupibus durius, & ſcopulis marinis, qui aſsiduis fluctibus tunduntur horridius: non flectitur Pharao ad pœnitentiam, tam horrendis ſpectaculis, quorum recordatio ſaltem, quãuis extra periculũ, ita percellit animos noſtros, vt magnitudine illorũ expaueſcamus & horreamus. Sed ita puniri obſtinatos iuſtiſsimum eſt, qui contumaciter cupiditatibus frenos laxant & furenter Deo reſiſtunt. Nam verè in pœnis furor eſt ſumma pœna, & calamitates cumulat. Ruunt ergo cæci

& præcipites in exitiũ impij, & tragicè pereunt. Sed redeo ad historiam. Egrediuntur Israëlitæ potenti Dei manu ex Ægypto, ingenti multitudine, ad sexcenta millia virorum, præter paruulos, mulieres, & innumerabilem turbam promiscuã. Quomodo? Ducente quidem Mose, sed autore & protectore Deo, præcedente eos per diem in columna nubis, per noctem in columna ignis. O felicem populum, qui suæ migrationis gubernatorem & defensorem habet filium Dei. Ita.n. nos interpretari, tũ textus cogit: tum dulcissimum dictum Irenæi, qui asseuerat filium Dei semper adfuisse generi humano, & semper custodem & vmbraculum esse sui cœtus, qui doctrinam ipsius amplectitur & profitetur. Hic igitur filius Dei verus fuit dux, custos & opitulator populi Israëlitici in hac migratione ex ergastulo Ægyptiorum in terram sanctam, quam jam olim ipsi promiserat: et interdiu quidem nube eum texit, noctu verò lucẽtibus flammis circumdedit. Hoc tanto vmbraculo aduersus æstum & omnem vim hostium muniti Hebræi, tutò iter faciunt, conspicientes & cognoscentes ex omni parte præsentiam & benignã protectionem Dei. Et primo quidem die ca-

ſtra ponunt in Suchoth: ſecundo, ex Suchoth egreſsi, perducuntur in deſertum Etham, vbi ſolitudinis extremi fines erant circa rubrum mare, ſeu ſinum Arabicum. Fuitq; eorum iter hactenus felix & expeditum. Verùm iterum conſiderate, quæſo, quàm mirabiliter Deus ſuos ducat & regat. Cum die tertio ex vaſto & plano deſerto Etham populus egreſſurus eſſet, retrahit illum Deus à curriculo & via incepta, in loca montana & aſpera ad fauces Phiahiroth: ibiq; in ſummis anguſtijs inter montes & mare eum concludit. Hîc quia ante ſe mare habebat amplum & ſæuum, ponè verò inſequentem hoſtem Pharaonem cum inſtructiſsimo exercitu: iterum trepidat, & in ſummum periculum adducitur. Hæret enim ibi miſer populus exanimatus metu, quocunq; oculos conuertit, præſentem mortē proſpicit: in ſumma, crudelis vbiq;

Luctus, vbiq; pauor, & plurima mortis imago.

Hæc nimirum eſt communis illa & vſitata Deo viciſsitudo, ſiue temperamentū ærumnarum & liberationum, ſollicitudinum & conſolationum. Vix reſpirarant Iſraëlitæ, erepti ex Ægyptiorum ergaſtulo: nunc iterū obijciuntur faucibus tyranni, & præda videntur fore hoſti ſæuiſsimo.

 Hîc

Hîc certè iterum clamabit ratio, actum esse, nihil spei prorsus esse reliquum. Siccine suos beat Deus? Itáne seruat in se confidentes? Hîc obsecro considerate mecum mirandum modum, quo Deus suis opitulatur, & ex ærumnis eos liberat. Nos humi strati, ad media plus satis nos alligamus, & sine ijs salutem nullam esse existimamus. Verùm Deo longè alia est mens, alius animus. Ideo rectè inquit apud Prophetam: Deus ego sum, non homo. Quare non ex nostris ingenijs æstimemus & iudicemus Deum, sed accuratis limitibus humana à diuinis distinguamus. Non comprehenditur Deus obtusa intelligentiæ nostræ acie, ideoq; credamus oportet, idq; exploratum omnino ducamus, Deum etiam absq; medijs ijs quæ nostris cernimus oculis, aut quæ causæ secundę suppeditant, liberare suos ex ærumnis posse. Est enim liberrimum agens, & vult primùm nos simpliciter promissionibus suis fidem adhibere, siue suadeat ratio, siue dissuadeat. Deinde, vt fidem nostram exploret & confirmet, ærumnis nos subijcit, quæ quamuis amaræ sint, tamen non sunt exitiosæ, sed vtiles & salutares. Eripit igitur ex oculis omnia

humana

humana præſidia ſeu media, quibus confidere poteramus, vt noſtram fiduciam in ſe ſolum transferat. Poſtremò, cum iam omnibus præſidijs humanis deſtituti ſumus, nec conſilij aut opis quicquam ſupereſt, mirando modo & gloriosè iuuat & liberat: vt videlicet clariùs & manifeſtiùs conſpiciatur eius maieſtas, gloria & omnipotentia: Sic in hac quoq; hiſtoria populo ſuo Iſraëli omnem opem, conſilium & præſidium humanum adimit, concludens eum inter mare & hoſtem, vt ſuam potentiam & bonitatem apertiùs declaret. Nam ibi volebat auxilium ſuum manifeſtari, vbi auxilium humanum omne deſierat: vt oſtenderet ſe eſſe σωτῆρα ἀνθρώπων ἐπὶ ξυροῦ ἤδη ἐόντων. Quare tunc in ſummis anguſtijs hoſti manifeſta vi reſiſtit: & ne rabiosè in exercitum Iudæorum irruat, interponit ſeſe medium in obſcura & nebuloſaq; nube, & potenti manu eum coërcet. Ibi tum videre licuit ſtantes duos numeroſos exercitus, alterum fugientem, alterũ inſequentẽ hoſtiliter: in medio autem vtriuſq; interpoſitum præſidiũ Dei, compeſcẽtis & cohibentis rabiem inſequentis hoſtis. Etſi enim Pharaonis conatus nõ diſsimiles fuerunt flumini extra ripas effuſo, quod

Fertur

Fertur in arua furens cumulo, camposq; per omnes
Cum stabulis armenta trahit: —— (nes

tamen Deus metam certam illi constituit, quousq; permissurus esset vt grassaretur; & vt Esaiæ verbis vtar, circulum in naribus eius posuit, & frenum in labijs. Extra hanc metam egredi nequaquam potuit. Cum igitur populus consternatione trepidat, & Moses expostulationem eius vix compescit, stans inter sacrum & saxum, accipit diuinam consolationem, qua animatus fortiter, inquit: Nolite timere, state & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie. Ecce hic est fructus longè vberrimus periculorum & ærumnarũ, in quas Deus nos incidere sinit, vt videlicet agnoscamus præsentiam & potentiam, seu magnalia Dei. Non igitur indignari, non fremere debemus, cum affligimur, neque discurrere ad inconcessa præsidia, sed constãti inuictoq; animo liberationem à Deo petere & expectare. Nam verè Propheta inquit: In silentio & spe erit fortitudo vestra. Quod verò est illud silentium, quod Deus in ærumnis à nobis requirit? Num vult Deus nos prorsus ocioso & securo esse animo, & quandã ἀπάθειαν præ nobis ferre? Minimè, nam silentium in eo consistit, vt primùm cru-

cem

cem nobis impoſitam obedienter feramus. Secundò vt ne illicita præſidia ex diffidentia quæramus, & extra metas vocationis erumpamus. Addit autem Propheta: In ſpe: quæ complectitur fiduciam veram, acquieſcentem in Deo, & certò mitigationem, auxilium & liberationem ab eo expectantem. Hoc ſilentij & ſpei mirabili temperamento Iudæi tunc præſentia pericula procul fugarunt, & præclarè eluctati *ſunt*. Nam fidelis eſt Deus noſter, nec ſinit nos tentari ſupra id quod ferre poſſumus: et tentationem ſemper ex pacto Dei ſequitur mitigatio, & placidus exitus. Audit hic Deus Moſen, antequā clamet: reſpondet, *cum adhuc* verbum nullum ore eſſet *prolocutus*. Tanta eſt in eo auiditas, tantus ardor, tam flagrans deſiderium exaudiendi, iuuandi & liberandi. Cum igitur iam erexiſſet Deus languentes populi ſui animos, mox ſequenti nocte, diuiſo, diuina potentia, per baculum Moſi, mari rubro, exiccatoq; immiſsis ventis, vado, relictis caſtris mare ingreditur. O miraculum ingens, Angelorum & hominum linguis & vocibus prædicandum. A tergo arcet Deus inſequentem hoſtem à ſuo populo, interiecta nube, quæ denſam nebulam hoſti

hosti offundit: à fronte ſcindit mare, & tutum tranſitum ſuis præbet. Cedit mare procelloſum credentibus, contra omnem rationem & naturæ ordinem: ſtant vtrinque ingentes cumuli aquarum, in modum altiſsimorum ſcopulorum erectarum. Inter hos cumulos tranſit vniuerſa multitudo populi, medium locum inter caſtra Ægyptiorum & Iſraëlitarum obtinente nube illa, obſcura quidem, ſed ex qua fulgetra emicabant Ægyptios terrentia, Iſraëlitis verò lumen præbentia. Eſtq; hæc maris diuiſio eò admirabilior, quòd ea in parte facta eſt, vbi milliaria ferè quindecim mare rubrum fuit latum, vt ex deſcriptione Ptolomæi cognoſci poteſt. Quocirca nec confici tantum iter breui potuit, ſed tempus longiùs in eo conſumi oportuit. Etſi autem præſentiam & auxilium in hoc miraculoſo tranſitu populus liquidò conſpexit: tamen, vt fert humana imbecillitas, multas querelas, gemitus & lacrymas interceſsiſſe credibile eſt. Quid enim tu cogitares, ſi iſto eſſes loco, quo tunc Iſraëlitæ fuerunt? Nónne ſollicito animo identidem reſpectares ad cumulos iſtos aquarum erectarum, & in ſublimi ſtantium? Nónne

iamiam eos ruituros esse metueres, & tecum familia vniuersa oppressuros? Accesserunt suspiria multorum, ploratus paruulorum, partim humeris gestatorum, aut manu ductorum, partim ponè sequentium: nec defuerunt vociferationes & clamores promiscuæ multitudinis, vnà transeuntis. Quàm enim difficile est fidere Deo, vbi spem omnem creaturæ denegant? Erat præterea à tergo hostis immanis & ferox, quoties igitur eos respexisse putabimus ad hostem, quàm longè abesset? Et vt maximè per mare iter conficerent, & incolumes ad portum peruenirent: metuendum tamen sibi esse viderunt ab hostibus & latronibus, ne rabiosè concurrerent, & tàm ignotos hospites à littore immaniter repellerent. Verùm ex his curis & solicitudinibus eluctatur fides, & gloriosè vincit. Eius tanta vis est, vt quæ inuisibilia sunt, tanquam oculis subiecta complectatur: & quæ differuntur, perinde habeat atq; præsentia. Deniq; vbi Deus se iratum & tanquam hostem ostendit, ibi eum tanquam patrem intuetur & habet. Hæc nimirum est ars Christianorum summa & arcana, ignota prorsus mundo securo & profano. Hac

Israëlitæ

Israëlitæ etiam metum & dubitationem omnem represserunt, & hostem immanem, Pharaonem, vicerunt, & interemerunt. Cum enim is sublata nube, castra Iudæorum vacua cerneret, & vadum maris siccum conspiceret, eadem via illos persecuturus, in medijs vndis circa diei diluculum cum vniuerso exercitu perijt, partim commotis ventorũ procellis, partim recurrentibus aquis obrutus. Israëlitarum verò exercitus & multitudo tota, incolumis ad littus & portum peruenit. Hæc est læta & gloriosa liberatio populi Israël, ex durissima seruitute, & ergastulo Ægyptiorum: & victoria Dei de hoste suo Pharaone, omnium vocibus, literis & linguis celebranda. Estq; facta anno conditi mundi 2454, die mensis Aprilis decimo quinto. Et manifestauit Deus suam gloriam, & declarauit omnipotentiam & veritatem inuictam in seruandis promissionibus: vt certò credamus & statuamus, eum verè & ex animo nos amare, fouere, defendere, & iuuare, quantumuis duriter aliquandiu premamur & affligamur. Et vt animo infracto expectemus ab eo opem & mitigationem, etiamsi spem opis & auxilij ratio & natura tota nobis deneget.

Hanc

Hanc artem nos tenere oportet, eaq; tanquam ancora in ærumnis niti. Sed non ſinit tempus hæc perſequi longiùs. Venio igitur ad id, quod in recitatione huius hiſtoriæ vnicè nobis propoſitum eſt. Cum ſiccis vadis incolumesq; Iſraëlitæ ſinum Arabicum tranſijſſent, & proſequentem hoſtem cum vniuerſo exercitu in vndis miſerè perditum viderent: Deus bone, quanta oritur in animis eorum lætitia? quanta exiſtit exultatio? quantus inſequitur triumphus? Eſt enim cùm innatum noſtris animis, vt proſpera fortuna extollamur, & geſtiamus: tum ſi liberatio ex tam graui & difficili periculo, tam admirabilis, tam præter omnem rationem, imò præter & contra omnes cauſas in natura ordinatas acceſſerit: incredibilem & profuſam lætitiam excitare neceſſe eſt. Vt igitur tanto tamque miraculoſo Dei beneficio liberatus populus Iſraëliticus, ardenti pectore & pleno ore in laudem celebrationemque Dei erupit, & lætis cantionibus gratias egit: ſic nos quoque affecti à Deo, præterito ſemeſtri, maximis & inenarrabilibus beneficijs, lætis animis & voce hilari gratias ei agamus. Ideo enim hiſtorias ſacras legimus, ideo miracula Dei

in Ecclesia edita cognoscimus, vt Dei beneficentiam erga nos perspiciamus, eiusque recordatione ad admirationem & gratiarum actionem ardentem exuscitemur & accendamur.

Tibi ergo totis pectoribus & animis gratias agimus, omnipotens, æterne & viue Deus, qui te patefecisti patribus Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, edita promissione de filio tuo Domino nostro Iesu Christo Messia & redēptore generis humani, & deduxisti populum tuum per mare rubrum, scissis & stantibus aquis in sublimi, instar montiū: & deleto hoste feroci Pharaone, omnipotentiā & voluntatē tuam qua erga Ecclesiam, omni tēpore es, manifestissimè declarasti. Deniq; per filiū tuum Ecclesiam in genere humano inde ab initio vsq; mundi collegisti, eāq; custodiusti, & defēdisti ab omniū hostium furore & impetu: & etiam nunc per eū nobiscum in Ecclesia loqueris, voluntatem tuā nobis declaras, & ad vitam æternam nos acceptas. Insuper Spiritum sanctum tuum in corda nostra effundis, vt regeneret & sanctificet nos: regis, ducis, pascis, & defendis nos à Diaboli insidijs, & fraude Turcarum & aliorum hostium omnium violentia & rabie: ser-

ſeruas politias, leges, & omnia honeſta officia in hac ciuili cõſociatione, qua deuinxiſti nos. Accendiſti iterum in hac delira mundi ſenecta verbi tui lucem, ex denſiſſimis tenebris erutam, eamq́; purè in Eccleſijs noſtris ſonare ſinis: foues artium & linguarum ſtudia, & in hac etiam ſchola noſtra qualiacunque initia doctrinæ literarum, vnà cum ſacroſancto tuo verbo, inſtauraſti. Hæc tua immenſa beneficia, quo animo, quo ore ſatis prædicabimus? aut quibus verbis tibi gratias agemus? Etſi, magne Deus, obſtupeſcunt mentes noſtræ, & hærent linguæ ob tantam benefactorum magnitudinem: tamen accipies (qua eſt tua in nos paterna voluntas & æquanimitas) gratiam noſtrã, quã pro animorum noſtrorum viriculis reuerenter, piè & humiliter tibi habemus & referimus. Agnoſcimus tuam diuinam & inexhauſtam erga ſcholam hanc, & nos omnes bonitatem & miſericordiam: & vt veriùs indies agnoſcamus, tu, qui omnipotens es, & fons omnis boni vnicus, per Spiritum ſanctum tuum in nobis effice: Te vnà cum filio tuo Domino noſtro IESV CHRISTO, & Spiritu ſancto veris gemitibus inuocamus, & oramus,

vt quemadmodum populum tuum Iſraël duxiſti, & gloriosè liberaſti: ita nos quoq; in hac vltima mundi ſenecta, in qua & pietatis & honeſtatis officia lāgueſcunt mirificè, clementer reſpicias, regas, foueas, & tuearis. Non nos ſumus, qui regere nos noſtris viribus queamus: in te nos proijcimus totos, à te pendemus: tu Eccleſiam, politias, & hanc ſcholam noſtram protege, auge & ſerua. Vt enim tenello & eneruato corpori & copioſiore tegumento, & cura maiore opus eſt: ita ſeneſcens iam Eccleſia, & hæc noſtra ſchola deſerta, ac alijs præſidijs deſtituta, præſentiori & validiore indiget auxilio & adiumento tuo. Hanc igitur, pater ſanctiſsime, cura, foue, & commendatam tibi habe. Rege etiam nos, quibus docendi munus commiſſum eſt, Spiritu ſancto tuo, vt vtilia & ſalutaria doceamus: tum diſcipulis etiam noſtris verum amorem audiendi, diſcendique inſtilla, vt ita officium noſtrum vtrobique faciamus, & tibi per nos aliqua grata fiant. Hac fiducia erecti & ſuſtentati, cras, quod felix & fauſtum ſit, lectiones hyberni ſemeſtris, in nomine Dei iterum auſpicabimur, ſuo quiſq; loco & ordine, quem foris affixa ſchedula monſtrabit. Dixi.

Legio

Oratio III.

DE TRANSITV POPVLI ISRAELITICI PER IORDANEM, Iosue 3. & 4.

CVM Deus, cæsis omnibus primogenitis Ægyptiorum, suum populum ex seruitute in terram promissam, lacte & melle fluentem educere vellet: ritum agni paschalis instituit, vt memoriam & testimonium suæ voluntatis perpetuum conseruaret: iussitq; eundem ritum annuatim repeti, & incalculari posteris, vt de tanto beneficio diuinitùs præstito commonefierent ac edocerentur. Vult enim sua benefacta non latere, sed tanquam in illustri loco sita conspici, diuque & firmiter memoria teneri, atque ad omnem posteritatem propagari: vt istorum cogitatione in nobis accendatur & confirmetur fides, inuocatio & gratiarum actio, sicut in Psalm. 78. dicitur: Mandauit patribus nostris, nota facere ea filijs suis, vt ponant in Deo spem suam. Ita cum populum suum traduxisset per Iordanem, duce Iosua, præcepit perpetuæ huius mirandi facti memoriæ causa erigi duodecim lapides: manda-

uitq́;,vt interrogantibus filijs,quid ſibi iſti velint, reſponderetur, Deum olim populum ſuum ſiccis vadis per illum locũ Iordanis traduxiſſe, vt omnes gentes potentiã ipſius cognoſcant ac reuereantur. Cùm igitur Deus ab omnib. hominibus illuſtria & glorioſa ſua facta cerni p̃dicariq́; & magnifieri velit: decet nos nõ ſolùm gratã memoriam eorũ retinere, ſed etiã crebris cogitationib. & ſermonibus illa repetere & vſurpare, vt & agnitio benigniſsimæ ipſius erga nos voluntatis, & timor, cũ vera fide & inuocatione in nobis creſcant ac corroborẽtur. Cùm autẽ ea vniuerſa ſimul neq; cogitatione cõprehẽdi, neq; vllius humani ingenij vi ac dicendi copia enarrari poſſint: ſumã in præſentia tantũ vnicum eius factũ, de traductione populi Iſraëlitici per Iordanẽ: de eoq́; quantùm cœleſtis orator, λόγος καὶ εἰκὼν patris, per Spiritũ ſanctum inſpirauerit, dicam. Etſi autẽ tanta huius facti amplitudo & maieſtas eſt, vt neque principiũ neq; finẽ orationis facilè inuenias, nec verba ornamẽtaq́; quib. illud efferas, ſatis apta ſuccurrant: tamẽ nõ copiam ego perſequar, quã rei magnitudo ſuppeditat, ſed certos locos, velut fines terminosq́ue mihi proponam, inter quos oratio to-

Diſpoſitio.

Attentio.

ta contineatur. Referam enim historiam totam ad locos honestatis, vtilitatis, & difficultatis. Sed antequam id præstem, historia breuiter enarranda est. Cum Israëlitæ iam annos 40. post exitum ex Ægypto in deserto fuissent, mortuus est Moses: quo amisso, magno in luctu & squalore fuit populus dies 30. quòd tanto heroë & præside orbatus esset. Quia verò promissioné suam de terra Cananea, explere atq; perficere Deus volebat: vocat Iosuá ad regendũ & ducendum populum Israëliticum: eumque autoritate, virtute & prudentia eximia ornat: & successus in negotijs vocationis tantos præbet, vt omnes ipsum reuereantur, & sponte illi obtemperent. Huius igitur ductu & autoritate accingitur populus vniuersus ad transeundum Iordanem, ingentis altitudinis & rapiditatis flumen. Cumq; iam tertius dies post expletũ Mosi luctũ ageretur, Israëlitæ assumtis mulierib. impuberibus, mãcipijs, armẽtis & alijs, ad littus vicinũ Hierichunti ꝓgressi, vidẽt incredibili Dei bonitate atq; potentia aquas discindi, & superiorẽ quidem partẽ in altũ accumulari, inferiorẽ verò in mare mortuũ defluere. Facto igitur peruio Iordane, per sicca vada incolumes & salui *Narratio.*

transierunt, & ad portum toties promissum diuque desideratum peruenerunt, stante interim & quasi in sublimi pẽdente aqua fluminis. Hæc est facti historia; quam ideo breuiùs recensui, quòd postea in loco difficultatis clariùs exponenda erit per circumstantias. O verò inæstimandum & gloriosum factum, quod præter omnem opinionem humanam, & contra vniuersum naturæ cursum & ordinem tunc Ecclesiæ suæ præstitit Deus: eoque suam maiestatem, potentiam & promissiones magnificè & insigniter confirmauit, omnesque suos hostes & idolatras perpetua ignominia affecit, & ita blasphemiam eorum confutauit, vt de omnipotentia ipsius dubitare nõ amplius possent. Tantus enim illico terror consternatioque, perculsit Cananæos, Hyphæos, Pherizæos, Gargaseos, Emoræos & Iebusæos, audito hoc populi Israëlitici per Iordanem transitu, vt timore nimio, quasi quodã immisso fulmine obstupefacti, quò se verterent; quidque de se facerent, vehementer dubitarent. Hic est triumphus gloriosus & magnificus, per quem conterritis & exanimatis hostibus Ecclesiæ, salus decusque restitutum est, & terræ fœcundissimæ & amœ-

amœnissimæ possessio parta. Hæc est victoria non solùm de potentibus inimicis & tyrannis, sed de natura etiam tota. Laudabile esse ducimus, truculentũ aliquem & bellicosum reprimere regem: præclarum esse putamus, forti & inuicta manu reducere in regnum oppressos. Eximium fuit, Alexandrum illum magnum, victricibus armis totum ferè peragrare & expugnare orbem terræ, debilitatis & fractis tot regibus, tam munitis vrbibus, & tantis vbique collocatis præsidijs. Sed si huic facto id compares, vix tibi vmbra videatur. Ab eo enim debellati sunt homines, & victa ea quæ & naturam & conditionem vt vinci possent, habebant. Neque est in rebus humanis quicquam tam robustum, tamq́ue diuturnum, quod non ferro ac viribus comminui conuelliq́ue possit. Verùm in hoc facto natura ipsa deuicta est, & è cursu suo, quem tamen incredibili constantia tot annos continuè tuetur atque seruat, dimota est. Hoc quid potest esse rarius & inusitatius, magnificentiusq́ue? quæq́ue laus & prædicatio par aut sufficiens illi inuenietur? Admirantur illud Angeli, obstupuerunt recordatione eius omnes pij, quotquot ab eo tempore in Ec-

clesia floruerunt. Hîc enim Deus verè suam illam incomparabilem & inuictam potentiam declarauit, dum naturam rerum mutauit: hîc suam prouidentiam, clementiam & bonitatem vniuersam manifestauit, & opulentè effudit in Ecclesiam, traducendo eam contra spem & expectationem omnem per flumen tàm rapidum & altum, in terram sanctam. Hîc hostes planè pudefecit, idola omnia fictosq; Deos eneruauit & deleuit. Hîc sese ita patefecit, vt fidem, timorem & inuocationem sui, in omnium hominum pectoribus meritò confirmârit & consignârit: vt relictis cæteris omnibus, ipsi soli fidamus, ab ipso salutem, opem & liberationē in periculis petamus & expectemus. Quomodò enim de eius animo, atq; auxilio dubitare possumus, qui suas promissiones clarissimas & saluberrimas tàm ingentibus & miraculosis facinoribus contestatur & comprobat? Magna sunt cætera Dei opera omnia, & quidem inenarrabilia: vt creatio rerum ex nihilo, formatio hominis ad imaginem Dei, & sustentatio continua, & conseruatio pulcerrimi ordinis in natura, legum, disciplinæ, & aliorū. Hæc certè nisi tam magna esse fateamur,

Comparatio cum alijs Dei operibus.

vt ea

vt ea nullius hominis mens aut cogitatio complecti posſit, amentes ſimus. Sed ſunt alia non minora: conſeruatio Noë in vniuerſali orbis terræ inundatione, eductio Hebræorũ ex Ægyptiaca ſeruitute, & oppreſsio inſequentiũ hoſtiũ in mari rubro, retractio Solis ex medio curſu, defenſio Danielis inter ſæuos leones: & quod omnium maximum eſt, incarnatio & reſurrectio filij Dei vnigeniti ex morte. Hæc talia ſunt, vt ea nullus Angelus, nedũ nos homunciones intelligere aut eloqui poſsimus. Veruntamẽ non poſtremum eſt hoc quoq; de exiccatis aquis Iordanis, & tuto populi Iſraëlitici tranſitu. Eſt enim nõ minùs admirabile, ſcindi aquas, & ita curſum earum inhiberi, vt ſicca vada præbeant traijcientibus, quàm ſeruari Noamum in arca, vagantem in vaſtis diluuij fluctibus, aut cuſtodiri Danielem, inter medios leones verſantem. Quare annumeretur hoc factũ inæſtimabilibus & admirabilibus Dei facinoribus, quæ Eccleſiæ ſuæ ab initio exhibuit, ad declarandã ſuam infinitam & immenſam potentiam, & oſtendendam ſuam beneficam & amicam erga nos voluntatem: vt illis commonefacti & conuicti, non poſsimus non certè planeq; ſtatuere,
eum-

eum esse verùm illum Deum, & patrem nostrũ clementissimũ, à quo creati sumus, & liberamur peccato & à calamitatibus cæteris, quæ modocunq; nobis obijciuntur.

Sed eiusmodi facta quamuis verè sint amplissima, & omnium gentium laude, prædicatione, literis atque monumentis dignissima: tamen nescio quomodo dum nudè audiuntur aut leguntur, parum nos afficiunt, neq; tamen efficaciter animos nostros permouent, vt meritò mouere debebant. Est enim mentibus atq; cordibus nostris insita naturalis quædam hebetudo & stupiditas, vnde fit, vt ea etiam quæ diuinissima sunt, & Angeli ipsi admirantur, vel negligantur à nobis, vel certè non satis accuratè considerentur. Hæc peruersitas deploranda est, & orandus Deus sedulò, vt Spiritu suo viuifico ferrea nostra pectora effodiat, emolliat & accendat, vt non solùm istiusmodi admiranda facta libenter audiamus; sed etiam seriò meditemur, veramque salutem & consolationem inde percipiamus. Cùm autem in factorum descriptione nihil tam pectora nostra feriat, quàm circumstantiarum illustris commemoratio: eas ipsas quoque recensebo, vt quàm periculosus & difficilis hic trans-

itus

itus populo visus sit, inde æstimare possimus, & maior etiam huius diuini beneficij admiratio nos capiat. Factus est igitur hic transitus eo in loco, vbi Iordanis multis alijs fluminibus ac torrentib. collectis, mirum in modum excrescit, & multò est latior profundiorq; quàm in cæteris partibus, quæ à fontibus eius propius absunt. Nec dubium est, vna hora confici tantum iter non potuisse, sed pluribus horis opus fuisse, & fortasse etiam integri diei spacio. Ex quo sanè satis conspicitur, quanta periculi magnitudo fuerit in transeundo tanto flumine, non tantùm suo alueo vndique completo, sed exundante etiam, & latè vicina loca complectente. Minùs miraculosum fuisset, si superius aliquantò in parte aliqua viciniore fontibus, Hebræi transijssent, vbi angustius flumen, minusque profundum, tutius vadum præbuisset. Sed ita solet Deus suos beare, & regere: vt vbi minimè salutem sperant, nihilque videatur impossibiliùs ibi vel maximè eos iuuet, atq; liberet. Sic etiã tunc in eo potissimũ loco traducere Hębreos voluit, vbi flumen minimè perui ũ esse posse videbatur. Hanc enim artem sibi soli Deus reliquam fecit, vt quæ nostra opinione imposs-
sibilia

ſibilia, & omnium difficillima exiſtunt, ipſi facillima ſint. & promptiſsimè cedant. Acceſsit etiam hæc non mediocris difficultas, quòd in terram ignotam tranſituri erant. cuius incolas infeſtos ſibi eſſe norant, proficiſcebantur enim tunc in terram Canaan, ad occupandam eam, excuſsis & eiectis prioribus dominis. Quare in magno metu fuerunt, cùm tanta pericula ab incolis eius loci ſibi imminere ſcirent. Nã vt maximè flumen tutò tranſirent: tamen veniebat eis in mentem vereri, ne ab occurſantibus vndiq; tot incolis hoſtiliter à portu repellerentur, & vel occiderentur, vel in medium fluuium retrò abacti præcipitarentur. Quid quæſo tibi eſſet animi, ſi eo loco eſſes, quo tunc fuerunt Iſraëlitæ? Nonne toto pectore horreres & trepidares, ſi tantum flumen tibi tranſeundum eſſet? præter omnem modum & rationem naturæ: & quidem cum mulieribus, liberis, & alijs non exiguis oneribus: & inſuper etiam ſcires, omnes incolas eius loci ad quẽ iter haberes, tibi eſſe inimicos? Quid de te futurum eſſe exiſtimares, ſi in eiuſmodi anguſtias adducereris, vt præſentem mortem omnia tibi minari videres? Non

Alia difficultas ex loco.

in minore equidem periculo tunc Israëlitas fuisse iudico, quàm cum ad mare rubrum venissent, insectante hostiliter à tergo crudeli Pharaone, cum exercitu instructissimo. Quod enim illic ponè habuerunt, id hîc ante sese habituros in vlteriore fluminis ripa conspiciunt. Quamobrem quantus in hoc transitu gemitus, quãtaq; anxietas huius populi animos occupauerit, nemo nostrûm conijcere potest. Sed hic est mos Dei perpetuus, vt per difficultates & aduersitates multas, suos educat, & gloriosè tandem liberet: sicut etiam nunc Ecclesiam suam mirabiliter, inter tot pericula & hostium multitudinem ducit ac protegit. Est enim hic Israëlitarũ transitus *expressa imago* Ecclesiæ, quæ in miraculo transitu per calamitates & ærumnas plurimas continenter versatur, donec ad portum suum cœlestem perueniat. Est autem hoc quoq; consideratione diligenti dignum, quòd in eo ipso loco Iordanis, vbi *Hebræi* transierũt, post annos fermè 1500. Christus Iesus baptismo per Ioannẽ initiatus est, & deinceps aliquoties ibidẽ versatus: indeq; ad passionẽ suam, per quam verè omnibus credẽtibus transitus siue aditus ad vitã æternam patefactus est, migrauit.

Imago Ecclesiæ

Dictusq;

Dictusq; est is locus Bethabara, q, est domus trāsitus: haud dubiè propter testimoniū memoriam perpetuam huius miraculosæ populi Israëlitici traiectionis. Ita proculdubio hæc populi traductio cum arca fœderis, quam sacerdotes per medium flumen gestabant, figura fuit transitus Messiæ per mortem & resurrectionem ad patrem, per quem victa morte & Diabolo, nos omnes secum in patriam cœlestem traduxit. Demonstrabit adhuc clariùs magnitudinem facti, circumstantia temporis: ideo illam quoque recitabo. Transijt autem populus tempore messis, quo Iordanis plus quàm in cæteris anni partibus exundare consueuit. Factum est enim singulari Dei beneficio, vt sub messis initium, collectis vndique aquis Iordanis insigniter augeretur: vt ista aquarum mole ceu quodam vallo muniti atque tecti eius loci incolæ, fruges tutò demetere atque colligere possent. Quod alioqui, propter infestos in vicinia latrones, Moabitas & alios, fieri non potuisset. Hi enim, nisi rapiditate & altitudine fluminis prohibiti essent, in eam ipsam regionem irruissent, & optimas quasq; fruges incolis surripuissent. Fuit hæc regio diuino hoc dono ornata, vt fertilitate cæteris

ante-

antecelleret, natum est in ea nobilissimum & odoratissimum illud balsamum, quod passim tantis laudibus extollitur. Huius fragrantia compleuit totum illum locum, adeo vt vrbi etiam ipsi quæ ibi sita fuit, nomen indiderit. Est enim Hiericho idem, quod nobis fragrantia. Hanc ob causam à latronum incursionibus crebrò vexati essent incolæ, præsertim messis tempore, nisi diuinitùs diffuso Iordane te-cti fuissent. Quare tunc, cùm Hebræi trãsire debebant, Iordanis inundare cœpit, resolutis æstiuali calore niuibus adeo, vt non modò alueum suum, sed ripas etiam vndique compleret. Etiamsi enim tunc talis calor Solis ibi fuit, vt fruges percoctæ atq; maturatæ demeti inciperent: tamen remanserunt in montium cacuminibus, & præsertim in Libano, vnde Iordanis initium ducit, niues, vsq; ad messis tempus, & vltra. Ex his non difficile est diem huius miraculosi transitus cognoscere. Incidit enim messis in terra Canaan, in mensem Nisan, quem quidam ad Martium nostrum, nonnulli ad Aprilem referunt: de quo non moueo litem. Illud patet, transijsse Hebræos Iordanem die 10. mensis Nisan, quem 10, Aprilis nostri esse consen-

taneum eſt. Hæc eò paulo altiùs repetiui, vt difficultatem huius tranſitus aliquo modo declarent. Cùm enim tanta tunc Iordanis fuerit inundatio, vt ripam vtramq; aquis longè lateq; replerit: facilè intelligitur, mirum in modum auctam eſſe periculi magnitudinem & metum, in tam latè effuſo atq; rapido flumine transeundo. Sed tantam tamen, tamq; terribilem & immenſam aquarum molem Deus potenti manu repreſsit, coaceruatam ſuperiùs in ingentem altitudinem ad modum rupis: tamq; diu earum impetum curſumq; inhibuit atq; retardauit, donec totus populus, tandem etiam ſacerdotes geſtantes arcam fœderis, ſiccis pedibus ad vlteriorem ripam peruenirent. Interim verò dum in itinere Iſraëlitæ fuerunt, quid non mœſtitiæ, trepidationis atq; conſternationis ſenſerunt? Quid mali ob oculos non habuerunt? Cuius enim pectus tàm ferreum eſſe poteſt, qui in tàm inaudita periculorum magnitudine conſtitutus, non langueſcat, & extimeſcat? Quid grauius eſſe potuiſſet, quàm per vadum tam aſperum ſaxis incedere, præſertim cùm tanta turba coniugum gementium, & eiulantium, liberorum impuberum, quos partim

partim humeris ſuſceptos baiulari, partim manu prehenſos non ſine ſumma difficultate & ægritudine trahi oportuit? Quē tunc ploratum non eſſe auditum? quem gemitum non effuſum exiſtimas? Luctuoſum eſſe ſatis iudicares, ſi nullis alijs grauatus oneribus, per tàm horrendum vadum tranſires, pendente à latere tuo tam celſa & minaci aquarum mole, adeò vt iamiam ruitura teq; funditus deletura videretur. At cùm ad hoc periculoſum iter accedit etiam difficultas à coniugibus, moleſtia à liberis, impedimentum à ſeruulis, ancillis, armentorum gregibus, non ſolùm grauiter incedentibus, ſed miſerè etiam gementibus & conquerentibus, quid tunc calamitoſius eſſe poteſt? quibus oculis tu aſpiceres ingentem illum aceruum aquarum, hærentem in ſublimi ad modum excelſi muri, ſine omni fulcimento, contra omnem modum naturæ, quantos gemitus ederes, ſi coniugem & liberos tuos in tanta rerum anguſtia acerbè plorantes atq; lugentes videres, & quidem tam diu? Hîc cogita, quid miſeræ plebi tum animi fuerit, cùm tot periculis vndiq; circundata eſſet. Nec, quaſi præteriens, vt politicam aliquam hiſtoriam hoc factum

 inſpi-

inſpice: ſed diu in animo habe, examinando teipſum, quo animo tu periculum tantum perferres: num etiam Deo iubenti, in tranſeundo tam periculoſo vado, ad loca incognita & infeſta hoſtibus, obedires? an verò rei difficultate fractus, quiduis potius faciendum duceres, quàm tantum vitæ diſcrimen adeundum? Quam difficile eſt humanis animis fidere, vbi ratio diffidere ſuadet: & ſperare, vbi natura ſpem omnem denegat. Et tamen Deo præcipienti obtemperandum eſt, ſiue diſſuadeat ratio, ſiue refragetur natura. Hinc exiſtit mirabilis illa lucta & trepidatio mentium, cum contra ſpem & rationem cauſarum ſecundarum aliquid agere iubemur. Sed commonefacti hoc Iſraëlitarum exemplo, ſciamus neq; rationem neq; naturam audiendam, aut in conſilium adhibendum eſſe, cum diuina negotia tractamus: ſed ſimpliciter Deo obediendum, & euentum illi committendum. Non enim Deus adeò impotens eſt, vt imperare ſciat, perficere verò neſciat. Quin ita obfirmandi ſunt animi noſtri, vt certò ſtatuamus tam ratum eſſe quod DEVS loquitur aut iubet, vt ſiue nobis videatur, ſiue non videatur, euentum ſequi oporteat.

teat. Hoc exemplum Hebræorum sedulò nobis inculcare, alteq́; pectoribus infigere debemus, vt eo edocti, similiter Deo fidere & obedire discamus. Est enim eadem nunc fortuna Ecclesiæ, quæ tunc fuit populi Israëlitici. Traducimur enim perpetuò per Iordanem, septi & circundati ingentibus periculis Diaboli, mundi, mortis & inferni: sicut dux noster ipse IESVS CHRISTVS, per immensum pelagus peccati & crudelissimorum hostium agmen ad thronum cœlestem transijt. Est igitur Hebræorum transitus viua vitæ Christianæ imago, pingens insigniter ingentia pericula, certamina & difficultates, quas pios in hac vita perferre necesse est. Nam curriculum Christianorum durum est & asperum: & accedunt multæ ærumnæ, priuatæ & publicæ: vt sunt morbi, infelicitas liberorum, inopiæ & difficultates aliæ innumerabiles. Hæc enim nunquam Christianis deesse solent, sed perinde eos comitantur, vt Hebræorum vestigia ponè legebant coniuges, liberi & familia reliqua. Hinc gemitus & lacrymæ quàm plurimæ existunt, foris verò omni tempore imminent hostes, Diabolus & organa eius, oppressionem & interitum minitantia:

quemadmodum Iſraëlitis aqua procul in vaſtam altitudinem collecta, exitium præſentiſsimum minari videbatur. Aduerſos habemus latrones & graſſatores ſæuos, qui vel ex ſedibus noſtris eijcere, vel in medios aquarum fluctus præcipites nos dare conantur: quemadmodum Iſraëlitæ ab incolis vlterioris ripæ Iordanis ſibi euenturum eſſe verebantur. Ita fit, vt periculis plena ſint omnia, ſiue antè, ſiue retrò, ſiue ad latus reſpicias. Sed bono animo ſimus. Nam vt Hebræis hæc tàm terribilis malorum multitudo nihil nocere potuit, ſed tutus tandem ſiccis pedibus, ad optatum portú tranſitus diuinitùs conceſsus eſt: ita nobis quoque, neq; hoſtes, neq; aliud mali quicquam obſtabit, quo minùs ad deſideratam terram aliquando veniamus. Ac quamuis interim dum in via adhuc ſumus, acerbitates aliquæ atq; difficultates ſeſe offerant: non tamen ideo ab incepto curriculo deſiſtendum eſt, ſed gnauiter, nullo obſtante, pergendum: illudq; animis infixum ſit, quamuis minentur interitum hoſtes, ruinam portendat cœlum, & tota facies naturæ triſtis & horrida videatur, non tamen interire Eccleſiam poſſe, quia vehit arcam fœderis: hoc eſt, habet CHRISTVM, &

profi

profitetur verbum Dei. Vt enim conglobatæ aquæ Iordanis tam diu cursum suum tenuerunt, donec sacerdotes qui in medio Iordane, transeunte vniuerso populo, steterant, cum arca egressi essent: ita dum Christum habemus, nulla tempestas, nullus impetus, nulla tyrannorum rabies nocere nobis poterit. Si itaq; aut à Diabolo, aut aliunde calamitates tibi accidunt, recordare molis istius terribilis, quæ in Iordane quidem minaciter pependit, sed Hebræis tamen nocere non potuit. Eodem enim modo tibi obesse non posse statue, etiamsi magna moles calamitatum obijciatur. Metuebant etiam Hebræi vehementer hostilem incolarum vltra Iordanem in se impetum: sed cum transijssent, hostes omnes fugabant: ita etiam nos sæpe pertimescimus, vbi nihil periculi fuisse tandem animaduertimus. Quare edocti hoc miraculoso exemplo, vt non illico trepidemus atq; diffidamus, si pericula aut calamitates nos circumstare videamus: sed Deo constanter fidamus, qui omnia mala auertere vult, atq; etiam potest. Hic est fructus, quem ex hoc admirabili Dei facto percipere debemus, vt in simili fortunæ asperitate non succumbamus: sed

per medium periculorum agmen intrepidè transeamus, meliora semper sperantes. Sed est alia adhuc facti diuini vtilitas, quam silentio præterire minimè possum. Ideo enim Deus tam claris & insignibus miraculis sese Ecclesiæ suæ patefecit, vt omnipotentia & benefica ipsius voluntas inde cognoscatur & celebretur: sicut ipse ait, se ideò per mare rubrum Israëlitas traduxisse, vt in Pharaone glorificaretur. Et Esaias 36. inquit: Sic eduxisti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ. Hunc fructum Deus suo iure pro facinoribus suis à nobis postulat, vt laudetur & glorificetur. Quapropter celebremus hoc factũ Dei literis & linguis, non solùm in hac caduca & breui vita, sed in altera etiam in omnem æternitatem vsq;, toto pectore & pleno ore illum laudemus, quòd non solùm Israëlitas per rapidum Iordanem tutò traduxerit, sed nos etiam omnes per filium suum Iesum Christum à tyrannide Diaboli liberatos, per mare immensum peccati & mortis, in promissam vitæ cœlestis requiem transfert.

Epilogus per cohortationem.

Ora-

Oratio IIII.

DE INSTAVRATIONE vrbis Hierosolymæ post septuaginta annorum exilium: habita in Academia Erphordiensi, semestri æstiuo, cùm Lectiones nouæ incoarentur: Anno Salutis M. D. LXVI. Pridie Calendas Maij.

QVod fœlix & faustum sit, Deo inprimis gratum, & Reipub. nostræ literariæ quam maximè vtile, Viri magnifici, clarißimi, venerabiles, & eruditi, vosq; Studiosi amantißimi: hodie initium noui studij per semestre æstiuum authoritate Philosophicæ facultatis aperio. Quia verò omnium rerum, præsertim earum quæ maiores grauioresq; sunt, initia à Deo, vt benè prospereq; eueniant, ducere oportet: iustum est, nos quoque ab inuocatione diuini auxilij, sine quo nullus conatus est fœlix & vtilis, nostrum opus incoare. Te ergo veris gemitibus inuocamus & rogamus, omnipotens, æterne & viue Deus, æterne pater Domini nostri IESV Christi, qui te patefecisti nobis, dato verbo tuo, &

misso filio tuo Domino nostro Iesu Christo, & effuso S. sancto, vt in hac vltima mūdi senecta, in qua indies maiores fiunt confusiones regnorum & politiarum, crescunt hæreses, languescit fides, & mirum in modum vbiq; inualescit improbitas, & furor Diaboli, clemenrer nos filios tuos, quos sanguine vnigeniti tui filij redemisti, respicias, cures & custodias, seruesq; inter nos semen aliquod sanctū, & voce Euangelij incorrupta colligas Ecclesiam, cum qua tuam sapientiā, lucē, bonitatem, iustitiam & vitam communices. Auerte quæso benignè horribiles hæreses, quæ partim apertè grassantur, partim nascuntur & eruptionem paulo post facturæ videntur. Reprime furores Diaboli: & propulsa tyrannidem & barbariem Turcicam, ceruicibus nostris imminentem: custodi politias & leges, quæ sunt vincula consociationis Christianæ. Cumprimis verò protege & serua lucem literarum & artium, ingenti tuo beneficio iterum in hac delira mundi senecta accensam: & suscita in hac quoque Academia aliquod studium pietatis, veræq; philosophiæ: vt tibi aliqua à nobis grata fiant, & multa inde ad Ecclesiam & Rempub. commoda pro-

da promanẽt. Rege & guberna nos Spiritu ſancto tuo, & erudi nos, qui æterna ſapientia es, καὶ λόγος patris, Domine Ieſu Chriſte: & prouehe ſtudia noſtra quæ Eccleſiæ & Reipub. inſeruiunt: & fac nos, qui toti in te proiecti ſumus, vaſa miſericordiæ: eſto lux mentiũ noſtrarum, vt vera & ſalutaria diſcamus, & alios viciſsim ea doceamus: tibiq; in hac ſcholaſtica militia, in quã collocaſti nos, ritè obediamus: Amen.

Hoc exordium inſtituto noſtro conuenientiſsimum, eſſe arbitratus ſum. Si enim vlla alia in re, certè in hoc noui noſtri ſtudij exordio, quod tot tantisq; impedimentis & difficultatibus interiectis hactenus diſtractum eſt, ardentiſsima auxilij diuini imploratione nobis opus eſt.

Cùm autem in hoc congreſſu orationem aliquam à me recitari voluerit Senatus philoſophicus: etſi angor & ſollicitus ſum, cũ magnitudinem officij huius conſidero: tamẽ erigẽdus eſt animus, & parendũ Facultatis iuſſui. Optârim autẽ orationẽ talem à me in hoc honeſtiſsimo doctiſſimorũ hominũ cõſeſſu haberi poſſe, quæ & dignitatis ſpecie, & vtilitatis vbertate ꝓbari auditorib. poſsit. Verũ ea facultas in me non eſt, nec tantum ingenij & iudicij,
tan-

tantaque dicendi copia mihi concessa est. Vtar ego humili voce, & pro ingenioli mei modulo enarrabo præcipua capita historiæ de instauratione vrbis Hierosolymæ, post septuaginta annorum exilium in regno Babylonico. Ac rogo vos omnes, vt me de tanto argumento tam tenuiter verba facientem, philosophica æquanimitate audiatis. Spero certè, nos aliquid solatij, ad institutum nostrum valdè necessarij, inde esse percepturos, etiamsi vtilitas alia non sequatur.

Quomodo vltimus Rex in Iuda Zedechias, à Nabuchodonosore Rege Babylonico cum maxima parte populi in Chaldæam captiuus, effossis oculis, & interfectis filijs abductus sit, totaque vrbs Hierosolymorum diruta, & destructo templo & muris omnibus vastata sit, notius est, quàm vt à me commemorari prolixè debeat. Cùm enim nollet populus obedire consilio & monitis Ieremiæ, suadentis voluntariam deditionem vrbis: sed pertinaciter se defendere conaretur, fretus falsa persuasione de promissione conseruationis regni & templi, Rex Babylonicus vrbem, cum eam iam integrum annum & menses septē obsidione cinxisset, cepit: &

secum

secum populum, omni potentia, dignitate, opibus, & armis spoliatum, in exilium Babylonicum abire coëgit. In hoc exilio quas calamitates pertulerit, itē quot patefactiones insignes, quāta beneficia præter omnem spem & expectationem huic populo Deus exhibuerit, longum esset commemorare.

Quid enim aliud hic populus in commigratione tali, cum hoste potentissimo & valde acerbo, relictis omnibus quæ domi cara habebat, in animo suo cogitauit, nisi vnà cū fortunis etiam corpus ipsum, seu vitam miserabiliter esse amittendam? Deumq; ita esse offensum, vt plus benignitatis & auxilij apud se prorsus residere passurus esset? Quid exilio tristius? quid amissione templi, in quo Deus vnicè coli & inuocari volebat, luctuosius? quid seruitute in terra peregrina & ignota, sub Rege & tyranno potētissimo calamitosius? Nonne tu, si eo loco fuisses, ita penitus tibi persuasisses? Actum est, perijmus: non spes patriæ, non diuini cultus, non recuperandæ libertatis vlla est reliqua. Quantò fuisset melius, in patria terra, inter medios hostes vel centies mori, quā ignominiosam hanc seruitutem ferre? Hæc & alia multa haud du-

dubiè populus tunc ardētibus gemitibus & lacrymis in animo reputauit, in tā luctuosa & funesta captiuitate & fuga: pſertim cùm nec medium nec finem vllum sui exilij & seruitutis ꝓspiceret. Quocunque enim sensus & mentis oculos cōuertit, videt ꝑpetuas exilij ærūnas sibi perferendas esse: cū domū mens spectauit, acerbissimos dolores recordatio ruinæ tēpli & patriæ peperit, nec spes recuperationis & instaurationis vlla eluxit: cū præsentē exilij statū & locū cōsiderauit, nihil nisi seruitutē durissimā, calamitates & ærumnas versari ob oculos cognouit. Adde cōuicia, irrisiones & virulentas gentiū calumnias & sarcasmos. Quoties.n. Iudæis tunc à gentib. obiectas has voces putabimus? Vbi nunc est Deus vester, cui cōfisi estis? qui tot ꝓmissiones edidit de cōseruatione tēpli & vrbis vestrę? Nū ampliusilli cōfidetis? nū ab exilio hoc & ex manib. nostris speratis eū erepturum vos esse? En ꝓmissiones Dei vestri vanas, & spes in eo irritas. Nōne gentiū Dij multò sunt potentiores & meliores, qui victoriam de vobis concesserunt nobis. Iam certè reipsa experimini, aut nihil esse Deum vestrum, aut vos ei non esse curæ. Has cōtumelias perferre multò est grauius & tristius,

ſtius, quàm pati corporis in mille partes diſſectionem. Et tamen tolerare eas Iudæos tunc oportuit. Sed quid putabimus? Oblitusne eſt Deus planè tunc populi ſui? & implacabiliter, quod peccaſſet, ei ſucceнſuit? ſeq; adeò à gentibus irrideri paſſus eſt, vt neque nominis ſui reliquias, nec populi ſui nomen & ſemen conſeruaret? Minimè: ſed in media ſua ira recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & ſuam præſentiam & clementiam erga populum ſuum in acerbiſsimo exilio oſtēdit & declarauit. Etiamſi enim ſuos aliquandiu patitur affligi, trepidare & angi: tamen tandem, cum vel neceſsitas maxima inſtat, vel in ipſa etiam morte conſolatur, liberat & ſaluat: nec paternum ſuum animū vnquam, dum ſpes eſt agnitionis peccati & pœnitentiæ in nobis, penitus abijcit. Ita enim apud Hoſeam, alloquens totum genus humanū per os Prophetæ, de cœlo voce dulciſsima ſimul & potentiſsima concionatur: Commiſeratione incaluit cor meum, commiſeratione exarſit plenitudo mea, non faciam furorem iræ meæ: quia Deus ego, & non homo. Patefecit igitur ſuum animum & benignam voluntatem erga populū Iudaicū inter medios hoſtes

tunc,

tunc, cum ferè superesse spes nulla videretur. Cum enim edicto vniuersali à Rege proposito, omnes statuam à Rege magnificè extructam, & in magnam molem & rectam, iuberentur adorare, & id recusantibus incendium subitum in cádenti fornace Rex minaretur: ecce subitò præter omnium opinionem, tres viri de populo Dei inuenti sunt, qui obedire impio Regis mandato, de adoranda statua, prorsus noluerunt. Hos igitur Rex indignatione & ira incensus, abijci in fornacem, & totos comburi, inspectante multitudine tota, iussit. Sed quid fit? Patiturne Deus in se confidentes, & pro sanctissimi nominis sui gloria mortem oppetentes, prorsus deleri? Nullo modo. Ecce conspicitur inter flammas, vnà cum tribus illis viris in ignem coniectis, ipse filius Dei, Rex cœli & terræ, hic defendit, consolatur & seruat hos viros, ostendens impio Regi, & omnib. eius subditis, se multò esse potentiorem, non Rege solùm Babylonico, qui homuncio erat, & velut vermiculus ad Deum collatus: sed ignis etiam & naturæ totius se esse dominum, velleq; se potenti manu protegere & liberare omnes, qui nomen Dei confitentur. Hîc Deus iterum

eximprouiso apparuit: & clarè suam omnipotentiam & maiestatem, cœlo terráque tremendam ostendit. Tunc miser & exanimatus populus Dei reuixit, & recreatus est, præsentiamq; Dei illustri testimonio cognouit. Tales & multas alias, quas commemorare temporis breuitas prohibet, patefactiones, & viuas consolationes, in populo exulante Deus edidit: testatusq; est, se etiam in ira sua, & extremis malis meminisse, curare & defendere suos. Sed properandum est ad alia. Cùm iam septuaginta integros annos in hoc exilio exegisset & spem recuperandæ patriæ propemodũ totam abiecisset, subitò Deus Cyrum Regem Persarum, sub quo tunc captiui detinebantur Iudæi, exuscitat, eiq; in mentẽ dat, vt ex tristi & diuturna captiuitate Iudæos dimittat. Proponit igitur & diuulgat Cyrus mandatum sper vniuersũm sum regnum, in quo dispersi erant capti Iudæi, de reditu in terram patriam, & reparanda vrbe Hierosolyma. Hac voce quid gratius aut iucundius miseris Iudæis esse potuit? Hinc spes eos optima tenuit recuperãdę patriæ, & instaurandi templi, vnà cũ veri cultus Dei reparatione. Accinguntur ergo ad iter, duce

Zorababele, receptis simul à Rege aureis vasis, quorum magna erat copia, ad repetendum patrios fines. Etsi autem credibile videri potest, vniuersam gentē Iudaicam, accepto hoc læto nuncio, tantaq; recuperandæ libertatis oblata occasione, relicta terra ignota & hostili, in patriam certatim redire voluisse, quàm vt Domini tēplum, & intermissum Dei cultū quamprimum restituerent: tamen tāta fuit quorundam Iudæorum, vt Iosephus ait, peruersitas & pertinacia, vt in terra hostis manere, & possessiones, quas longo captiuitatis tempore parauerant, retinere maluerint, quàm ijs relictis omnē suā operam & industriā ad patriæ instaurationem conferre. Tanta est multorū insania & cōtumacia, vt etiāsi spes melioris status ostendatur, in sua tamē ignobili barbarie, & vt ita dicam, in suo luto hærere malint, quā bona consilia & occasiones diuinitùs mōstratas sequi. Sed hi prorsus mali sunt, & negligēdi. Sic igitur expediti ad iter Iudæi, læti hoc beneficio diuino, ingēti multitudine hominū, nempe 42360. exceptis seruis, ancillis & reliqua ꝓmiscua turba, in patriā reuertuntur, adiuti liberalitate etiā vicinarū gētiū: anno videlicet conditi mundi 3435.

Quis

Quis autem non iure laudet eorũ zelũ, qui mox impetrata poteſtate in patriã redeundi, relictis & poſthabitis omnib. quæ captiuitatis tẽpore in regno Babylon. & Perſico collegerant, ad inſtaurandũ templũ & muros ſanctiſsimæ ciuitatis patriæ animum appulerunt? Obſtrepuit haud dubiè metus periculorũ, inopiæ, & multarũ iniuriarum ab aduerſarijs. Nam iter erat eis cõficiendũ non exiguũ, nempe milliariũ cẽtum & ſeptuaginta, tot enim milliarib. diſtat Babylon ab Hieroſolymis: & in ipſo itinere multos ſciebãt ſibi fore hoſtes: domi verò nouerant eſſe ſibi dimicandũ cum multis aduerſarijs, qui templum & ciuitatẽ iacere quã reſtitui mallent, Nihil pterea, aut parũ ſecũ ex captiuitate aſportare poterant: nec victus erat domi, nõ ſuppellex: ædes erant exuſtæ, muri diruti, agri vaſtati. Quoties animis & cogitatione hos percurrerunt? En hîc habemus qualẽcunq; ſedẽ: licet in exilio & ſeruitute ſimus, ſuppetit nobis mediocris victus, poſſumus viuere in mediocri pace: Sed, ſi relictis his ſedibus domum proficiſcemur, neque domicilia inueniemus, neque ſubſidia vitæ vlla habebimus: præterea, etiamſi magno conatu, totiſque viribus nidulos nobis in

patria construxerimus, mox hostium incursu expellimur, & omnibus facultatibus magno labore & sudore partis, spoliabimur. Quoties illis in mentē venit illud, quod de vitandis mutationibus dicitur: Non esse mutandum præsentem statum, antequá meliorem adeptus sis? Ita enim obijciunt nobis cùm alij homines, tũ nostræ etiã ipsorũ cogitationes. Item: Quàm iustam reprehensionem multorũ, & præsertim hostium incurremus, si relicta hac præsenti sorte spe melioris freti, voti nostri compotes nõ fiemus? Quàm virulentæ enim sunt hostium irrisiones & calumniæ, cùm vident aliquid boni à bonis suscipi, nec optatum exitum habere? En, dicunt, hi sunt inquieti illi, qui præsenti sorte non cõtenti, noua quærunt: & veteribus vsitatisq; contemtis, maiora appetunt, An non meritas dant pœnas suę inscitiæ & petulantiæ? Hæc & huiusmodi innumera absque dubio sæpe multumq; in animo versarunt Iudæi, cùm ex Babylone in Iudæam sunt reuersi. Sed num propterea, quòd tantas difficultates sibi pertimescẽdas esse scirent, institutum suum mutarunt? Nullo modo: sed egregia animi alacritate: quod rectum, vtile, & Deo gratum esse intelligebant,
per-

persequebantur, perrumpebant, nec quiescendum sibi esse putabant, donec destinatum opus perfecissent. Ita profectò faciendum est omnibus qui rem aliquam vtilem moliuntur, vt neq; frangantur metu periculorum, neque permoueantur incerto & dubio operis euentu: sed forti, inuictoq; animo, pium & salutare inceptum continuent, & spe auxilij diuini omnes dubitationes & aduersariorum falsas criminationes superent. Vincit enim veritas mendacium, & retundit quod ex Deo est, omne quod ab hominibus & Diabolo ipso obijcitur. Crescit virtus, & confirmatur pium opus inter inuidiam, odia, obtrectationes, & inter media impedimẽta aduersariorũ: sicut postea in historia latiùs audiemus. Domum iam reuersi Iudæi, non primùm de suis habitationibus & victu parando solliciti sunt: sed primus illorum labor & cura vnica est, vt Domino suo templum faciant, in quo holocausta ei offerri possint. Constituunt ergo primum omnium altare, & holocausta matutina & vespertina super ipso offerunt, incumbuntq; in hanc rem vnicè, vt Dei fauorem, beneuolentiam & gratiá sibi concilient: cæteri ei committunt, cuius man-

datum ſeſe exequi ſciebant. Quid enim noceat hoſtis, ſi protegat Deus? quid proficiat inuidia, ſi faueat altiſsimus? Quomodo deerit victus, dũ miniſter es eius, qui victus creator eſt & dominus? Cures igitur, quæ diuina ſunt, & Deo in vocatione intrepidè ſeruias: non, certò crede, quicquã nocebit. At certè conatus Iudæorũ à vicinis gentibus impeditus eſt. Nam Cuthæi, quibus Salmanaſſer Rex Aſſyriorum Samariam, eiecto populo Iſraëlitico, ad habitandum conceſſerat, prorſus remorantur ædificationem. Etſi enim Cyrus, vt ſupra diximus, publico edicto inſtaurari Hieroſolymam præceperat: tamen tantum effecit inuidia & virulenta vicinarum gentium apud ſatrapas, præfectos ædificationi, quos pecunia corruperant, vt opus incœptum prohibuerint, inſcio Rege Cyro, qui tunc bellis foris gerendis occupatus erat. Quamuis nonnulli affirment, Regem Cyrum à conſiliarijs perſuaſum, reuocaſſe ſuum mandatum de reparatione Hieroſolymorum. Ita ergo opus ædificationis bono omine cœptũ, fraude & calumnijs aulicis impeditur: & hæc lætiſsima initia miſerè turbantur, viuo adhuc Cyro, cuius

ius mandato suceptaerant. Posteacùm in regno Persico succederet Posteacùm hostis omnis religionis, hæc instauratio seuerissimo edicto prorsus prohibetur: cùm accusassent nimirùm Samaritani &alij sycophantæ aulici Iudæos acerbissimè apud Regem, quòd essent rebelles, & propter rebellionem & perfidiam & defectionem à Regibus Babylonicis iam olim esset eorum terra vastata, & ipsi in Assyriam abducti. Neque pacem vllam inter vicinos esse posse dictitabant, si ciuitatem illi suam repararent. Vsi sunt etiam haud dubiè alijs sycophantijs atque calumnijs apud Cambysem, qui tunc bellum erat illaturus Ægyptijs: quod videlicet cauendum & omninò esset, ne perfida hæc Iudæorum gens, fœdus cum Ægyptijs contra ipsum faceret. His aduersariorum artibus differtur ædificatio vsque ad secundum annum Darij; hoc est ad annos nouem integros. Hic alius actus est fabulæ, miscentur tristia lætis. Trepidant iterum Iudæi, anguntur & in summo periculo sunt, reliquerunt sedes suas, quas in captiuitate habuerunt: iam amittunt etiam spem recuperandæ, aut reficiendæ patriæ. Hic

attentè,quæſo,cogitate, quanta fortunæ viciſsitudo ſit, & quàm mirabiliter Deus ſuos regat,nunc exhilarat,nunc perturbat, nunc euehit, nunc deprimit. Vix incœperant lætis initijs conceſſam inſtaurationem templi, & cultus diuini : & mox iterũ acerbiſsimo incommodo repellũtur, vt retrocedant, & quod plena fiducia incoarant,animo dimiſſo & abiecto iterum relinquant. Quem tum illis animum fuiſſe putabimus? Quibus oculis incoatum ædificationis opus aſpexerunt? qua mente acta templi fundamenta intuiti ſunt? quibus lacrymis prohibitionem cultus diuini & ſacrificiorum proſequuti ſunt? O ſcelus, ô furorem, ô impietatem diabolicam Regis & ſycophantarum,qui opus tam pium,vtile & honeſtum impediuerunt. Sic proh dolor, fere ſemper ſolet Diabolus reſiſtere pijs cœptis, & quantum poteſt, excitat ſua organa, ſycophantas & maleuolos,inuidosq; homines,vt manibus pedibusq; conentur diuina opera remorari. Sed quid proficiunt tales? Num perpetuò, quod in votis habent,obtinent, & perficiunt? Nequaquam. Ad tempus quidem ſinit Deus eos ſæuire, & animi ſui libidinem explere : verùm breuì durat furor,

&

& dum vix respiciunt, & dum vertunt se, quod aiunt, interitus ipsis adest. Fremant igitur, ringantur, superbiant, insultent nobis egregiè? non nocet. Nubecula sunt, citò transitura: & consilia conatusq; eorum, quantumuis ingeniosè cogitati, & potentia Principum & Regum muniti, ceu fumus dissipantur. Venit iterum post nubila Phœbus: ita enim iustū est deludere impios, vt cum putant se iam in portu nauigare, & certam victoriā sibi pollicentur, subitò corruant. Ita etiam in hoc tristi Iudæorum tempore, densa & minax erat nubecula Cambyses, cuius furor angebatur indies alijs atq; alijs sycophantarum calumnijs. Nam per se religionem Iudæorum oderat, & incitabant eum quotidiè magis & magis sycophantæ aulici aduersos Iudæos. Sed hoc iucundū est, quòd nulla nubes perpetuò durat, sic neque furor aulicorum, neque tyrannis Cambysis potuit esse diuturna. Non ergo desperandum est, sed spe melioris fortunæ omnes acerbitates vincendæ sunt. Est enim hæc summa Christianorum ars, ignota reliquis gentibus, sperare dilata, & perseuerare in hoc proposito ad finem: quantumuis mundus & tota na-

turæ facies reclamare videatur. Non enim quæ ante pedes modò ſunt, intueri nos oportet: ſed altiùs eſt efferendus animus, & ea etiam quæ inuiſibilia ſunt, tanquã quæ ob oculos verſantur, credere & expectare decet. Exemplũ illuſtre ſuppeditat hæc hiſtoria. Venit enim tempus, quo neq; Rex Cambyſes impedire inſtaurationẽ Hieroſolymorũ, neq; aulicæ calumniæ quicquã Iudæis nocere potuerunt. Nam & iuſta diuini numinis vindicta, miſerabiliter proprio cõfoſſus gladio perijt Cambyſes: & æquanimitas ſuccedẽtis Regis Darij erga Iudæos, calumniam ſycophantarum omnẽ ſuſtulit. Et hoc ipſo quidẽ tempore turbulentiſsimo, conſolationem accipiunt Iudæi, per Prophetas Haggæum & Zachariam, qui in media afflictione benè ſperare eos iuſſerunt, & ad conſtantiam in ſuſcepto opere hortati ſunt. Nec multò poſt, cum ſe per Epiſtolam apud Darium excuſaſſent, nouum mandatum Regis acceperunt: quo iuſsi ſunt duces Iudæis vicini, vt inſtaurationem templi & politiæ Iudæorum non ſolùm non impedirent, ſed omnibus inſuper neceſſarijs ſubſidijs adiuuarent. Tunc ergo iterum læti ad opus incoatum reuertuntur, & im-

pigrè, quod animo intenderant, perficere pergunt, nec deeſt etiam ſucceſſus: Nam perfecta eſt domus anno ſexto regni Darij, & celebrata eſt dedicatio templi, peſah, & ſolennitas azymorum, cauſa honoris & gloriæ Dei omnipotentis Iſraëlis, qui populũ ſuum quidem aliquandiu affligi in captiuitate paſſus fuerat, & poſtea etiam furori impiorum Regum & aulicorum calumnijs ad breue tempus indulſerat: ſed glorioſè tandem iterum in patriam adduxit, repreſsisq́; hoſtium conatibus, proſperum ſucceſſum inſtaurationis templi præbuit. Venit etiam aliquot annis poſt Eſdras ſcriba ex Babylone Hieroſolymam, cum diplomate & priuilegio Regis, qui adduxit ſecum maximam partem populi captiui. Huius aduentu, ædificatio mirum in modum adiuta eſt, veruſq́; Dei cultus & politia reparata. Ad extremum venit quoque Nehemias, Regis Artaxerxis pincerna: cuius adminiculo intra duodecim annos totum opus ædificationis abſolutum eſt. Hæc eſt læta inſtauratio vrbis Hieroſolymæ, quæ etſi diu dilata eſt, & multis magnis difficultatibus impedita: tamen quia in nomine Dei

Dei suscepta & incoata erat, imperfect esse non potuit. Quanto autem labore & molestia Iudæis constiterit, non facilè cu iusquam mens cogitando consequi, ne dum dicendo exprimere potest. Non e nim læuia fuerunt impedimenta, de quibus suprà dixi: sed tanta, vt animum etiam fortē & celsum prope frangere, & ab instituto auertere posint. Et accesserun crebræ incursiones hostium in vicina habitantium, insidiæ, fraudes, irrisiones, machinæ: sed his omnibus non modò non mutati sunt animi ædificantium Iudæorum, sed confirmati etiam. Cumq; co iurassent aduersus Iudæos, Samaritano rum princeps Sanballat, Arabes, Ammo nitæ & Asdodij, vt Hierosolymæ instaura tionem oppugnarent, & facta irruption opifices distraherent, & abigerent: ipsi o ratione asidua & frequenti ad Deum su um sesē contra hostes munierunt, hocq; ἀμυντηρίῳ validisimo & inuicto omnē aduersariorum impetum represserunt, & retardârunt. Neq; ita oratione sua & auxilio Dei freti sunt, vt media à Deo ordinata negligerent: sed vigilantiam & in dustriam suam cum ope & protectione diuina coniunxerunt. Ita enim operas &

vigilia

vigilias diſtribuerunt, vt pars iuuenum opus faceret, & pars arma gereret, quibus irruentes hoſtes repellerent. Erant prætereа etiam ſinguli ædificantes accincti gladio in lumbis ſuis, & vna manu ſua quiſq; faciebat opus, altera gladium tenebat. Præclarum verò Iudæorum facinus, omniumq; vocibus, literis, prædicatione & imitatione dignum. Hinc petamus exempla fidei, & tolerantiæ in grauiſsimis afflictionibus. Hinc documenta capiamus conſtantiæ & magnanimitatis, in contemnendis periculis, hoſtium minis, obtrectationibus, calumnijs, & nefarijs molitionibus, cæteriſq; impedimentis, quæ ſeſe offerunt, *cum rem* aliquam piam, honeſtam, & *magnam* tentamus. Sed quorſum, fortaſsis inquies, hæc? Quorſum? Huc videlicet, vt nos quoque, quibus literarum profeſsio in hac Academia commendata eſt, ſimili zelo, conſtantia, induſtria, & ſtudio, ſuſceptum munus tueamur & exequamur. Iacuit hæc Academia per aliquot annos deſerta & ſpreta, non ſine ingenti detrimento Eccleſiæ & Reipublicæ. Nemo eius miſertus eſt, nemo opis aliquid ferendum eſſe duxit. Fuit hæc calamitas verè exilium, quod nemo noſtrûm

ſtrûm ſine incredibili dolore animi pertulit, nec medicinam tamen vllam huic malo inuenire potuit. Etſi enim pro virili quiſq; laborauit ſedulò, & profeſsionis ſuæ munus quantum potuit quiſq; obijt: tamen cùm multa deſiderarentur alia, quæ fortuna pertinaciter denegabat, non potuimus quicquam præclari nauare, aut efficere. Hîc quanti gemitus piorum quorundam Profeſſorum, quibus cordi eſt Academia, intercelſerint, quàm graues querelæ ſæpe habitæ ſint, non libet commemorare. Hoc tamen quod res eſt, auſim non dubiè affirmare, magis de inſtauratione & ſalute huius Academiæ eos ſolicitos fuiſſe, quàm de propria incolumitate & fortunis cæteris. Scio de quibus hoc loquar, & animus nominare geſtit: ſed reprimo me. & Deo autori ſummo & vnico id quidquid ſecutum eſt boni in hac Academia, acceptum refero. Is exaudiuit vota & gemitus noſtros aſsiduos, & tandem, licet ſerò, nos reſpexit. Is tandem ſpem aliquam procul oſtendit: hanc ſecuti ſumus, nec operam, ſtudium, diligentiam, fidem & induſtriam in nobis deſiderare paſsi ſumus vllam, quo propter honorem Dei, gloriam filij eius IESV Chriſti, commu-

nemq;

nemq; Ecclesiæ & Christianæ Reipublicæ vtilitatem aliquod studium in hac Academia excitaretur. Nec fefellit spem & conatus nostros euentus. Nã post multas solicitudines, tandẽ à prudẽtissimo Senatu impetrauimus potestatem vocandi clarissimũ & doctissimũ virum, Magistratũ, Paulum Dumerichiũ, ad Dialecticæ, Ethicæ & Mathematũ in hoc Collegio professionem: & adiuti etiã sumus in hac parte Senatus quodã beneficio, quo locupletius & honestius stipendiũ ei numerare possemus. O prædicandam liberalitatem Senatus, qui eo ipso quòd nonnihil subleuare Facultatis sumptum voluit, indicauit, probari sibi nostrũ studium in prouehenda & ornanda Academia, & fauere se literis bonis, earumq; cultoribus & studiosis. Hac inquam potestate impetrata, exorauimus mox Paulum Dumerichium, vt suam operam in explicandis artibus, de quibus antè dixi, nobis promitteret. Postea cùm accederet etiam legatum prudentissimi viri D. Hartmanni Mack, consulis huius Reipublicæ Erphurdensis, augendũ esse numerũ Professorum duximus. Itaq; exorauimus clarissimũ & eximium virum, D. Doctorem Brunonem Seidelium, vt suam quoq;

operam

operam aliquam, ad iuuandam & illustrandam Academiam conferret: id quod pro suo incredibili erga literas amore, & prouehendæ rei literariæ cupiditate liberaliter pollicitus est, & fidelissimè præstabit.

Quot verò & quanta impedimenta, moræ & res aduersæ interim obiectæ sint, malo tacitè apud animum cogitando percurrere, quàm verbis explicare. Vt enim suprà in historia dictum est, quosdam Iudæos etiam data potestate libera redeundi in patriam, in captiuitate manere maluisse, quàm relictis possessionibus & facultatibus quibus consueuerant, sanctuarium Dei, & vrbem patriam reparare: Ita semper inueniuntur multi, quibus magis placent vsitata, quamuis deteriora & perniciosa, quàm noua magnarum vtilitatum causa diuinitus oblata. Pessimum genus hominum, qui dum ipsi meliora non vident, ea ne ab alijs quidem monstrata recipiunt, neque vllam aliam causam sui facti habent, nisi quòd præsentia quædam commoda, quemadmodum Iudæi quidam improbi in captiuitate, amittere nolint. Sed hos omitto, qui obstrepere quidem bonis cœptis, & reluctari aliquandiu possunt, impedire tamen ea prorsus & perpe-

perpetuò nequeunt. Cùm verò multi ea leuitate & improbitate ſint, vt de noſtris hiſce conatibus tam iniquè iudicent: libet ex eis quærere, quid ſibi velint? cui repugnent, cui detrahant, cum te honeſtiſsimo Academiæ inſtituto, quod multo labore, & inprimis aſsiduis votis & interpellationibus diuini Numinis conſtitit, impio ore, & virulento pectore verba faciunt? Non certè noſtram famam, multò minùs vitam lædunt: ſed in Deum ipſum creatorem & ſeruatorem cœli & terræ, qui autor eſt huius inſtituti noſtri, contumelioſi ſunt. Ita enim ſtatuite mecum omnes collegæ obſeruantia, fide, reuerentia colendi, ex Deo eſſe quod agimus. Ipſius eſt munus, literarum ſtudia excitare, fouere & augere. Quod cùm ita ſit, obediamus Deo, & mandatum nobis officium faciendi operas ſcholaſticas in docendo & prælegendo in hac Academia, animo alacri amplectamur: in eaq; militia impigrè ſeruiamus Eccleſiæ Chriſti, laboranti, & indigenti doctis viris: nec deſimus etiam Reipub. quæ non minùs quàm Eccleſia, opem & adminicula eruditorum virorum deſiderat. Quid facere poſſumus præclarius? quid DEO gratius? quid com-

muni, societati & vitæ humanæ vtilius, & nobis ipsis honestius coram Deo pariter & hominibus? Impedimenta sine dubio multa sese offerent: & inprimis offendet fortasse nonnullos Studiosorum paucitas, virulentæq; maleuolorum hominum obtrectationes: sed nos exemplo diui Seueri, intenti simus in ea quæ officij nostri ratio à nobis exigit, & fabellas vulgi, sinistraq; aliorum iudicia, & quicquid est huiusmodi, celso animo negligamus: imitemurq; in hac nostra militia feruentissimos Dei cultores, Iudæos, qui nullius periculi metu, nullo odio, nulla penuria, nullis deniq; hostium minis, calumnijs, impressionibus & vellicationibus ab instituto auerti se patiebantur. Qui autor est nostri instituti operis, efficax est & potens, vt perficiat: preces tantum nos adhibeamus Deo, & strenuè laboremus, euentus Deo certissimè erit curæ. Oportet esse aduersarios, obtrectatores, inuidos omnium bonorum consiliorum & actionum, vt probetur & dignoscatur quod bonum est. Nulla enim certior & euidentior nota est honestarum actionum, & operum bonorum Deo placentium, quàm inuidia & malorum hominum obtrectatio.

Nun-

Nunquam bella bonis, nunquam certamina desunt:
Et cum quo certet, mens pia semper habet.

Vt Prosper in Epigrammate ait. Nunc ad vos me conuerto, Domini Magistri, viri optimi, & amici integerrimi: vos appello, qui priuatim iuuentuti erudiendæ, docendisq; bonis literis operam nauatis. Videtis, admirando Dei beneficio, mediocre studium artium & linguarum in hac Academia instaurari, lectionesq; tales in ea institutas esse, quæ satis facere posse cuilibet Studioso videantur. Vestrũ igitur est, vera beneuolentia complecti Academiam, cuius alumni estis: eamq; reuerentiam ei tribuere, vt omnibus debitis pietatis officijs, studio, & votis etiam ad Deum conceptis, illam iuuetis & ornetis. Adducite ergò huc discipulos curæ & fidei vestræ commissos, & in gremium matris nostræ communis Academiæ reponite, eiq; quasi consecrate. Hoc enim officium vestrum postulat, hoc pietas ergà matrem vestram exigit, suadet idem quoq; necessitas. Quid enim facietis vtilius? quomodo prospicietis rationibus discipulorum vestrorum melius, quàm si eos adsuefaciatis, vt in hoc gymnasio doctorum

Professorum, quos Deus nobis largitus est, lectiones ordine & certatim audiant? Hic certè honos Præceptoris est amplissimus, tales habere discipulos, quorum diligentia & industria publicis & communibus Præceptoribus innotescat & probetur. Nec debetis, neq; potestis contemnere aut extenuare lectiones publicas, sed ad eas omnem vestram priuatam disciplinam & doctrinam accōmodate vnicè. Non enim prohibemus priuatas lectiones, sed stabilimus potius. Quamuis enim publicas lectiones audiri ab omnibus Studiosis, qui ad eas idonei sunt, velimus, atq; adeo præcipiamus, tamen multa interim relinquuntur priuato Præceptori, nempè auditarum lectionum repetitio, scriptorum, in quibus stilus exercetur, recognitio, poterunt etiam adiungi lectiones aliæ si necesse sit: sed fere non alijs horis, nisi quibus publicè non legitur. Confusa hactenus fuerunt ista, non est seruatus ordo, nō diligenter auditi sunt Professores publici: inde etiam incommoda multa manarunt. Et quidem belli nonnulli Magistri consultò dehortati sunt Studiosos à lectionibus puplicis: aut certè non eis commendârunt illas, vt officium & ratio expostulat.

postulat. Sed habuerunt hi, quo se quasi iure quodam excusarent. Obiecerunt enim nobis ferè semper paucitatem Professorum, & lectionum tenuitatem: at nunc quo prætextu autoritatem Professorum, & vtilitatem lectionum extenuabitis? Sunt etenim in artibus pariter & linguis lectiones ita institutæ, vt conqueri amplius nullo modo posſitis. Quoties deplorandum esse existimastis miserum huius Academiæ statum? Quoties aliquam instaurationem optastis? Ea nunc Dei beneficio nobis aliqua ex parte contigit. Quare vt antea doluistis, ita nunc lætamini: & quod diu multumq́; optatum tandem tulistis, gratis animis amplectimini, vestraq́; pietate, fide, diligentia, & coniunctis nobiscum viribus, literarum studia in hac Academia augete atq; ornate. Talem animorum & operarum coniunctionem vnicè à nobis omnibus efflagitat, & suo iure exigit hæc communis nostra mater Academia. Hanc igitur tueamur, & communibus officijs pietatis, veræq; beneuolentiæ indies augeamus & firmemus. Quod si fecerimus, aderit nostris conatibus fons & autor omnis boni Deus, & labores nostros fortunabit &

prouehet absq; dubio, vt sint salutares Ecclesiæ & politijs. Si qui verò adeo superbi aut contumaces visi fuerint, vt hoc concordiæ vinculum vnicè nobis necessarium rumpere ausint: in eos, vt par est, animaduertemus seueritate ea, quam ipsa necessitas à nobis exigit.

Venio etiam ad vos, Studiosi, alumni & filij Academiæ nostræ carissimi: agnoscite præsens beneficium mediocris reparationis studiorum, gratulamini vobis, gratulamini inquam, de tanta tamq; exoptata occasione & felicitate discendi bonas literas in hac Academia, vestraq; diligentia, obedientia, pijs simul ad Deum conceptis precibus, eam certatim iuuate, ornate augete. Vobis Deus benè vult, vos respexit, vos amat, vestris commodis consulit, dum literarum aliquod studium inter nos suscitat. Vestrum enim ministerium & industriam desiderat & requirit, in obeundis & administrandis amplissimis & diuinis suis officijs in Ecclesia & Republica. Vos expedit & vocat suos vicarios & Angelos in terra. Vestra igitur causa artes & linguas doceri vult, vt vera saluta riq; doctrina instructi, aliquando accedaceda-

cedatis ad gubernationem Ecclesiæ, scholarum, & cæterorum officiorum politicorum, quæ opem & lumen artium nostrarum desiderant, & sine ijs fœliciter geri & seruari nequeunt. Vos igitur, quod alumnos Musarum, &, vt Esaias Propheta ait, plantas cœli, satas ad glorificationem Dei, decet, vtraq; manu, & veriùs toto pectore, hanc discendarum literarum occasionem in hac Academia amplectimini, & discite vera obedientia & pietate artes & linguas à Præceptoribus vestris: inprimisq; commendatos vobis habete, vnà cum cæteris Professoribus, quorum fides, diligentia & industria longo tempore perspecta & cognita est, nouos istos Professores, quos videtis, qui vtiles & salutares doctrinas vobis tradituri sunt summa cum fidelitate, vigilantia & perspicuitate. Quos equidem nisi æquè ac parentes ipsos dilexeritis, audiueritis & honoraueritis, prorsus mali & amentes sitis. Pollicentur vobis suum studium, deferunt operam, communicare volunt omnẽ suam doctrinã, quam magnis sumtibus, difficultatibus, peregrinationibus, multis deniq; vigilijs & laboribus compararunt. An non hos totis animis audiendos,

venerandos, colendosq́; esse censetis? Ita ergò faciemus omnes: nos, qui docendi muneri sumus præfecti, bonas literas sedulò fideliterq́; tradamus, moneamus, obiurgemus, vbi necesse est, & incitemus iuuentutem: cæteri Magistri priuatim repetendo, scripta emendando & prælegendo, vbi opus est, publicè vero disputando, & alia necessaria munera obeundo, certatim ac strenuè nos iuuent: donec & ipsi ad publicum prælegendi munus vocentur. Studiosi autem discendo, obediendoq́;, & vitæ integritate suam militiam, atq; adeo totam Academiam ornent.

Nunc, cùm videam me tam amante & benignè auditum esse: par est & conuenit, me gratitudinis etiam aliquod documentum dare. Ago ergo gratias toto pectore vobis omnibus & singulis, Viri magnifici, spectabiles, clarissimi, doctissimi pariter & humanissimi, quòd hoc initium studiorum & lectionum, in facultate nostra Philosophica, præsentia vestra, beneuolentia & æquanimitate, exornare volueritis: vosq́; oro, quanta possum animi contentione, vt paterno animo, sicut facitis, Academiam hanc in posterum etiam complecti, fouere, iuuare

&

& serare constanter pergatis: & tantum opis & emolumenti, quantum quisque potest, ad eam augendam & illustrandam certatim conferre nō desistatis. Pro hoc officio amplissimam & iucundissimam remunerationem à Deo quisq; expectet, & à nobis gratitudinem Philosophis dignam suo iure reposcat. Dixi.

Oratio V.

DE IMMAVELE.

CREDO ego multos vestrûm mirari mecum, quid sit, quòd cùm aliæ anni partes pleræque commoditate iucunditateque antecellant: Filius Dei assumpta carne nostra, hoc squalido & duro brumæ potissimùm tempore nasci & in lucem hanc edi voluerit. Affert enim natura, vt frigoris asperitatem, hyemisq; sæuiciam reformidantes, verno & æstiuo tempore, negotium arduum suscipere, aut iter longinquum ingredi malimus, quàm in hoc brumali tempore, quando Sol procul à nobis ad Antipodas recessit, & omnia frigore rigent, cessatione torpent, & tota naturæ facies squalidior est. Quæ igitur res

tanta est, tamque grauis, quæ filium Dei, Immanuelem nostrum impulit, vt hoc hyberno frigore dierumque angustia in carnem ad nos venerit? quia consociare se nobiscum & aggregare in numerum nostrum voluit, sustinendo & perferendo cõmunes cum fratribus & sororibus suis miserias atque calamitates, quas fert hæc vitæ nostræ conditio: quò nimirum tentatus in omnibus, magis affici sensu infirmitatum, & alleuare ærumnas nostras posset. Vt autem iucundior multò aspectus est amici in temporum difficultate aut rerum asperitate, quàm cum aduersi nihil accidit: Ita gratior est nobis aduentus Filij Dei tantò, quantò tempus ipsum in quod incidit, grauius est, & durior fortunæ, quæ nos vrget, conditio. Sit itaque per se, aut sua etiam natura, triste hoc tempus: nobis certè lætabile est inprimis & gloriosum. Quòd enim in frigore acerbo ad nos venit: certissimum argumentum est benignæ voluntatis, quòd frigere nobiscum voluerit, quò fouere nos, & à rigore legis eripere posset. Quòd verò in bruma natus est, qua minima lucis diurnæ vsura nobis relicta est, & squalore omnia, quocunque aspicimus, oppleta sunt: indicio est eum

tunc maximè nobis adesse velle, cum versari in rerum angustia videmur, & ope præsidioque destitui. Cumque se ipsemet Filius Dei per os Prophetæ Malachiæ Solem iustitiæ nominet: exprimere etiam Solis naturam in hoc ipso natiuitatis suæ tempore voluit. Sunt enim duo puncta in margine Eccentrici, per quæ Sol quotannis permeat & transit: alterũ Apogæum, quod lõgissimè distat à terra: alterum Perigæum, quod ad terram propius multò accedit. Fuit autem nascente Christo Sol in Perigæo: & tamen languidiùs terram illo tempore brumali calefacit. Iccirco quia radios obliquos in Horizontem nostrũ spargit. Nonne hæc est illustris imago, quasi quodam speculo filij Dei mores repræsentans? quippe qui præsentiam suam, cùm in ipsà natiuitate, tum in tota etiam gubernatione, sic moderatur, vt non solùm ab impio mundo, sed ab ipsis etiam Christianis interdum minùs perspiciatur? Quid enim aliud sibi vult acerbitas querelarum Ecclesiæ sponsæ, in Cantico Canticorum Salomonis, de occultatione & amissione sponsi? Quæsiui & non inueni illum: vocaui & non respondit mihi; Ecce stat post parietem nostrum

ſtrum, proſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos: niſi vt hæc varietas & viciſsitudo præſentiæ & occultationis Christi in ærumnis & tentationibus depingatur. Quid eſt ſtare poſt parietem, aut proſpicere per feneſtram? quam obliquè aſpicere nos & è conſpectu euolare rurſumq; emergere, atque apparere: Id quod fit ſanè, cum filius Dei angi nos & trepidare ad tempus bene longum patitur: vt opem in diuturnis cruciatibus fruſtrà implorare videamur. Veruntamen reſpicit tandem, & claram faciem nobis oſtendit: cum vel luctantes cum dolore & deſperatione adiuuat, vel conſolatur, vel liberat penitus. Neque ſanè facere aliter poteſt, nec ſenſus affectusque eius humanus atq; fraternus perpetuò eos iacere atque dolere ſinit. Icci rco enim ad nos venit & ὁμοούσιος nobis factus eſt, aſſumta carne noſtra, vt ſit Immanuel, hoc eſt, Deus incarnatus, vel Deus nobiſcum conſociatus & coniunctus, perpetuo & arctiſsimo fœdere carnis, atque adeo omnium affectuum atque ſenſuum humanorum, abſque peccato. Quod quidem fœdus, vt quemadmodũ ſe habeat, & quãta bona nobis adferat, cõſiderare attẽtiùs poſsimus: de dulciſſima-

ſsima appellatione Immanuelis cõmoneſacere nõnulla aggrediar, quæ conſolari nos in hoc tẽpore, mœſtitiam eripere & ad verã in Deo Saluatore & fratre noſtro lætitiã inflãmare poterunt: te duce inprimis & autore Immanuele, qui lætitiæ omnis ſalutaris fons & dator es largiſsimus.

Eſt autem Immanuel vox ſanctæ linguæ propria, cõueniente admodum compoſitione duas naturas, diuinam & humanam, cõplectens & copulans. Nam Deum ſic cum homine coniungit & vnit, vt vna perſona ex vtroque fiat. Ex quo verus Deus eſt Immanuel, ἀμήτωρ, ineffabiliter genitus, καὶ ἀγενεαλόγητος abſque genere, abſque initio & fine dierum, vt habet Epiſtola ad Hebræos: & ſimul etiam verus homo, ἀπάτωρ, ſine patre ineffabiliter conceptus, ſumta carne de noſtra carne, ex vtero Mariæ virginis: vt nobis ſit carne & ſanguine iunctus, tum ſenſibus etiam ipſis ſocius & æqualis: ſine labe tamẽ ea, quam nos ex lapſu relictam circumferimus. Admiranda verò & ſtupenda copulatio naturarũ tam diſsimilium. Quid enim tam eſt contra & præter omnem naturæ ordinem quàm ſpecies diſparatas ita cõiungi, vt altera

ra prædicetur de altera? absq; tamen confusione, sineque conuersione aut mutatione alterius in alteram. Rectum enim putamus, & sic iubet nos fides Christiana loqui: Deus est homo, & homo est Deus. Quod si ad communem naturæ ordinem accommodes, æquè erit absurdum, ac si dicas: Aqua est terra, terra est aqua. Verùm hîc non consulendus est naturæ ordo, de specierum distinctionibus, non audienda ratio, nec adhibendæ artis disserendi regulæ: superat copulatio omnem naturæ vim, vincit omnem captum & intelligentiam Angelorū & hominum. Ex quo & non iniuria Paulus tanquam in re inperuestigabili exclamat: Sine controuersia magnum est, inquiens, mysterium, quòd Deus apparuit in carne, iustificatus est à Spiritu visus est ab Angelis, prædicatus est gentibus, fides illi habita in mundo, denique assumtus est in gloria.

Sex hîc commemorat membra plena arcanæ sapientiæ, & digna admiratione prædicationeque Angelorum & hominum. Primùm enim quid admirabilius esse potest, quàm quòd Deus, alioquin inuisibilis, & in luce inaccessa

habitans, ex sede seu throno suo arcano prodit, & nostra carne assumpta, in oculis, & ore hominum versatur, familiariter nobiscum loquitur, & fratrem nostrum se profitetur, talisque etiam à nobis haberi summè cupit, neque tamen id facit φαντασίᾳ ἢ δοκήσει, tanquam spectrum nostris mentibus atque sensibus illudens, vt nefario maximeque detestando errore finxerunt quondam hæretici, Valentinus, Marcion & Manichæi. Sed reuera humanam naturam assumsit, factus homo integer & perfectus, habens omnes facultates & membra animæ & corporis, cum *omnibus appetitionibus naturæ nostræ conuenientibus*: peccatum semper excipio. Vnde & Esaias cùm *Immanuelem* eum vocasset, tribuit illi mox appetitum naturalem, cum inquit: Butyrum & mel comedet, perinde vt alij pueri, quos cibo potuque conueniente nutriri oportet. Tum auctricem etiam facultatem illi assignat, cùm asseuerat eum vnà cum ætate etiam iudicium conformaturum & confirmaturum esse de reijciendis malis, & eligendis bonis: vt nihil omnino desit ad

veri-

veritatem humanæ naturæ in hoc Immanuele.

Secundò, non minus certè mysterium est, quod ait Paulus: Iustificatus est à Spiritu. Quid quæso opus est iustificatione Spiritus, huic tā iusto Immanueli? Etiam hoc membrum eò pertinet, vt veritatem carnis stabiliat: Est enim iustificatus Immanuel à Spiritu, id est ornatus testimonijs Spiritus publicis & priuatis, in ipsa cōceptione, in Baptismo, in miraculis, in Pentecoste, denique in pectoribus singulorum credentium: quò videlicet manifestum fiat omnibus, nec vllum dubium relinquatur, quin verus sit Immanuel, talisque à nobis omninò habeatur, atque colatur.

Tertiò ait, eum ab Angelis esse visum: quod quidem euidens humanæ naturæ argumentum est. Quid enim viderunt Angeli tanta cum admiratione, nisi hanc ipsam vnionem humanæ naturæ & diuinæ. Hanc certè non cum admiratione solùm, sed cum stupore etiam (si modò stupor in Angelicam naturam cadere potest) spectarunt. Quando viderunt eum? In natiuitate, cùm cecinerunt hymnum: Gloria in excelsis Deo: in horto luctantem cum mor-

morte: In reſurrectione & aſcenſione in cœlum.

Quartum teſtimonium veritatis humanæ naturæ addit Paulus, cum ait: Prædicatus eſt gentibus. Quorſum enim pertineret tot vocibus tamque varijs linguis prædicare Christum crucifixum & reſuſcitatum, paſsim in toto terrarum orbe, niſi verus homo propter noſtram ſalutem factus eſſet?

Quintò quid abſurdius eſſet, quàm credere in Immanuelem, niſi verus Immanuel exiſteret? Deniq; quid euidentius carnem Immanuelis demõſtrat, quàm glorioſa in cœlum, victa morte, cunctisq; hoſtibus aſcenſio?

Vt autem de priore particula huius dulciſsimæ vocis Immanuelis, quòd nimirum verus homo ſit, nobis ὁμοούσιος, ex his quæ commemoraui hactenus, dubij nihil relictum eſt: Sic nec de altera, quòd Deus ſit, ambignum habere quicquam debemus. Eſt enim, ſine controuerſia, E L Deus ille infinitæ potentiæ & ſapientiæ, à quo omnes res initio conditæ ſunt, & deinceps etiam à nutu & voluntate eius reguntur atq; pendent. Exodi 6. inquit Deus: Apparui Abraham, Iſaaco & Iacobo in

Deo omnipotente. Vbi EL Sadai ponitur, quod haud dub. est, in filio meo coæterno & coëssentiali mihi. Et Ieremiæ 32. Deus ille magnus, præpotens, dominus exercituum nomen eius. Huius dictionis fama ad Græcorum quoq; aures peruenit, quippe qui ex ea suæ linguæ vocem formarunt, quæ ἥλιος est, cui vim inspiciendi & exaudiendi cuncta tribuit Homericus iste versus:

Ἠέλιος θ᾽ ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷς, καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις. Sed valeat Idolomania Ethnica, quæ creatorem cum creatura confundit. Tametsi enim à Propheta quoq; Immanuel appellatur ἥλιος δικαιοσύνης, Sol iustitiæ: tamen translatum est verbum illud, quo pulcrè, tanquam stella notantur & illuminantur eius in nos beneficia, de quibus postea commodior erit dicendi locus. Iam hoc in causa relinquatur, Immanuelem nostrum esse personam vnam ex duabus naturis constantem, quarum vna est λόγος, altera σὰρξ, vt Iohannes nominat, cum inquit: λόγος σὰρξ ἐγένετο. Vbi quidem λόγος non est ἐνδιάθετος ἢ προφορικὸς, id est, decretum seu sonus euanescens, sicut furenter contendit Samosatenus:

nus: sed est ὑϛαιώδης, quiddam subsistens seu ὑφιςάμενον: Σάρξ verò non carnem tantùm, sed potiùs integrum hominem significat, habentem omnes vires naturæ proprias, absq; peccato. Sed quid vult sibi sequens vox, ἐγένετο; Num mutatus est λόγος in carnem, aut alioqui confusio naturarum facta est? Minimè, non enim mixtæ aut confusæ sunt naturæ, nec humana conuersa est in diuinam, vt commentus est Eutyches, qui etiam mortuum esse τὸν λόγον, Hyperbole planè Diabolica finxit. Nec diuidi etiam aut separari vna natura ab altera potest: Iccirco quia fœdere æterno sic vnitæ sunt, vt sit & maneat vna persona: rectè itaque Catechismus noster: Credo quòd Iesus Christus verus DEVS à patre ante secula genitus, & verus homo ex Maria virgine natus, sit meus Dominus. Quid verò est verus Deus à patre ab æterno genitus, & verus homo ex Maria virgine natus, nisi Immanuel? Et e conuerso, quid est Immanuel? nisi verus Deus & verus homo, in vna persona, sine confusione, sine commutatione, sineque separatione, duabus naturis concurrentibus, vt verbo Synodi

Chalcedonensis vtar, quod apud Euagrinum lib. 2.cap. 4. extat.

Sed quare Deum simul & hominem esse hunc Immanuelem oportet? Hîc a persona ad officium nobis transeundũ est. Vt enim duas naturas hypostatica vnione vnitas in Immanuele nostro hactenus asseruimus: sic causas nunc, cur id factum sit, perpendere non tàm religiosa fides, quàm salutis nostræ ratio postulat. Non enim existimandum est Immanuelem nostrum sua causa, aut ad perfectionem sui eguisse carne nostra: cùm Deus sit, cui deesse nihil potest. Sed propter nos homines & propter nostram salutem æternæ & diuinæ suæ naturæ copulauit hanc humanam: vel vt Paulus inquit: Cùm in forma Dei esset, formam serui assumsit: quod est, ad diuinam suam essentiam assumsit essentiam & proprietates naturæ nostræ. Id enim est forma in hoc Pauli dicto. Quorsum tandem, aut cur id fecit? quia voluit noster esse frater ac socius, sanguine & carne nobis coniunctus, & omnino idem esse, qui sumus nos, demto peccato. Quia voluit carne sua pura, sancta & integra nostram carnem impuram, ream & labefactatam purgare, sanctificare & in pristinum

num ſtatum innocentiæ, & integritatis reſtituere. Quia voluit in carne, id eſt, anima & corpore humano perferre mortem & pœnam, quam animus & caro noſtra commeruerat & luere in omne tempus debebat. Quia carnem noſtram ſubuehere ſecum in cœlum, glorioſo triumpho voluit, & ad dexteram patris collocare, quò ſpes vitæ cœleſtis nobis firmior præberetur: quia carnem & ſanguinem ſuum manducandum & bibendum dare nobis voluit in cœna ſua, vt ſit pignus amoris ſui in nos perpetui, & alimentum fidei efficaciſsimum.

Age verò harum rerum quantum vnaquæq; valeat, quantumue momenti ac ſolatij miſeris nobis ſuppeditet, paulò accuratius diſpiciemus. Quantũ inprimis eſt vinculum ſanguinis & propinquitatis eius, quo ſe Immanuel nobiſcum coniunxit, cum caro de carne noſtra factus eſt? Magnum vtiq; hoc eſſet, ſi in forma Angeli ad nos viſendos & ſubleuandos veniſſet. Nam & ſic ſuperior & præſtantior nobis fuiſſet: verũ quia par nobis & ὁμούσιος planè eſſe voluit, animam & corpus noſtrum cum omnibus proprietatibus ordinatis, appetitionibus, affectibus, & ſen-

sibus cæteris assumsit: quò nimirum penitus sese insinuaret in familiaritatem nostram & specie nostra indueret. Quæ est, quæso, vlla coniunctio aut societas, si hæc non est? quod vinculum potest cogitari maius ad astringendum fidem, amorem & benevolentiam inter hominem & Immanuelem? quæ porro ægritudo animi, vel infirmitas valetudinis corporis incidere potest, cuius sensu non afficiatur Immanuel? Quia enim animi nostri sensus affectusq; circumfert, & carnem nostram retinet: fieri profectò aliter non potest: quin nobiscum etiam lætetur & doleat. An non hoc ipsum est, quod Epistola ad Hebræos prædicat? Non habemus, inquiens, pontificem, qui non posit συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν, affici sensu infirmitatum nostrarum: cùm & ipse non solùm corpus & animam parem & similem nobis habeat, sed insuper etiam tentatus sit in omnibus. Te igitur, ô dulcis Immanuel, ô frater germane, qui mentem, sensus & os nostrum geris, vt quicquid tristis lapsus nobis abstulit, id sanguine & morte tua reparares & augeres, quibus laudibus efferemus? quibus studijs prosequemur? qua beneuolentia complectemur?

ctemur? Profectò si vitam nostram profundamus, si omnes afflictiones, quas fert hæc infelix & ærumnosa vita, in mundo isto perferamus: non vllam tamen partem meritorum tuorum assecuti videbimur.

Magnum quoque illud est, quòd impuram nostram carnem, sensusq; hebetes, stupidos, & à Deo auersos, carne sua immaculata mundare, & sensibus suis sanis & integris excitare, illustrare, & ad veram Dei notitiam sanctitatemq; reducere voluit. Quæ res equidem sudore & sanguine multo constitit. Nam in carnem suam squalorem nostræ carnis omnem transtulit, & in animam suam cæcitatis & peruersitatis nostræ pœnas doloresq; vniuersos deriuauit: vt à nobis in illum, tanquam in sentinam confluxisse sordes cunctæ videantur. Etsi autem peccati non solùm vestigia, sed ipsius etiam pœnam in anima & corpore nostro reliquam quotidie sentimus: tamen re ipsa mundati sumus, vt succũbere peccato non possimus. Et quicquid reliquum est, id in Immanuelis nostri meritum reijcere impunè, libereque possumus: quippe cuius sanguine profuso in Baptismate abluimur, cuius

tanta vis eſt, vt ſi in immenſum etiam cumulata eſſe videantur peccata noſtra, ſufficiens tamen & expletum in ipſo λύτρον inueniamus.

Quanti verò faciendum eſt, quòd mortem ipſam tàm fœdam grauemq; paſſus eſt? vt per eam nos æternæ mortis reos & iam tum iuſta legis ſententia damnatos ex fati inferniq; faucibus eriperet. Quod profectò aliter à nobis accipi non debet, quàm quòd mortem à noſtra carne in ſuam tranſtulit & expiauit. Immo quod etiam nunc, quoties mortis pauor aut ſenſus nos circumuenit aut vrget: quoties Satanas atq; infernus, aperto ore ac faucibus interitum nobis minantur; quoties in tantas anguſtias adducimur, vt ſalutis expediendæ ratio nulla ſit reliqua; hic ipſe interuenit Immanuel, mediumq; ſeſe offert: me, inquiens, intuere, me amplectere, ego pro te mortuus ſum, vt tu vincere poſsis; labefactata eſt vis peccati, repreſſus furor Satanæ, fractæ inferorum portæ. Quocirca bonum in me habe animum: ego pro te, in hac ipſa carne, quam aſſumſi, ſatisfeci, vt tu immunis eſſes. Hanc vocem Immanuelis puta in auribus tuis ſonare, & cor ipſum ferire, quoties obrepit

acrior peccati aut doloris sensus atq; cogitatio.

Nec minoris certè æstimandum est, quòd secum in cœlum vexit carnem nostram Immanuel, vbi & ad dextram patris nunc sedet, & nos omnes eodem inuitat & prouocat, nec, nisi perfecta re de nobis, conquiescit. Hoc ipsum enim expostulat fraterni amoris vis, exigit sanguinis coniunctio, efflagitat capitis & membrorum naturalis coniugatio: vt alterum absque altero esse neq; velit, neque possit. Idq́; vt ratum, firmum, fixumq́; esset: arrabonem carnis à nobis accepit, & vexit in cœlum pignus totius summæ aliquando eodem redigendæ, vt venustissimè dixit Tertullianus in libro de resurrectione carnis. Quo, quæso, quid dici potest, vel ad consolandum aptius, vel ad exhilarandum animos nostros efficacius? Veniant nunc pericula, ingruant procellæ, obruant calamitates, vrgeat morbus, premat egestas, vexet odium, exilium, aut si quod est aliud hisce par, aut fortè etiam grauius: non iccirco animum demittemus, sed erigemus potius, suspicientes in eum, qui carnem nostrã subuexit in cœlum, & membra nostra, quamuis, ægra moribundaque

mox tectis ac sedibus suis cœlestibus recepturus est. Ideoque humana hæc, quantumuis acerba despicientes, & infra nos ponentes, feramus oculos & mentes ad cœlũ identidem, breuì futurum sperantes vt ex hoc squalido & ærumnoso ergastulo liberati, in complexum & sinum fratris nostri dulcissimi veniamus, & diu optatum desiderium germanæ beneuolentiæ insatiabiliter expleamus.

Postremò quantum est, quòd carnem illam suam, vnà cum sanguine nobiscum benignè liberaliterque adhuc communicat? cùm in sua sancta cœna, vnumquemque nostrum appellando, amanter ad accipiendum fruendumque inuitat: accipe, inquiens, comede hoc meum corpus, quod exhibeo, & bibe hunc meum sanguinem, quem pro te profudi: quò absque vlla dubitatione credas, me verè tuum esse, & velle te meum esse vicissim. Caue putes vllam & societatem vel necessitudinem maiorem intercedere vlli cum vllo posse, quàm est hæc ipsa corporis & sanguinis communio: quæ nimirum hanc vim habet, vt fere per eam copulemur, coagmentemur, & concrescamus in vnum corpus, cuius caput ipse est, nos verò mem-

membra ab eo pédentia, omnem ſuccum, vigorem, vitam & ſpiritum inde accipimus. Nec nunc quidem intelligimus, quanti referat Immanuelem hominem & Deum verum eſſe? certè ſi Deus ſolum eſſet: nullum ingentium iſtorum beneficiorum, quæ preſtrinxi breuiter atque attigi, in nos pertineret. Vt verò tam cumulatè hæc omnia in nos collata ſint & redundent, efficit hæc vna humanæ & diuinæ naturæ copulatio & perſonalis vnio in Immanuele noſtro. Nec tamen ſola natura humana tot tantaque opera efficere potuiſſet, ſine natura omnipotente & diuina: vt friuolum planè ſit atque impium commentum eorum, qui ψιλὸν ἄνθρωπον eſſe Immanuelem noſtrum finxerunt. Quod neque cum nomine ipſo, neque cum re conſentit. Non enim ſuſtinere tantam molem iræ diuinæ aduerſus peccatum ſola natura humana potuiſſet, neque tollere peccatum, vincere mortem, expugnare Sathanam, deripere infernum, ſatisfacere legi, tum iuſtitiam vitamque æternam reparare, Spiritum ſanctum largiri, & nos à tot tantisq; periculis atq; inſidijs, quæ quotidie in nos intenduntur, defen-


defendere. Oportuit ergo vtrumque esse Immanuelem nostrum, Deum scilicet & hominem: quo nō tam ferre, quàm superare mortem posset, nec tam affici in firmitatibus nostris, quàm easdē sanare & tollere, tum motus cordium inspicere, gemitus & preces exaudire, atq; afflictis opem salutemq; afferre. Denique cùm causa agatur inter Deum & homines: res postulat talem mediatorem, qui vtrumq; sit, Deus & homo. Alioqui certè differere cum Deo non posset, vt suauissimè dixit Chrysost. Ἄνθρωπος οὐκ ἂν ἐγένετο μεσίτης. Ἔδει γὰρ καὶ τῷ θεῷ διαλέγεσθαι. Homo nō potuisset esse Mediator Oportebat enim etiam cum Deo colloqui. Cùm itaque Christus sese in pacificationem inter Deum & hominem interposuerit: Immanuelem eum esse, hoc est, Deum & hominem necesse fuit. Iccirco ad illum omnis etiam oratio nostra, vota & suspiria diriguntur, quia μεσίτης est καὶ ἱκέτης intercessione & interpellatione sua nobis gratiam & salutem impetrans: Est enim in sinu patris penetrans intima patris, indeq; omne consilium, decretum & voluntatem Dei, de nostra salute profert & enarrat.

Ta-

Talem igitur cùm habeamus Immanuelem: quid eſt, quòd aut mortis metu, aut inferni formidine, aut vitæ huius aſperitate admodum terreamur, aut cruciemur? quid obſtat aut impedit, quò minùs lætitia efferamur, atq; geſtiamus? hoc ipſo præſertim brumali tempore, quo miranda natiuitas Immanuelis noſtri recognoſcenda eſt & altiùs cogitanda. Verùm cùm mentes noſtræ ſint hebetes, frigeant corda, ſtupeant linguæ: ad te cõfugimus magne Immanuel, & à te illuſtrari & acui pectora, incendi corda, & procudi linguas petimus: quo tuum hoc inæſtimabile myſterium admirari, magnifacere, amplecti, vocibusque & laudibus ardentibus celebrare poſsimus.

Fac itaque, magne Immanuel, vt in his feſtis atque ſolennibus diebus γενέθλια tua caſtè, ſanctè, & hilarè recordemur & meditemur: gratias tibi inprimis agentes totis animis, pro iſto tuo ingenti & immenſo in nos amore, quòd carnem de carne noſtra aſſumpſiſti, quò frater & ſocius noſter fieres. noſtramq; impuram carnem tua ſancta carne mundares: in carne mortem pro nobis ſuſtineres: carnem noſtram in cœleſtem thronum ſubueheres: & denique

que eam, omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi nobis in cœna tua ſacra impertires. Te rogamus etiam, & obſecramus veris votis atque precibus, vt fidem in nobis excites & augeas: quò hæc bona omnia firmo aſſenſu amplectamur, vera fiducia in caritate tua acquieſcamus, & grati pectoris ſigna, motus & fructus edamus: Te Immmanuelem noſtrum in animo & ore ſemper habentes, & in cœlum ſuſpicientes, deſiderium lætabilis tui reditus identidem renouemus: quò erepti aliquando ex hoc mundo, inſidijs, fraude, ſordibus, ſcelerIbus & calamitatibus affluente, tecum in æterna conſuetudine, cum lætitia & integritate viuamus:
Amen.




Ora-

Oratio VI.

DE MICHAELE PRINCIPE MAGNO.

QVÆ precati ſumus à ſummo duce Michaêle, collegæ & diſcipuli iucundiſsimi, more quodam inſtitutoq́ue ſcholæ, ſuperiore anno, cùm feſtus atq; ſolennis dies ſancti Michaëlis agitaretur: vt is noſtrũ Principem AVGVSTVM, Electorem, Dominum clementiſsimum, cum inclyta familia, Eccleſiam, ſcholas, magiſtratum, atque adeò ſingulorum ciuium ac patrum familias, in hac terra Miſnica, vitam, fortunas & ſalutem, ſua æquitate & fide tueretur: *ea nobis* plenè cumulateq́ue eiuſdem *Michaëlis* benignitate atq; munere contigiſſe arbitror. Integra enim eius beneficij ſunt omnia: ſaluus Princeps, florens domus Saxonica, incolumis Eccleſia, inuiolata hæc ſchola, tranquilla regio, cœli aſpiratio ſalubris, frugum ac fructuum copia ad victum cultumq́; ſufficiens: & quod in ſummi boni numero locoq́; meritò ducimus, reliquus eſt verbi DEI & Sacramentorũ vſus, nullo fuco, nulliſq́; opinionum cõmentis illitus aut deprauatus. Hæc niſi

nisi tā magna esse fateamur vt ea nullius nostrûm mens cogitando assequi, multò minùs celebrare verbis satis posśit, impij & ingrati simus. Cui verbo alij accepta illa referemus, nisi vni Michaëli nostro, duci & patrono magno, qui stat vel propugnat pro populo suo, vt eius vitam, bona, fortunas defendat, & omnem vim iniuriamq; ab eo propulset? Hoc duce in hunc vsque diem incolumes sumus: is bona tot tantaque, quanta ne sperare quidē in hac squalida mundi senecta ausi sumus, nobis tribuit. Is principem texit scholam. fouit pacem, tranquillitatem, ocium, concordiamque præbuit. Is vrbes, tecta, templa conseruauit. Is sanitatem & commoda cætera, quibus fruimur, suppeditauit. Hæc igitur nos, qui in pietatis ludo & dicendi officina viuimus, tacita feremus? Equidē cùm pro paruo beneficio gratiam nos non habere solum, sed referre etiam pietas iubeat: quo tandem animo nos esse decet in eum, à quo tam cumulatè omnia, siue huius mortalis vitæ vsum, siue immortalis animæ salutem spectes, nobis commodantur? Tibi ergo, dux magne Michaël, gratias agimus tantas, quātas hæc mentium nostrarum acies obtusa, & hi sensus nostri hebe-

hebetes, tardi & pingues capere possunt, pro amplissimis tuis in nos meritis, omnium Angelorum & hominum linguis & vocibus celebrandis: quòd Ecclesiam in hac regione tanta constantia protexisti, eamq; à furore, impostura & insidijs hostium, Satanæ & administrorum eius, defendisti, Principem, caput huius regionis, atq; adeo Christiani orbis oculum, cum Illustrissima familia tanta clementia custodiuisti, ludum hunc inclytum tam benignè tutatus es, pacem, sanitatem, victum, & omnia commoda corporis & animæ copiosè liberaliterq; largitus es. Tibi cum Patre & Spiritu sancto, vni, soli, vero, omnipotenti, sancto, immortali, iusto, forti, misericordi & benigno, sit omnis laus, honos, gloria, celebratio, viuenti, regnanti, prælianti, propugnanti pro populo tuo omnibus seculis.

Cùm autem nihil tàm gratum acceptumq; sit, inuictissimo duci Michaëli, quàm pietas: neq; illi quicquã à nobis egenis & tenuibus tribui referriq; possit, præter piam & liberalem prædicationem meritorum eius: age, de gestis & laudibus illius commemorare quædam ex diuino verbo, quod ex sanctissima eius mente &

ore, tanquam ex augusto fonte profluxit, voce summissa] & humili aggrediamur. Accipiet ille, mihi credite, hoc qualecunque studium nostrum, probabit grati animi significationem, delectabitur pietate nostra, non aspernabitur infantiam, nec repudiabit balbutientes: quippe ex quorum ore rubor sibi fundat, vt in Psalmo scriptum legimus.

Est autem Michaël, vt à nomine incipiam, ipse Dei filius, coëssentialis & coæternus patri, infinitus, omnipotens, inuictus, sapiens, misericors & bonus, qui cum Patre & Spiritu sancto initio omnes res fudit, & adhuc sustentat, qui Ecclesiam omnibus temporibus colligit, eamq; labe peccati deformatam & perditam, fuso suo sanguine, expurgauit, & in integrum restituit. Hunc Principem magnum appellat Daniel. Quare Principem? quia regnum habet potens iustitia, affluensq; sanctitate, salute & beatitudine. Cur magnum? quia potentiam eius, maiestatem, amplitudinem & gubernationem nulla temporis circumscriptio metitur, nec vlla locorum spacia, regiones, aut fines terminant. Data enim est illi gentium hæreditas & vsq; ad fines orbis terræ possessio.

At

At quodnam eſt huius Principis regnum? Certè imperia huius terræ ſic diſpertita ſunt, vt aliud Germanorũ ſit, aliud Hiſpanorum, aliud Turcarũ, aliud Perſarum, quorum nullam partem ſibi hic Princeps Michaël vendicat. Quid igitur? Spirituale regnum ſibi reſeruauit, terram verò filijs hominum conceſsit. Hæc verò eſt ſancta, catholica Eccleſia, hoc eſt, cœtus hominum ex omnibus partibus mundi excerptus, renatus & ſanctificatus per verbum Dei & Spiritum ſanctum, & verum Sacramentorum vſum, ad cognoſcendũ, colendum & celebrandum hunc principem Michaëlem, non tam in huius mortalis & caducæ vitæ curriculo, quàm in cœleſtis & immortalis vitæ conſuetudine. Huic igitur quotquot ſeſe aggregant, & hunc Michaëlem, principem, ſeruatorem & interceſſorem apud Deum pro ſe agnoſcunt, inuocant, & ſpem ſalutis omnem in hoc vno collocant: hi ſubditi illius ſunt, & membra regni eius, ab eoq; diliguntur, curantur, fouentur, reguntur, defenduntur, & bonis æternis donantur atq; cumulantur. Quid verò agit hic Princeps? quid molitur aut efficit? Stat, inquit Daniel, pro populo ſuo. Quid eſt

ſtare pro ſuis? certè nihil aliud, quàm curare, alere, tegere & tueri ſibi commiſſos & confidentes, cauereq; ne quid vel ad ſalutis rationem deſit, vel vis aliqua, fraus, iniuriaúe inferatur. Excellens eſt in hoc verbo emphaſis, ingens pondus, inexhauſta vis. Qui enim ſtat pro alio, ſaluum eum præſtat, hoc eſt, metu, terrore, periculo omni liberat, & certam ſalutis ſpem, portum atq; refugium præbet. Quia igitur ſtat pro nobis, populo ſuo, hic Michaël: certum eſt, idq; exploratum omnino ducamus, ſatis firmum nos habere præſidium, vt tuti eſſe poſsimus ab inimicis, quantumuis ſuperbè, crudeliterq; ſæuientibus ac penè ignem ac fulmina ſpirantibus. At quinam ſunt tandem hoſtes, qui tam potenti, æterno & inuicto principi repugnare audent? Multi profectò, immo innumerabiles. Foris eſt non ſolùm mundus hic, qui totus in malo iacet, ſed princeps etiam mundi, Diabolus, cum ſuis immanibus ſtipatoribus & ſatellitibus, poteſtatibus, mundi dominis, rectoribus tenebrarum ſeculi huius, ſpiritibus malitioſis & aſtutis, in ſublimi vagantibus. Hi furentes odio, audacia, impudentia, ingrata facere, quæ poſſunt omnia, huic principi

Michaëli

Expreſsio

Michaëli conantur, eiusq; regnum vel euertere, atque delere, vel certè minuere, & abstrahere ab eo, quotquot possunt. Iccirco omne studium suum, operam, vires & potentiam in illius perniciem meditantur atq; conuertunt. Cùm enim semel cum contumelia & iactura salutis omnis throno cœlesti deiecti sint, quòd fraudes inexpiabiles concepissent: nunc nihil nisi metum, terroremq; pœnæ sempiternæ ob oculos cernentes, & cum horrore tremoreq; singulis momentis postremum iudicium formidantes: præcipiti furore atque sæuitia in pios grassantur: quo vnà secum in æternos cruciatus atque tormenta quàplurimos abducant. Horum sanè quanta sit rabies, quanta violentia, quàm astutè cogitati doli, machinæ, fallaciæ, præstigiæ, nullius nostrûm mens aut cogitatio capere, nedum eloqui satis potest. Non enim gladijs ex ferro factis, non æratis telis nos adoriuntur, nec instrumentis alijs, quæ videri oculis aut repelli manibus posint, nos aggrediuntur, sanguinem & vitam nostram petentes: sed iaculis ignitis & spiritualibus technis atq; insidijs oppugnant nos, de corporis simul & animæ pernicie exitioq; cogitantes. Talibus inimicis,

perinde vt aëre ipso, circumfusi, septi, & circundati sumus, quibus die noctuq; nihil deliberatius est, quàm nos vno impetu euertere, omniaq; nostra inflammare, diripere ac delere. Cùm enim labe, odio, inuidia, maleuolentia, scelere ipsi vndiq; referti sint, & quicquid increpuerit, iudicij extremam sententiam pertimescant: cupidiùs sese furor eorum inflammatus & præceps iactat & exerit: quò extremam libidinem animi sui explere, & affiare suum virus & malum quàmplurimis alijs possint. Iccirco alium ad aliud maleficium incitant, ad libidinem, ad luxuriam ad auaritiam, fraudes, perfidiam, odium, inuidiam, obtrectationem, calumniam, contemtum Dei: huic crus, alij brachium lædunt? huic capitis morbum, alij pectoris dolorem faucibus suis afflant: nunc pecudi, nunc agris & satis; nunc domui, nunc familiæ detrimenta & damna adferunt. Nolite enim existimare, morbos, pestem, famem, confusiones regnorum, tumultus, bella, expilationes, direptiones, iniurias, & id genus alias miserias in gente humana grassantes, à Deo proficisci, qui bonus est, & à quo nil, nisi bonum ad vos dimanare potest. Est autem boni

boni natura eadem ſemper, omnesq́; adeo effectus eius boni ſunt, ad conſeruandum, congregandum & communicandum ſe cum alijs directi. Ex quo ſanè intelligitur à Deo id quod malum eſt, perfluere nullo modo poſſe: ſed à Satana eiusq́; adminiſtris & ſatellitibus, quicquid eſt morborum, calamitatum, incommodorum, & moleſtiarum in mundo, nobis aſpergi. Is enim non ſolùm per ſe malus eſt, ſed ad inficiendum etiam, diſsipandum, & deſtruendum bona omnia acutus, propenſus & incitatus. Hic igitur eſt, qui odio immani in nos ardet: hic eſt qui Eccleſiam turbat, ſcholas vaſtat, politias diſsipat, diſciplinam confundit, priuatas domos impugnat, pacem conuellit, concordiam labefactat, ſanitatem lædit, omnia miſcere & peruertere conatur, quò ingrata Deo plurima faciat, & ſtragem maximam edat. Huius tanta eſt rabies, tantusq́; furor & ſæuitia, vt nutu vno omnia erueret & perderet, niſi Princeps ille magnus Michaêl ei reſiſteret, exercitu & acie inſtructa conatus illius nefarios retundens atque reprimens. Etſi enim Diabolus acer eſt, vigilans & intentus ad nocendum bonis: tamen multò acrior, vigilantior & paratior

eſt ad tegendum, tuendum, & ſeruandu
ſuos noſter Michaël. Videas hîc exercit
vtrinq; probè armatos. Ex vna parte p
ſuis ſtat princeps Michaël, cum ſua milit
cœleſti: ex altera eſt Satanas, cum ſtipat
ribus ſuis, ſpiritibus immundis, blaſph
mis, periuris, mendacibus, qui ſceler
fraude & maleficijs toti, quanti ſunt, p
ſcuntur. Vter laceſsit hoſtem? Satanas il
furioſus, inquietus & ſæuus, circumiens
velut leo rugiens dies & noctes, adeoq;
ſingulis momentis in noſtram perniciem
omnes ſuas cogitationes, & vires vni
meditans atque parans. Hic Eccleſiam a
oritur, ſerens falſa dogmata, vel confu
onem opiniorum efficiens, vel doctores
ad priuatas æmulationes, ambitionem,
auaritiam, aut alia mala incitans, vel i
auditoribus contemtum miniſterij ſancti,
ſeu verbi diuini & Sacramentorum, Epi-
cureum contemtum & alia flagitia ſuſci-
tans. Illic ſcholas inuadit, doctrinam arti-
um deprauans, lites pernicioſas docenti-
bus inſtillans, vel ad vitæ morumq; turpi-
tudinem impellens, vel diſciplinam ipſam
labefactans, diſcipulis odium Præcepto-
rum, contemtum doctrinæ, artium & li-
beriùs viuendi libidinem ſuggerens, vel
pec-

peccandi illecebras & occasiones submi-nistrans: vt quod apertè non audent facere, id clam aut noctu, inscientibus Præceptoribus, aggrediantur atque tētent. Ad eundem sanè modum priuatam etiam domum cuiusque patrisfamilias telis suis petit, coniugum consensum dissipans, liberorum educationem impediens, familiam ab obedientia debita abstrahens: denique ad perfidiam, ad mendacium, ad maleficia, ad responsationem, & mala infinita prouocans. Pari conatu politias impugnat, concordiam magistratus ciuiumque conuellens, iura omnia euertens, cædes, iniurias, fraudes ciuibus inculcans. Quid multis? non locus est, quò non hostis hic *sceleratus* penetret, non momētum *temporis, quo* non omnes ingenij neruos ad nocendum comparet atq; contendat. Nunquid ergo satis tibi lacessere hostis ille videtur? certè non vlla hîc quies est, nec vllus inducijs relictus locus, sed omnibus momentis oportet principem nostrum Michaëlem iusta & necessaria pro nobis arma cum sua cœlesti militia inducere. At quomodo ille hostem adeò ferocem, atque immanem reprimit? Stat inquit Daniel, id est, probè munitus, accin-

ctus, & instructus est nō diuina solùm potentia, sed præsidio etiā Angelico, numeroso & inuicto. His viribus hostem oppugnat, prosternit atque vincit. Quo enim cunq; se cōuertit Satanas, præstò est hic Michaël cum stipatoribus suis, increpans Diabolum, arcens eius insidias, & furorē propulsans. Non commouere se ille potest, quin videat hic Princeps noster: non consilium aut dolū vllum versare, quin multò antè prospiciat noster Michaël. Deniq; infinitis modis vigilantior est hic noster ad propugnandum, quàm aduersarius ad oppugnandū. Non locus, non conclaue, non semita, non cubiculum, non lectulus, non officina, nō ager, non flumē, non pons est, quo non præsidium mittat & collocet Michaël: vt tuti incolumesq; incedere, habitare, proficisci, opus facere. somnū capere, transire posint Christiani. Non enim est ociosus spectator Tragœdiæ, quam Satanas agit in mundo, sed omnes nutus eius obseruat, & oculis intētis omnia aspicit, vt vbicunque opus est, opē ferat. Quoties igitur videt insidiantem Diabolum, mandata dat Angelis suis, huic ad tuendū te in itinere, ne vel pede vel crure, vel alia corporis parte vacilles aut lædaris. Alij ad defendē-
dum

dum in lectulo, in mensa, in officina. Quocunq; ergo aspicis, Angelis te circũdari cogites, qui te comitantur, custodiũt, tegunt & fouent, iussu summi illius Principis, qui cura tanta attingitur de te tuẽdo, vt mente & cogitatione perpetua te complectatur, nec præda fieri vnquã hosti patiatur. Neq; verò Angelorum præsidio solùm tutos nos ille à tantis hostibus præstat, sed armis etiã duplicibus nos induit ac munit, quò & ipsi luctari & cõgredi cum hoste possimus. Nã & tegumenta corporis tribuit, φυλακτήρια Græcis nominata, & tela suggerit, ad arcendum hostem comparata, quæ Græcis ἀμυντήρια vocãtur. Quæ verò sunt tegumenta nostra? Ipsa virtus, δύναμις, vt Petrus vocat, Dei per fidem ad salutem. Hæc custodit nos, hæc tuetur, hæc stantes in acie atq; conflictu protegit, immo iacentes erigit, luctãtes cum desperatione solatur, & præsidium tutum firmumq; præbet. Hæc nimirũ fides in Dei virtute, bonitate, misericordia, & filij ipsius merito fixa & locata vnicũ præsidium nostrũ est, in tãta miseria & lucta perpetua cum Satana & Angelis eius. Quicquid. n. cogitamus, instituim⁹ aut suscipim⁹ salutare, id õne prælucẽte hac fide in Christũ Mediat. fieri decet. Hæc nostra

tur-

turris est, hæc propugnaculũ, hæc portus, ad hanc iustus confugit, & liberatur, vt sapiens inquit. Atque hæc quidem non externa, neque visibilia sunt arma, sed intus in corde parata à sancto Dei Spiritu per sanctum ipsius verbum, quod audire nos vult, amplecti & tenere. Reliqua sunt arma externa, videlicet oratio gemitibus, suspirijs, votis, lacrymis, voce, gestu, & sermone contra hostem pugnans. Hac armatura induti, omnem vim, impetum, iniuriam & periculum, quod in nos intenditur à Sathana propulsamus, hostesque multò fortiùs quàm lapidibus aut ferro fugamus & auertimus. Hac salutem expedierunt Apostoli, cum excitatis à Diabolo fluctibus, in summo periculo naufragij essent. Quo enim alio præsidio præsentem mortem fugarunt, quàm precatione hac? Serua nos Domine, perimus. Eadem se defendit mulier Syrophœnissa, cuius filia à Dæmonio acerbè cruciabatur, dum clamauit: Miserere mei fili Dauid, filia mea à Dæmonio misere diuexatur. Nec alijs armis vsus est Ionas, in vẽtre ceti, tanquam inferni faucibus occlusus, quàm clamore & inuocatione Dei, & liberationem etiam certam consecutus est. Iisdem igitur armis nos

quoq;

quoq; vti conuenit, ad arcendum Diabolum, & declinandum eius insidias, dolos & conatus omnium maximè nefarios, scilicet fide, tanquam anima, & precatione, velut motu vitali. Tunc non deerit nobis præsidium vllum necessarium, quantumuis vndiq; pauores & pericula in nos impendeant. Fides enim nititur duce Michaële, salutisque suæ rationem sic cum eo implicatam habet, vt stante hoc cadere illa non posit. Oratio verò perinde vt suauis susurrus, aut odor gratus, hunc ducem oblectat & afficit.

Adiungitur hisce præsidijs etiam alia custodia, per sanctum Ecclesiæ ministerium, quod peccata remittit territasq; & sauciatas à Diabolo conscientias erigit & sustentat, tum communibus precibus cum Sathana dimicat: & dato corpore ac sanguine Christi in fide Michaëlis nos roborat. In hunc ordinem pulcerrimum propugnationis ac defensionis salutis nostræ intueri, nonne spectaculum est animæ iucundisimum? Supremo loco stat Michaël, inuicto robore & diuina potentia septus atque munitus. Huic secundo loco assistunt millia millium, & decies millies centena millia Angelorum, ad nutum volun-

tatemq́; eius ſe totos conuertentium, & ad miniſterium noſtrum omnibus horis atque momentis paratorum. Tertio loco eſt fides & oratio. Poſtremo miniſteriũ ſanctum. Tot igitur tamq́; diuini præſidibus ſepti, an non ſatis muniti contra hoſtes Diabolos ſumus?

Sed fit, neſcio qua mentium noſtrarum imbecillitate ac prauitate, vt cùm ferociã tantam, tamq́ue incredibilem Satanæ vim conſideramus: vel infirmã ducis Michaëlis potentiã eſſe putemus, vel certè minus promtum atq; paratum nobis eius præſidium atq; auxilium exiſtimemus. Quia enim Satanam ſæuire in Chriſtianos ſinit, & tot calamitates, morbos, clades & neces nobis miſeris inferri patitur: opprimimur interdum & vix reſiſtimus nobis, quin in eam cogitationem incidamus, vt potentiã Diaboli maiorẽ eſſe opinemur, quàm vel frãgi atq; impediri poſsit, vel certè nos ope atq; præſidio Michaëlis, ſanctorumq́; eius miniſtrorum deſtitui planè nobis perſuadeamus: præſertim cùm fluctus tentationum, concurſusq́; calamitatũ nos obruit, & omnia quæ intuemur, aut cogitatione complectimus, aduerſari nobis videntur. Tum ſi quaſſari politias, labefactari Eccle-

ſiam, affligi ſcholas cernimus, aut ius æquumq́; peruerti, florere & furere improbos, contra verò opprimi & laborare probos, fame, inediaq́; contabeſcere pios, & odio & inuidia innocentiũ ardere impios, contemni & abijci moderatos, euehi & dominari ſuperbos: hîc quid aliud mens, quid animus tuus diſputat, quàm licentiá quiduis faciendi impunè conceſsã eſſe Satanæ eiusq; miniſtris & organis, nec eſſe vllum qui conatibus eius amplius reſiſtat: Hæc communis eſt nobis õnibus opinio, partim innata nobis, partim ætate vſuq; corroborata. Sed vnde veniat & quorſum ſpectet, diligenter attendite. Plura hîc cõcurrunt, ingens eſt mentis & carnis noſtræ cæcitas atque prauitas, quæ non ſinit nos oculis rectis aut iudicio æquo rem tantam intueri atque æſtimare. Error itaque eſt pernicioſus nobis ipſis, & contumelioſus in Deum, Diabolo, eiusq; Angelis plus potentiæ aut virium tribuere, quàm à duce Michaële illi permittitur. Ille enim, vt ſemel Satanam cœlo expulit, & poſtea homo factus, caput eius contriuit, omnem eius potentiã comminuens: ſic per omne tempus eum coërcet & reprimit, circulum in naribus eius ponẽs, frenũq; in labijs, ne

graſſari

graſſari pro libidine & furore ſuo poſsit, aut extra modum conſtitutum prodire. Quorſum verò pertinet tam immoderata licentia, tamque effrenatus & inflammatus furor Diaboli? quorſum? huc videlicet vt in conflictione exardeſcat fides, & concitetur precatio & clamor. Etſi enim victus eſt Diabolus, & potẽtia omni exutus, per eum, qui propterea venit in mundum, vt opera Diaboli deſtrueret, mundique principem condemnaret: tamen lædit adhuc calcaneum Chriſti, Eccleſiæ immani odio ardens, Chriſtianos crudeliter inſectans & atrociter vulnerans, vſq; ad extremũ diem, quo iuſto iudicio à Michaële principe & victore magno in æterna ſupplicia præcipitabitur. Interea ſæuit & furit eò rabioſiùs, quò ſcit diem illum abeſſe propius: Deinde ad excitandam & inflammandam precationem nullum remedium eſt efficacius, quàm calamitas. Vt enim acria condimenta appetitionem cibi & potus irritant: ſic occaſio & magiſtra precationis eſt crux atque calamitas. Ad acuendam igitur inuocationem Dei, opus eſt certamine & lucta cum Diabolo, mundo, carne, & alijs hoſtibus. Hinc tot tamque innumerabilia mala ſunt, quibus affligimus

fames, pestis, odium, inuidia, calumnia, contemtus, iniuria, dolus, infelicitas consiliorum & conatuum in vocatione, dissidia, bella, quibus omnibus irritari vult noster princeps Michaël, & augeri in nobis precandi curam & asiduitatem: cùm quidem in ocio & voluptatibus ignaui planè simus, languescatq; & extinguatur innocationis ardor. Est & alia causa tantæ sæuitiæ Diaboli in miseram nostram naturam, videlicet peccatum; quo in actu posito, quid aliud sequi, nisi pœna potest? Quamobrem si tuti à Diabolo eiusq; ignitis telis esse volumus, à peccando desistamus necesse est. Tunc hætere in nobis nullum Diaboli iaculum poterit, nec vllæ eius, quantumuis ingeniosè excogitatæ insidiæ, aut fraudes nobis nocebunt. Nihil enim est, quod tam offendat Michaëlem nostrum magnum, quàm peccandi cupiditas: nihil quod longius repellat Angelorum eius præsidium, quàm libido: nihil quod magis irritet Satanam, aditumq; illi ad nos oppugnandos patefaciat, quàm profana securitas, dissoluta consuetudo, & in delictis perseuerantia. Hæc vbi regnant, non Michaëli, non stipatoribus eius, nec vlli cœlestis militiæ

consorti locus relictus est. Impietas enim attrahit Diabolum, non aliter ac Cæcias nubes, aut Magnes ferrum. Ac vbi impie quis viuit aut contemnit verbum Dei, indulget voluptatibus, earumq; se quasi ministrum præbet, & impulsu libidinum iura diuina & humana violat: ibi efficax est Diabolus. Contra verò, si quis in Deum, Parentes, Præceptores, Magistratum pius est, & peccandi illecebras magno studio atq; cura vitat: huic diuinus Michaël perpetuò astat, eumq; per sanctos suos Angelos custodit atq; defendit, vt nihil mali eum attingat, vel si attigerit, non succumbat ille tamen, sed erigatur & vincat. Quamobrem si nos quoque carissimi discipuli, in hoc ludo vti præsidio Michaëlis magni, & sanctorum eius Angelorum custodia frui aduersus assultus & ignita iacula Diaboli volumus: pietatem seriò nos colore necesse est, cupiditatibus obsistere, audaciam frenare, &, vt diuinitus ab hoc duce magno regamur, votis assiduis petere. Nam absque hoc duce, nulla cogitatio, nullum studium, nulla cura aut actio bene feliciterq; euenit. Quid ergo? Abiecta omni contumacia, improbitate & impunitatis spe, vitam moresq; emendemus

demus, & si quid hactenus peccatum est, aut erratum, ignosci nobis petamus. Satis sit, quamuis reuera nimium sit, ad hunc vsq; diem morum turpitudine, sceleribus & flagitijs hunc diuinum ducem offendisse, castosq; ipsius ministros, tristitia affecisse: detur nunc opera, vt placetur vicissim dux tantus, & exhilarentur eius Angeli. Ita enim vobis persuadete, nihil esse, quod vel tacitè in animis vestris cogitetis, vel clanculum suscipiatis, aut tentetis, nedum apertè in vos admittatis, quin spectatorem habeatis hunc Michaëlem, cum sanctis ipsius ministris Angelis. Est enim καρδιογνώστης, qui omnes recessus cordis, & latebras mentis introspicit, scrutatur & peruestigat. Nec vllum committere facinus, aut admittere dedecus potestis, quod non circumstantes Angeli cernant, & obseruent. Ac si quidem bene recteque aliquid facitis, patronum habetis & adiutorem Michaëlem, applausoresq; sanctos eius ministros. Sin malè quippiam designatis, fugato duce Michaële, tristes recedunt Angeli boni, læti verò accurrũt spiritus improbi, & cogitatũ susceptũq; facinus studio ac conatu maximo iuuant. Vbicũq; enim nõ est dux Michaël, ibi est sceleratus Satanas.

Et vbi nõ est locus sanctis Angelis, ibi dominantur immundi spiritus: tertium hic dari nullum potest. Quicquid itaque agitis aut instituitis, vbicunque estis: hunc ducem præstò esse sciatis, cum cœlesti sua militia. Et quidem vt adsit vobis semper & vbique, votis assiduis orate. Stat in medio cœtu hoc scholastico, astant tot eius diuini & immortales ministri, custodientes nos & arcentes furorem Satanæ, qui acerrimè odit hos congressus scholasticos, & ni impediretur à Michaële & Angelis castis, omnia cõfunderet & interturbaret. Est idem Michaël in cubiculis vestris, in lectis, in Musæis, & quocunque progredimini, deducit vos per Angelos suos, fouet & protegit. Quamobrem præsentem eum amare & reuereri discite, caueteq;, ne Angelos, tanta probitate, fidelitate & beneuolentia præditos, à vobis repellatis. Infigite hunc Michaëlem mentibus vestris, inscribite pectoribus, sit deniq; ille in animis & ore semper: vt quoties libido aut illecebra aliqua peccandi obrepit, mox in mentem veniat, en Michaël videt, & Angeli boni dolore afficiuntur atque arcentur, quid igitur facis? Michaële & spiritibus bonis propulsatis, præda eris spiritibus immun-

immundis, qui te ex vno peccato & lapsu in alium conijcient, donec te abreptum arbitrio suo perdant. Sit denique altè hoc infixum pectoribus vestris, non ociosum astare Michaëlem vlli vestrûm, sed ad conatus bonos incitare, à malis verò tantum non edita voce dehortari. Fingite enim illum vnumquemq; vestrûm alloqui, sonetq; adeo vox illius in auribus vestris semper: heus care puer, quid agis? quid in te admittis? redi in viam, fac quæ bona sunt, & declina quæ turpia sunt, tibiq; & alijs nocent. En si bona sectatus fueris, me protectorē habebis, cum castis meis Angelis, & dabo tibi aliquando coronam vitæ. Sin malè feceris, deseram te cum Angelis meis, & relinquam te furiosis Diabolis, qui te omnibus modis affligent, & quamuis blandiri aliquantisper videantur, ad extremum tamen animam & corpus perdent. Eiusmodi vocem Michaëlis tametsi auribus non percipias: mente tamen comprehendere debes, & quoties Præceptor aut parens te ad pietatis curam aut cultū hortatur, à vitijs verò abstrahit: ipsam Miahaëlis vocē te audire existimes. Eadē.n. vox Præceptorū siue parentūest & Michaëlis magni, ad fineq; eundē spectat.

Inuitet etiam vos & exuſcitet ad talem cogitationem atq; curam hæc ipſa temporum triſtiſsimorum, in quæ fato ætas noſtra incidit, luctuoſa facies: vtpote in quibus oſtenta cœleſti complura concurrunt, Eccliples, Cometæ, & Chaſma horrendum, nuper 4. Non. Septemb. ab hora ſecunda poſt mediam noctem vſq; ad tertiam, hoc anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimo octauo, cum horrore magno conſpectum. In eo etenim cœlum ipſum diſceſsiſſe viſum eſt, & facto hiatu magno, velut foſſa, *ignis* moles ingens decidit. Alibi forma incudis fabrilis, eodem tempore & loco *cœli* viſa eſt, ad quam aſtantes fabri, valida concuſsione & ſonitu gladium igneum *effecerunt*, qui aliquantiſper magnitudine ingenti in cœlo eminuit, & poſtea in *baculum* conuerſus euanuit. Tale prodigium quid aliud minari atque portendere nobis exiſtimabimus, quàm diſsidia, diſtractiones & diſsipationes in *Eccleſia*, ſcholis & politijs? Gladij verò ſpecies quid præter bella funeſta & ſtragem atrocem denotat? ſed quia ad extremum mundus totus igneſcet, & ignis ardore ipſa mundi machina liqueſcet: ſperabimus hiſce tot

& tam euidentibus prænuncijs antegressis, breui secuturum esse ipsum hunc nostrum Michaëlem, cum militia cœlesti, ad iudicium viuorum & mortuorum. Ad huius igitur aduentum nos totis animis præparemus, & interea dum cessat ille, nosq; in hoc ærumnoso & squalido hospitio manere vult: mentes & oculos nostros ad illum conuertamus nosq; ei totos tradamus, orantes assiduò, vt nobis adsit, nos foueat, custodiat & regat: addat etiam custodes & stipatores animæ & corporis sanctos suos Angelos, qui conatus & tela Diaboli, & administrorum eius vndique in nos impendentia atque directa, auertant & arceant.

Da igitur ô magne Michaël, vt tuo tecti præsidio tuti simus ab hostibus Diabolis & hominibus, tuumq; ductum sequentes, in fide & cōscientia integra tibi seruiamus & grata multa faciamus. Foue ludū hunc & patronum altoremq; eius principē Saxoniæ AVGVSTVM, Imperij Electorē, cum inclyta familia: tuere pacem, tranquillitatem: auerte dissidia, tumultus, bella, famem & alia horrēda mala, quibus hæc ærumnosa vita nostra ꝓposita est. Reprime furorē Diabolorum, hostiū tuorum, & nos

etiam cum illis conflictantes adiuua, vt per te triumphemus. Nec sine hanc vel alias scholas vlla petulantia, improbitate, aut scelere diminui & labefactari. Sed effice potius vt sit in posterum etiam tempus in hoc loco, officina quædam pietatis, sanctitatis, disciplinæ & eruditionis salutaris, Amen.

ORATIO VII. GREGOrij Nassianseni de S. Pentecoste Græcè & Latinè edita, scholijsque explicata: cuius summa & series hæc est.

Concionatur in hac oratione Gregorius de festo Pentecostes hoc ordine: I. Principium sumit à reipsa, hoc est, à spirituali celebratione huius festi, eamq́; à corporea Iudæorum & obscœna gentilium festiuitate discernit. II. De laude siue mysterio potius septenarij numeri disserit: iccirco quia hebdomadum siue septimanarum festum à Mose appellatur Pentecoste. Quæ igitur vis huic numero insit, ex compluribus testimonijs scriptura declarat. III. De mysterio Pentecostes docet. IIII. Disputat cum Macedomanis hæreticis, de Spiritus sancti diuinitate, modum agendi cum hære-

hæreticis pulcerrimè demonstrans. V. Naturam siue essentiam, æternitatem & omnipotentiam Spiritus sancti describit. VI. Effectus Spiritus sancti in Ecclesia exponit. VII. Miraculum visibilis apparitionis Spiritus sancti in linguis igneis interpretatur. VIII. Promulgatum & promissum in scripturis sanctis Spiritum sanctum probat. IX. Quòd cum Deo patre & Filio res omnes creauerit ostendit. X. Exempla mirabilium operum Spiritus sancti in Ecclesia commemorat. Postremò disputat vtrum Apostoli, accepto Spiritu sancto, vna lingua sic locuti sint, vt à tam dissimilibus nationibus & populis intelligerentur: an verò diuersis, pro nationum, quæ aderant, diuersitate. Epilogus propositionem repetit de vera festi celebratione in hac vita, quantum quidem conniti cura & cogitatione possumus: donec in cœlestem Ecclesiam translati, pleno ore & integris animis Deum cognoscamus atq; laudemus.



ORATIO VII.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΤΟΥ ΝΑΖΙΑΝΖΗΝΟΥ ΕΙΣ ΤΗΝ ἁγίαν πεντηκοστήν.

TEXTVS.

ΠΕρὶ τῆς ἑορτῆς βραχέα φιλοσοφήσωμεν, ἵνα πνευματικῶς ἑορτάσωμεν. ἄλλη μὲν γὰρ ἄλλῳ πανήγυρις, τῷ θεραπευτῇ τοῦ λόγου δὲ λόγος, καὶ λόγων ὁ τῷ καιρῷ προσφορώτατος. καὶ οὐδὲν οὕτως εὐφραίνει καλὸν τῶν φιλοκάλων οὐδένα, ὡς τὸ πανηγυρίζειν πνευματικῶς τὸν φιλέορτον. Σκοπῶμεν δὲ οὕτως: ἑορτάζει καὶ Ἰουδαῖος ἀλλὰ κατὰ τὸ γράμμα. τὸν γὰρ σωματικὸν διώκων, εἰς τὸν πνευματικὸν νόμον οὐκ ἔφθασεν. Ἑορτάζει καὶ Ἕλλην, ἀλλὰ κατὰ τὸ σῶμα, καὶ τοὺς ἑαυτοῦ θεούς τε καὶ δαίμονας. ὧν οἱ μὲν εἰσὶ παθῶν δημιουργοὶ κατ' αὐτοὺς ἐκείνους, οἱ δὲ ἐκ παθῶν ἐτιμήθησαν. διὰ τοῦτο ἐμπαθὲς αὐτῶν καὶ τὸ ἑορτάζειν, ἵν' ᾖ τιμὴ θεοῦ τὸ ἁμαρτάνειν, πρὸς ὃν καταφεύγει τὸ πάθος ὡς σεμνολόγημα. ἑορτάζομεν καὶ ἡμεῖς, ἀλλ' ὡς δοκεῖ τῷ πνεύματι, δοκεῖ δέ, ἢ λέγον-

τάς

GREGORII NASSIANZENI DE SANCTA Pentecoste Oratio.

disputabimus

DE festo breuiter differemus, vt spiritualiter festum celebremus. Alij enim alia est publica celebritas: Orationis cultori oratio (placet) & quidem oratio tempori maximè conueniens. Nec est quicquam quod ita vllum honestatis studiosum exhilaret, vt festi studiosum delectat spiritualis festiuitas. Quod sic consideremus. Festos dies etiam Iudæus agit, sed secundum literam. Legem enim corpoream consectans, ad legem spiritualem non peruenit. Festos dies agit quoque Græcus, sed secundum corpus, Deosque suos & Dæmonas: quorum alij affectuum architecti sunt, vt ipsimet scribũt: alij ex affectib. honorem consecuti sunt. Iccirco cum affectibus etiam coniuncta est eorum festi celebratio: vt hoc ipsum quod peccant, honori sit Deo, ad quem affectus tanquam res præclara confugit. Feriamur & nos, verùm vt placet Spiritui. Placet autem huic, vt vel dicamus

Exordium ab ipsa re, hoc est festo Pentecostes.

Comparatio Christianæ celebrationis festorum cum Iudaica & gentili.

τας τι τῶν δεόντων ἢ πράττοντας. καὶ τοῦτό ἐστι τὸ ἑορτάζειν ἡμῶν, ψυχῇ τε θησαυρίσαι τῶν ἑστώτων καὶ κρατουμένων, ἀλλὰ μὴ τῶν ὑποχωρούντων καὶ λυομένων, καὶ μικρὰ σαινόντων τὴν αἴσθησιν. τὰ πλείω δὲ λυμαινομένων τε καὶ βλαπτόντων. κατά γε τὸν ἐμὸν λόγον. ἀρκετὸν γὰρ τῷ σώματι ἡ κακία αὐτοῦ. Τί δὲ δεῖ τῇ φλογὶ πλείονος ὕλης, ἢ τῷ θηρίῳ δαψιλεστέρας τροφῆς; ἵνα μᾶλλον δυσκάθεκτον γένηται, καὶ τοῦ λογισμοῦ βιαιότερον. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν οὖν ἑορταστέον πνευματικῶς.

δαψιλὴς ... largus, δαψιλέως, δαψίλεια copia. δυσκάθεκτος, qui difficulter ... ἀπὸ κατέχω.

SCHOLIA HVIVS PARTIS.

Secundum literam) id est, doctrinam & disciplinam externam, absq; Spiritu sancto.

Legem corpoream) Verba Pauli ad Rom. 9. Israël sectans legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit. Vbi primo loco posita lex iustitiæ significat operum legem, vel corpoream, secundum Naßianseni interpretationem: In posteriori verò fidei vel spiritualem.

Secundum corpus) Gentes festum agitant secundum corpus, id est, cupiditates carnales.

Asse-

mus vel agamus aliquid, quod fieri decet. Estq; festorum celebratio apud nos sita in eo, vt thesaurum animæ colligamus & rebus firmis & stabilibus, non fluxis & dilabentibus, leuiterq; duntaxat sensui blandientibus, maiori verò ex parte, meo quidem iudicio, labefactantibus & nocentibus. Sufficit enim corpori afflictio sua. Quid flammæ materia copiosiore opus est? aut belluæ vberiore alimento? vt magis effrenata fiat, & vim rationi afferat. Hac igitur de causa spiritualiter feriari oportet.

Affectuum architecti) *Vt Mars est præses & effector cædium, Mercurius furti, Venus libidinis, Bacchus temulentiæ. Itaq; ex libidinis effectu Venus honorem consecuta est, & propter eum colitur. Tum quicquid per libidinem peccatur, Veneri tribuitur & acceptum refertur. Quod indicat Gregorius his verbis, vt hoc ipsum quod peccant homines, honori sit Deo, ad quem affectus tanquam res præclara confugit, q. d. confusio libidinũ siue æstus Venereus, quia à Venere proficiscitur, ideo ad cultũ etiam & honorem Venenus refertur, & quò quis est libidinosior, eò maiorẽ se Veneri gratiam & honorem debere putat.*

Estq;

Estq; festorum celebratio] *Descriptio festiuitatis Christianæ: Feriæ Christianorum sunt cultus Dei, in quo gratis animis Dei beneficia celebramus, & thesaurum animæ ex verbo Dei colligimus, hoc est mentes nostras salutari verbo Dei erudimus & pascimus. Est itaq; feriari Gregorio thesaurum animæ colligere: vt quemadmodum diebus operosis ea quæ ad corporis vsum cultumq; pertinent quærimus, sic die festo animæ salutem & pabulum cœleste æternumq; comparemus.*

TEXTVS.

Ἀρχὴ δὲ τοῦ λόγου. Ῥητέον γὰρ, καὶ εἰ μικρόν τι παρεκβατικώτερος ἡμῖν ὁ λόγος καὶ φιλοπονητέον τοῖς φιλολόγοις: ἵν' ὥσπερ ἡδύσματι τῇ πανηγύρει συγκαταμίξωμεν. τὴν ἑβδομάδα τιμῶσιν Ἑβραίων παῖδες, ἐκ τῆς Μωσέως νομοθεσίας, ὥσπερ πυθαγορικοὶ τὴν τετρακτὺν ὕστερον, ἣν δὴ καὶ ὅρκον πεποίηνται, καὶ τὴν ὀγδοάδα καὶ τριακάδα οἱ ἀπὸ Σίμωνος καὶ Μαρκίωνος. οἷς δὴ καὶ ἰσαρίθμους τινὰς αἰῶνας ἐπονομάζουσι καὶ τιμῶσιν οὐκ οἶδα μὲν οἷς τισι λόγοις ἀναλογίας, ἢ

κτ

Sufficit enim corpori afflictio] *Labor vocationis adferens afflictionem siue molestiam, per Metalepsin.*

Sufficit corpori] *Id est, satis superq́; est, res terrenas ad victum & corporis cultum necessarias operosis diebus quærere. Festis verò diebus diuino cultui vacare conuenit. Vocat autem corpus flammam & bellum, per Metapohoram, propte ardorem libidinis & auaritiæ, tum propter feritatem siue iracundiam, quæ belluina est.*

TEXTVS.

Initium autem ordinis hinc ducatur. Dicendum est enim, quamuis ab instituto nonnihil discedat nostra oratio, & elaborandum aliquid, studiosorum gratia: vt velut condimento aliquo solennitatem huius festi temperemus. Hebræi septenarium numerum honorant ex Mosaicæ legis præscripto: quemadmodum postea Pythagorici quaternarium, ex quo iusiurandum fecerunt. Octonarium verò & tricenarium Simonis & Marcionis sectatores annumerant & honorãt: haud scio qua proportionis ratione aut

vi nu-

κατὰ τίνα τοῦ ἀριθμοῦ τούτου δύναμιν. Τιμῶσι δ', οὗ τὸ μὲν πρόδηλον, ὅτι ἐν ἓξ ἡμέραις ὁ θεὸς τὴν ὕλην ὑποστήσας τε καὶ μορφώσας, καὶ διακοσμήσας παντοίοις εἴδεσι καὶ συγκρίμασι, καὶ τὸν νῦν ὁρώμενον τοῦτον κόσμον ποιήσας, τῇ ἑβδόμῃ κατέπαυσεν ἀπὸ τῶν ἔργων. ὡς δηλοῖ καὶ ἡ τοῦ σαββάτου προσηγορία, κατάπαυσιν ἑβραϊκῶς σημαίνουσα. Εἰ δέ τις καὶ ὑψηλότερος περὶ ταῦτα λόγος, ἄλλοι φιλοσοφείτωσαν. ἡ τιμὴ δὲ αὐτοῖς οὐκ ἐν ἡμέραις μόνον, ἀλλὰ καὶ εἰς ἐνιαυτοὺς φθάνουσα. ἡ μὲν οὖν τῶν ἡμερῶν, τὸ σάββατον. τοῦτο δὴ τὸ συνεχῶς παρ' αὐτοῖς τιμώμενον. καθὸ καὶ ἡ τῆς ζύμης ἄρσις ἰσάριθμος. ἡ δὲ τῶν ἐτῶν ὁ ἑβδοματικὸς τῆς ἀφέσεως, καὶ οὐκ ἐν ἑβδομάσι μόνον ἀλλὰ καὶ ἐν ἑβδομάσιν ἑβδομάδων, ὁμοίως ἔν τε ἡμέραις καὶ ἔτεσιν. αἱ μὲν οὖν τῶν ἡμερῶν ἑβδομάδες, γεννῶσι τὴν πεντηκοστὴν κλητήν, ἁγίαν παρ' αὐτοῖς ἡμέραν. Ἁ δὲ τῶν ἐτῶν, τὸν Ἰωβηλαῖον παρ' αὐτοῖς ὀνομαζόμενον, ὁμοίως γῆς τε ἄφεσιν ἔχοντα καὶ δούλων ἐλευθερίαν, καὶ κτήσεων ὠνητῶν

ἀνα-

vi numeri huius permoti, honorant certè. Quare hoc manifeſtum eſt, quòd cum produxiſſet Deus materiam, variiſque ſpeciebus & commixtionibus informaſſet, ac mundum hunc, quem cernimus effeciſſet, die ſeptimo quieuit ab operibus: quemadmodum ipſa etiam appellatio indicat, quietem Hebræis ſignificans.

Quieuit Deus ſeptimo die, perfecto iam opere creationis.

Si qua verò de his ſublimior eſt ratio, alij de ea diſſerant. Neque verò ad dies ſolùm, ſed ad annos etiam hic honos apud eos pertingit. Ac dierum quidem Sabbatum id eſt, quod continenter apud ipſos honoratur: quemadmodum etiam fermenti tumor (vſus) totidem *diebus interdicitur.* In annis verò ſeptimus annus remiſsionis eſt, nec in hebdomadis tantum, ſed etiam in hebdomadarum hebdomadis, in diebus pariter & annis huius honos eſt.

Sabbatum dierum.

Sabbatum annorum.

Dierum etenim hebdomadæ pariunt Pentecoſten, inſignem & ſanctum apud eos diem. Annorũ verò Iubilæum, quem ſic ipſi nominant, quòd terræ ſimul remiſſionem & ſeruorum libertatẽ, emtorumq; bonorum ad priores dominos reditum con-

Pentecoſte ex ſeptem hebdomadis conficitur.

Annus Iubilæus, Leuit. 24.

ἀναχώρησιν. Καθιεροῦσι γὰρ οὐ γεννημάτων μόνον οὐδὲ πρωτοτόκων, ἀλλ' ἤδη καὶ ἡμερῶν καὶ ἐτῶν ἀπαρχὰς τῷ θεῷ τοῦτο τὸ γένος. οὕτως ὁ ἑπτὰ τιμώμενος ἀριθμὸς, τὴν τιμὴν τῆς πεντηκοστῆς συνεισήγαγεν. ὁ γὰρ ἑπτὰ ἐπὶ ἑαυτὸν συντιθέμενος, γεννᾷ τὸν πεντήκοντα, μιᾶς δεούσης ἡμέρας, ἣν ἐκ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος προσειλήφαμεν, ὀγδόην τε οὖσαν τὴν αὐτὴν καὶ πρώτην, μᾶλλον δὲ μίαν καὶ ἀκατάλυτον. Δεῖ γὰρ ἐκεῖσε καταλῆξαι τὸν ἐνταῦθα σαββατισμὸν τῶν ψυχῶν, ὡς δοθῆναι μερίδα τῆς ἑπτὰ καί γε τῆς ὀκτώ: καθὼς ἤδη τινὲς τῶν πρὸ ἡμῶν τὸ Σολομώντειον ἐξειλήφασι. τὰ δὲ τοῦ ἑπτὰ τιμῆς πολλὰ μὲν τὰ μαρτύρια, ὀλίγα δὲ ἐκ πολλῶν ἡμῖν ἀρκέσει. ὡς ἑπτὰ μὲν ὀνομαζόμενα τίμια πνεύματα. τὰς γὰρ ἐνεργείας οἶμαι τοῦ πνεύματος, πνεύματα φίλον τῷ Ἡσαΐᾳ καλεῖν. κεκαθαρμένα δὲ τὰ λόγια τοῦ κυρίου κατὰ τὸν Δαβὶδ ἑπταπλασίως. καὶ ὁ μὲν δίκαιος ἑξάκις μὲν ἐξ ἀναγκῶν ἐξαιρούμενος ἐν δὲ τῷ ἑβδόμῳ μηδὲ πληττόμενος. ὁ δὲ ἁμαρτωλὸς οὐχ

ἑπτὰ

contineat. Consecrat enim hæc natio non frugum modò atque primogenitorum, sed ipsorum dierum atque annorum primitias Deo. Sic honoratus septenarius honorem Pentecostes introduxit. Nam septem in seipsa ducta, quinquaginta efficiunt, vno die excepto, quem ex futuro seculo assumsimus, vtpote octauum & primum, immò etiam vnum & sempiternum. Oportet enim desinere illic sabbatismum animarum, vt pars concedatur septem atque etiam octo: Quemadmodum iam nonnulli maiorum nostrorum hunc Salomonis locum exposuerunt. Etsi autem de septenarij honore multa extant testimonia: nos tamen paucis illorum contenti erimus. *Testimonia de septenario.* Velut, septem nominantur præclari Spiritus. Actiones enim Spiritus, opinor, Spiritus appellare Esaiæ placuit. Item repurgata Domini elogia septies, secundum Dauidem. Et iustus quidem sexies de necessitatibus liberatus, in septimo ne leuiter quidem verberatur. Peccator verò non

ἑπτάκις μόνον, ἀλλὰ καὶ ἑβδομηκοντάκις ἑπτὰ συγχωρούμενος.

SCHOLIA.

Pythagorici quaternariũ] *Pythagorei ex quaternario, quẽ τετρακτὺν vocarunt, id est quaternionem, iurisiurandi sibi religionem fecerunt, hoc est, per quaternitatem iurarunt, propterea quòd velut fontem animæ nostræ tradat siue contineat. Constat enim anima quaternitate, hoc est quatuor hisce, mente, scientia, opinione, sensu. Inde sacrum esse & solidum hunc numerũ crediderunt. Sed pellatur è medio talis superstitio vnà cum Simonis & Marionis hæreticorum de octonario & tricenario deliramentis.*

Æonas] αἰὼν *seculum est. Iam Simoniani & Marcionistæ annumerant & honorant parium numerorum æonas, id est totidem secula, nempè Simoniani octo, Marcionistæ verò triginta: Figmentum est ineptum & stolidum.*

Continentur apud ipsos] *Id est, singulis hebdomadis sanctificatur sabbatum à Iudæis.*

Annus remißionis præcipitur Leuit. 25. vbi inquit Deus: Sex annis conseres agrum tuum, & fructum colliges, septimo autem terra magnum sabbatum celebrabit Domino, id est quiescet seu vacua erit.

Sab-

septies, sed septuagies septies veniam consequitur.

Sabbatismum animarum vocat quietem illam perbeatam in cœlesti consuetudine, quæ incipiet in futuro seculo, vel in octauo die, qui futurus est primus & sempiternus in cœlesti vita.

Dictum Salomonis, quod huc detorsit Naßiansenus extat Ecclesiastæ 2. Loquitur autem de sedulitate benefaciendi hoc modo: Da vel distribue partem inter septem & octo, id est, iuuare opera & consilio quoscunque, quantumcunque & quotiescunque potes & occasio est. Ponit enim Salomon finitum numerum pro infinito, more scripturæ, quæ septenarium, quemadmodum & denarium pro magno seu perfecto numero vsurpat. Vt Psalmo 12. Argentum excoctum septies, id est plenè, perfectè, integrè.

Septem Spiritus [*Esaiæ 2. Numerantur non quidem Spiritus septem. sed sex virtutes seu actiones, vel dona potius Spiritus Domini in Meßia quiescentis: 1. est sapientia, id est, cognitio veræ doctrinæ de Deo. 2. Prudentia regens consilia in rebus agendis. 3. Consilium, quod viam monstrat inueniendi salutem veram, & vitandi impias fraudes. 4. Fortitudo muniens animum, ne periculorum metu frangatur. 5. Scientia*

6. Timor Domini. Græca translatio addit pietatem, vt septenarius compleatur, pro qua Hebræus habet, fragrantem reddere in timore Domini.

Iustus sexies] *Iobi 5. E sex tribulationibus eripiet me, & in septima nullum malum te attinget, id est, innumera mala Deus auertet. Vel*

TEXTVS.

Καὶ μέντοι πάλιν ἐκ τῶν ἐναντίων, ἐπαινετὴ γὰρ καὶ ἡ τῆς κακίας κόλασις. Κάϊν μὲν ἐκδικούμενος ἑπτάκις τουτέστι δίκας εἰσπραττόμενος τῆς ἀδελφοκτονίας. ὁ δὲ Λάμεχ ἑβδομηκοντάκις ἑπτά, ὅτι φονεὺς ἦν μετὰ τὸν νόμον καὶ τὸ κατάκριμα. οἱ δὲ πονηροὶ γείτονες, ἑπταπλασιόνα εἰς τὸν κόλπον ἀπολαμβάνοντες. ἑπτὰ δὲ στύλοις ὁ τῆς σοφίας οἶκος ἐρειδόμενος. τοσούτοις δὲ ὀφθαλμοῖς ὁ τοῦ Ζοροβάβελ λίθος κοσμούμενος. Ἑπτάκις δὲ τῆς ἡμέρας ὁ θεὸς αἰνούμενος, καὶ μὴν καὶ στεῖρα τίκτουσα ἑπτὰ τὸν τέλειον ἀριθμὸν ἡ τῆς ἀτελοῦς ἐν τέκνοις ἀντίθετος. Εἰ δὲ δεῖ καὶ τὰς παλαιὰς ἱστορίας σκοπεῖν, εἰ ἐννοῶ μὲν τὸν ἑβ-

cum aucta videbitur calamitatum moles in immensum: tamen diuino patrocinio tutus eris.

Septuagies ſepties] *Numerus ingens pro infinito, id eſt, quotiescunq; peccauerit. Inde Chryſoſtomus in Synodo dixit de peccatore: χιλιάκις μετανοήσας εἴσελθε, millies agens pœnitentiam ingredere.*

TEXTVS.

CONTRA verò (nam & malitiæ pœna laudanda eſt) Cain ſepties vindicatur, hoc eſt, cædis fraternæ pœnas perſoluit. Lamech autem ſeptuagies ſepties: quòd *homicida* poſt legem & condemnationem factus ſit. Quid dicam de malis vicinis, qui ſeptuplū in ſinum ſuum recipiunt? Item de ſeptem columnis, quibus ſapientiæ domus nititur. Totidem verò oculis Zorobabelis lapis ornatur: Et ſepties in dies laudatur Dominus. Adeoque etiam ſterilis ſeptem pariens, perfecto numero cum ea quæ imperfecto numero pepererat certauit. Quod ſi hiſtoriæ etiam veteres conſiderandæ ſunt: Intelligo ſe-

δομον ἐν προγόνοις Ενὼχ τῇ μεταθέσει τετιμημένον. Εννοῶ δὲ τὸν εἰκοςὸν πρῶτον, ἀβραὰμ τῇ πατριαρχίᾳ δεδοξασμένον, μυςηριώδους προσθήκῃ μείζονος. Τετιμημένη γὰρ ἑβδομὰς τὸν ἀριθμὸν τοῦτον ἐργάζεται. Τολμήσειε δ' ἄν τις τῶν πάνυ νεανικῶν καὶ ἐπὶ τὸν νέον ἀδὰμ ἐλθεῖν τὸν θεὸν ἡμῶν, καὶ κύριον Ιησοῦν Χριςὸν ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ καὶ τοῦ ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν ἀδὰμ ἑβδομηκοςὸν ἕβδομον ἀριθμούμενος. Κατὰ τὴν τοῦ Λουκᾶ γενεαλογίαν ἀναποδίζουσαν. Εννοῶ δὲ καὶ τὰς ἑπτὰ σάλπιγγας Ιησοῦ τοῦ Ναυὶ καὶ περιόδους τοσαύτας καὶ ἡμέρας καὶ ἱερέας, ἐξ ὧν τὰ Ἱεριχοῦντια τείχη κατασείεται, ὥσπερ δὲ μυςικὴν τὴν τριςὴν ἐμφύσησιν ἡλίου τοῦ προφήτου, τῷ τῆς σαραφθίας χήρας υἱῷ τὸ ζῆν ἐμπνεύσασαν, καὶ τοῦ αὐτοῦ τὴν Ισάριθμον κατὰ τῶν σχιδάκων ἐπίκλισιν ἡνίκα πυρὶ θεοπέμπτῳ τὴν θυσίαν ἀνάλωσε, καὶ τοὺς τῆς αἰσχύνης προφήτας κατέκρινε. τὸ ἴσον οὐ δυνηθέντος ἐκ τῆς προκλήσεως, οὕτω δὲ καὶ τὴν ἑβδόμην κατασκοπὴν τοῦ νέφους τῷ

ptenarium, apud maiores per Enochi translationem honoratum esse: Intelligo etiam vigesimum primum Abraamum Patriarchatu ornatum esse, quæ mysterij maioris accessio fuit. Ter enim in se ductus septenarius, eum numerũ efficit. Ausit autem fortè quispiam iuuenili feruore præditus ad nouum Adamum quoque peruenire, nempe Deum meum & Dominum IESVM CHRISTVM, qui è veteri & qui sub peccato fuit Adamo septuagesimus septimus numeratur, secundum Lucæ diligenter consideratam genealogiam. Intelligo etiam buccinas septem fuisse Iosuæ filij Naue, & circuitus totidem, tum dies etiam & sacerdotes, quibus Hierichuntis muri euersi sunt. Quemadmodum verò Elias Propheta nõ absque mysterio ter afflauit Sareptanæ viduæ filium, cum vitam ei restituit, & toties ligna proluit, cum ignis diuinus hostiam absumsit, ignominiaque dignos Prophetas, quòd idem facere prouocati nõ possent, damnauit: Sic non absre septies repetita est speculatio nubis

Septenario præcipuæ res gestæ in Ecclesia notantur.

δαείω προστεταγμένην, Ελισαῖε τὴν ἴσην διάκαμψιν ἐπὶ τὸν παῖδα τῆς σουναμίτιδος τὴν πνοὴν ζωπυρήσασαν. οὐδὲ αὐτοῦ οἶμαι δόγματος, ἵνα μὴ λέγω τὴν ἑπτάκαυλον καὶ ἑπτάλυχνον τοῦ ναοῦ λυχνίαν ἐν ἑπτὰ μὲν ἡμέραις ἱερεὺς τελούμενος, ἐν ἑπτὰ δὲ ὁ λεπρὸς καθαιρόμενος, ἐν τοσαύταις δὲ ὁ λαὸς ἐγκαινοτόμενος. ἑβδομηκοστῷ δὲ ἔτει ὁ λαὸς ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας ἐπαναγόμενος. ἵν' ὅπερ ἐστὶν ἐν μονάσι τοῦτο ἐν δεκάσι γένηται. Καὶ ἀριθμῷ, τελειοτέρῳ τὸ τῆς ἑβδομάδος τιμηθῇ μυστήριον. τί μοι τὰ πόῤῥω λέγειν; Ἰησοῦς αὐτὸς ἡ καθαρὰ τελειότης, οἶδε τρέφειν μὲν ἐν Ἐρημίᾳ καὶ πέντε ἄρτοις πεντακισχιλίους, οἶδε δὲ ἑπτὰ πάλιν τετρακισχιλίους. Καὶ τὰ τοῦ κόρου λείψανα ἐκεῖ μὲν δώδεκα κόφινοι, ἐνταῦθα δὲ σπυρίδες ἑπτά. οὐδέτερον ἀλόγως οἶμαι οὐδὲ ἀναξίως τοῦ πνεύματος. Καὶ σὺ δ' ἂν κατὰ σαυτὸν ἀναλεγόμενος, πολλοὺς τηρήσαις ἀριθμοὺς, ἔχοντάς τι τοῦ φαινομένου βαθύτερον. ὁ δὲ τῷ παρόντι καιρῷ χρησιμώτατον, ὅτι κατὰ τούτους ἴσως τοὺς λόγους, ἢ ὅτι ἐγγύτατα τούτων, ἢ καὶ

θεωτε-

puero Eliæ mandata: Eliſeiq́; æqualis ſuper filium Sunamitidis inflexio, qua halitus vitalis ei redditus eſt. Ad eandem doctrinam pertinere mihi videtur, vt nihil de templi candelabro cum ſeptem haſtilibus & totidem lychnis dicam, quòd ſeptem diebus ſacerdos conſecratus eſt, ſeptem diebus leproſus purgatus, totidemq́; diebus templum dedicatum. Septuageſimo verò anno populus ex captiuitate reductus eſt, vt quam vim habet in vnitatibus, eandẽ etiam in decadibus obtineat, & ſic numero perfectiore ſeptenarij myſterium honoretur. Sed quid attinet longinqua commemorare? IESVS ipſe pura perfectio potuit alere quinque panibus in deſerto quinquies millia hominum, & rurſum ſeptem panibus quatuor millia. Et ſatiatis omnibus reliquiarum illis duodecim cophini, his verò ſeptem ſportæ fuerũt. Neutrum puto temerariũ aut indignum Spiritu. Quin per te ipſe legẽs ſcripturas, multos obſeruare poteris numeros, qui profundiùs aliquid habeant, quam primo intuitu cerni poteſt. Quod autẽ præſenti tẽpori commodiſsimum eſt, ob has fortaſſe, vel his proximas rationes, vel ſublimiores etiam quaſdam colunt Hebræi hunc Penteco-

Alia exempla numeri quinarij & ſeptenarij.

θεωτέρους τινὰ στιμῶσι μὲν ἑβραῖοι τὴν πεντηκοστὴν ἡμέραν. Τιμῶμεν δὲ καὶ ἡμεῖς, ὥσπερ ἐστὶν ἃ καὶ ἄλλα τῶν ἑβραϊκῶν, τυπικῶς μὲν παρ' ἐκείνοις τελούμενα, μυστικῶς δὲ ἡμῖν ἀποκαθιστάμενα. Τοσαῦτα περὶ τῆς ἡμέρας προδιαλεχθέντες, ἐπὶ τὰ ἑξῆς τοῦ λόγου προΐωμεν.

SCHOLIA.

Cain septies vindicatur] *Id est, multiplicem grauissimamq́ pœnam persoluet. Voluit tamen Deus diutius Cainū viuere in terris, etiamsi excommunicatus esset: vt signa reatus circumferret & à simili scelere alios deterreret.*

Lamech septuagies septies] *Id est, innumerabilibus pœnis afficietur. Basilius in Hexaëmero Homilia 2. pulcrè opponit numeros pœnæ & remissionis. Vt enim septies Cain, septuagies verò septies Lamech punitur: sic non septies modò, sed etiam septuagies septies condonatio à nobis efflagitatur.*

De malis vicinis] *Psalmo 79. Redde vicinis nostris septuplum, id est cumulatissimè.*

Septem columnis] *Prouerb. 9. Sapientia ædificauit domum suam & septem columnas exsculpsit, id est multas columnas.*

Toti-

tecostes diem. Colimus autem & nos, sicut alios etiam ritos Hebraicos, quos typycè quidem illi celebrantur, nos verò mysticè perficimus. Atque hæc hactenus de die præfati sumus: deinceps ad consequentia procedamus.

Totidem oculis Zorobabelis] *Zachariæ 31. Super lapidem, quem posui coram Iosua erunt oculi septem, id est multum lucis præbebit Messias, per Metaph.*

Etiam sterilis] *1. Samuel. 2. Anna alioqui sterilis peperit septem id est, Samuelem, qui loco numerosæ sobolis matri suæ fuit. Numero autem imperfecto liberos peperit Peninna, altera Elcani vxor.*

Per Enochi translationem] *Vterq; Nassiansenus & Basilius septenario numero notari atq; distingui præcipuas mundi res gestas existimant. Enoch in familia sanctorum patrum septimus ab Adamo in cœlum viuus est receptus.*

Deinde ter septimus, id est vigesimus primus Abraamus Patriarcha factus est. Rursum septimus ab Abraamo fuit Moses: septuagesima & septima generatione ab Adamo Christus apparuit.

Sareptanæ viduæ] *1. Reg. 17. Elias ex morte suscitaturus viduæ Sareptanæ filium, ter expandit se super cadauer, & inhalauit illi spiritum.*

Toties

Toties ligna proluit] *Elias 1. Reg. 18. Constructo ex lapidibus altari, factaq; fossa, & præparatis omnibus ad sacrificium, iussit ter afferri aquam & effundi super holocaustum & ligna.*

Prophetæ ignominia digni] *Græcè* τῆς αἰσχύνης, *hoc est, turpitudinis vocantur sacerdotes siue vates Baal, fortè quòd victi sint, & ignominia affecti per Eliam.*

TEXTVS.

Πεντηκοστὴν ἑορτάζομεν, καὶ πνεύματος ἐπιδημίαν, καὶ προθεσμίαν ἐπαγγελίας, καὶ ἐλπίδος συμπλήρωσιν· καὶ τὸ μυστήριον ὅσον, ὡς μέγα τε καὶ σεβάσμιον. τὰ μὲν σωματικὰ τοῦ Χριστοῦ πέρας ἔχει, μᾶλλον δὲ τὰ τῆς σωματικῆς ἐνδημίας. Ὀκνῶ γὰρ εἰπεῖν τὰ τοῦ σώματος, ἕως ἂν μηδεὶς πείθῃ με λόγος, ὅτι κάλλιον ἀπεσκευάσθαι τοῦ σώματος, τὰ δὲ τοῦ πνεύματος, ἄρχεται. Τίνα δὲ ἦν τὰ τοῦ Χριστοῦ; παρθένος, γένεσις, φάτνη, σπαργάνωσις, ἄγγελοι δοξάζοντες, ποιμένες προστρέχοντες, ἀστέρος δρόμος, μάγων προσκύνησις καὶ δωροφορία, Ἡρώδου παιδοφονία,

φυ-

Speculatio nubis] *1. Reg. 18. Elias pluuiam precibus suis à Domino impetraturus, iussit ministrum suum septies ascendere & respicere ad mare.*

Vtquam vim] *Id est, vt sacer est septenarius in vnitate, hoc est, vnicus vel simplex: sic etiam in decadibus, hoc est, per decem compositus est sacer. Quemadmodum ergò septem aliquid arcani habent, sic etiam decies septem, vel septies decem, quæ sunt septuaginta.*

TEXTVS.

PENTECOSTEN celebramus & Spiritus aduentum, & promissionis executionem & spei completionem. Quantum hoc est mysterium? quàm magnum & venerandum? Corporea Christi finem habent, vel potius corporea eius peregrinatio. Vereor enim dicere, ea quæ ad corpus pertinent, quoad mihi aliqua persuaserit oratio, quòd melius sit dicere, Christum corpus exuisse: Spiritualia verò incipiunt. Quænam verò erant in Christo? Virgo, natiuitas, præsepe, fasciatio, Angeli glorificantes, pastores accurrentes, stellæ cursus, Magorum adoratio & munerum oblatio, Herodis infanticidium, fugiens

Pentecoste Christianorum est celebratio visibilis apparitionis Spiritus sancti.

Nota Christi præsentia corporea.

φεύγων Ἰησοῦς εἰς Αἴγυπτον, ἐπανιὼν ἐξ Αἰγύπτου, περιτεμνόμενος, βαπτιζόμενος, μαρτυρούμενος ἄνωθεν, πειραζόμενος, λιθαζόμενος, δι' ἡμᾶς οἷς τύπον ἔδει δοθῆναι τῆς ὑπὲρ τοῦ λόγου κακοπαθείας. προδιδόμενος, προσηλούμενος, θαπτόμενος, ἀνιστάμενος, ἀνερχόμενος, ὧν καὶ νῦν πάσχει πολλὰ παρὰ μὲν τῶν μισοχρίστων, τὰ τῆς ἀτιμίας, καὶ φέρει, μακρόθυμος γάρ. παρὰ δὲ τῶν φιλοχρίστων τὰ τῆς ἐπιτιμίας, καὶ ἀναβάλλεται, ὥσπερ ἐκείνοις τὴν ὀργήν, οὕτως ἡμῖν τὴν χρηστότητα. τοῖς μὲν ἴσως μετανοίας διδοὺς καιρόν, ἡμῶν δὲ δοκιμάζων τὸν πόθον Εἰ μὴ ἐκκακοῦμεν ἐν ταῖς θλίψεσι καὶ τῆς ὑπὲρ εὐσεβείας ἀγῶσιν. ὥσπερ ἄνωθεν θείας οἰκονομίας λόγος, καὶ τῶν ἀνεξιχνιάστων αὐτοῦ κριμάτων, οἷς εὐθύνει σοφῶς τὰ ἡμέτερα. Τὰ μὲν δὴ χριστοῦ τοιαῦτα, καὶ τὰ ἑξῆς ὀψόμεθα, ἐνδοξότερα, καὶ ὀφθείημεν. τὰ δὲ τοῦ πνεύματος, παρέστω μοι τὸ πνεῦμα, καὶ διδότω λόγον, ὅσον καὶ βούλομαι. Εἰ δὲ μὴ τοσοῦτον, ὅσος γε τῷ καιρῷ σύμμετρος πάντως παρέσται δεσποτικῶς, ἀλλ' οὐ δουλικῶς οὐδ'

ἀνα-

fugiens Christus in Ægyptum, rediens ex Ægypto, circumcisus, baptisatus, comprobatus testimonio diuino, tentatus, lapidatus propter nos, quibus exemplum dari oportuit subeundæ pro Dei verbo afflictionis, proditus, clauis affixus, sepultus, resuscitatus, reuersus, quorum multa nunc etiam patitur ab hostibus ignominiosa, & fert: quia longanimis est. A suis verò Christianis honore afficitur: differtq; vt illis iram, sic nobis benignitatem. Illis quidem fortasse pœnitentiam agendi tempus concedens, nostrum verò explorans desiderium, an perseueraturi simus in afflictionibus, & pietatis causa susceptis certaminibus. Quemadmodum iam olim diuinæ dispensationis & imperuestigabilium eius iudiciorum, quibus sapienter res nostras moderatur, sese habuit ratio. Atq; hæc quidem ad Christum spectantia etiam deinceps spectabimus gloriosiora: ac vtinam spectemur & ipsi. Quæ verò ad Spiritum pertinent, præstò mihi sit ipse Spiritus, & facultatem dicendi suppeditet quantam cupio: sin id minùs, tantam tamen, certè vt tempori par sit. Omnino aderit heriliter, non seruiliter,

Christus adhuc patitur ab impiis

Causa longanimitatis Dei.

Votum ad Spiritum sanctum, vt de se dicturo, facultatem sufficientē dicendi præbeat.

ἀναμένον ἐπίταγμα ὅς τινες οἴονται. πνεῖ γὰρ ὅπου θέλει, καὶ ἐφ' οὓς βούλεται, καὶ ἡνίκα καὶ ὅσον. οὕτως ἡμεῖς δὲ νοεῖν καὶ λέγειν ἐμπνεόμεθα περὶ τοῦ πνεύματος. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οἱ μὲν εἰς κτίσμα κατάγοντες, ὑβρισταὶ, καὶ δοῦλοι κακοὶ, καὶ κακῶν κάκιστοι. δούλων γὰρ κακῶν ἀθετεῖν δεσποτείαν, καὶ ἐπανίστασθαι κυριότητι, καὶ ὁμόδουλον ποιεῖν ἑαυτοῖς τὸ ἐλεύθερον. οἱ δὲ θεὸν νομίζοντες, ἔνθεοι καὶ λαμπροὶ τὴν διάνοιαν. οἱ δὲ καὶ ὀνομάζοντες εἰ μὲν εὐγνωμόσιν, ὑψηλοί. Εἰ δὲ παχνοῖς, οὐκ οἰκονομικοί. πηλῷ μαργαρίτην πιστεύοντες, καὶ ἀκοῇ σαθρᾷ βροντῆς ἦχον, καὶ ὀφθαλμοῖς ἀσθενεροῖς ἥλιον, καὶ τροφὴν στερεὰν τοῖς ἔτι γάλα ποτιζομένοις. δέον κατὰ μικρὸν προάγειν αὐτοὺς εἰς τὸ ἔμπροσθεν, καὶ προβιβάζειν τοῖς ὑψηλοτέροις, φωτὶ φῶς χαριζομένους, καὶ ἀληθείᾳ προξενοῦντας ἀλήθειαν. διὸ καὶ ἡμεῖς τὸν τελεώτερον τέως ἀφέντες λόγον, οὔπω γὰρ καιρὸς, αὐτοῖς διαλεξόμεθα.

SCHO-

neq; iussum, vt quidam putant, expectans. Spirat enim vbi vult, & in quos vult, & quando. Ita nos afflamur, vt de Spiritu cogitemus & dicamus. Qui Spiritum sanctum ad creaturam deijciunt, contumeliosi sunt & serui improbi, improborumque improbissimi. Seruorum enim improborum est reijcere imperium, & resistere dominationi, conseruumque sibi facere eum, qui liber est. Qui verò Deum esse censent, diuini sunt, & luce mentis præditi. Qui autem nominant etiam Deum, siquidem apud candidos hoc faciunt, excelsi sunt. Sin apud abiectos, non boni dispensatores sunt: quòd luto Margaritam committunt, & infirmo auditui, sonum tonitrui, oculisq; imbecillioribus Solem, cibum deniq; solidum lac adhuc sugentibus. Quin decebat potius paulatim eos ad vlteriora perducere, & ad altiora prouehere, vt sicut lumen lumini impartitur, sic veritas veritati concilietur.

Confutatio hereticorum, qui creaturam esse Spiritum sanctum contendebāt.

Modus agendi cum infirmioribus.

Quocirca & nos omisso perfectiori sermone tam diu, donec tempus postulat, ita cum illis disseremus.

SCHOLIA.

Corporea Christi finem habent] *Id est, præsentia & conuersatio eius in terris, qualis fuit ante ascensionem in cœlum.*

Vereor enim] *Scilicet propter hæreticos, qui negabant Christum corpus suum vel humanam naturam secum assumsisse in cœlum.*

Quod mihi aliqua persuaserit oratio] *Id est, nunquam hoc credam, quòd Christus in cœlum ascensurus, exuerit vel deposuerit carnem.*

Spiritualia incipiunt] *Id est, actiones Spiritus sancti visibiliter effusi in Apostolos.*

Aderit heriliter] *Id est, velut Dominus Deus omnipotens, non vt seruus, quemadmodum hæretici quidam furenter contendebant.*

Qui Spiritum sanctum ad creaturam] *Macedoniani hæretici docuerunt, Spiritum sanctum esse creaturam & seruum.*

Qui autem nominant] *Ostendit modum*

TEXTVS.

Ἐ' μὲν ὖδὲ ἄπιστον, ὦ ὗτοι, ὁμολογεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὖδὲ ἄλογον, τῦ ἐναντίε πνεύματος σαφῶς ἢ ἐνεργεία. δότε γὰρ τῷ Ζήλῳ τι καὶ πα-

gendi cum imbecillioribus in articulo de Spiritu ſancto. Alius enim eſt agendi modus cum candidis & confirmatis iam in doctrina: Alius verò cum infirmis, quos abiectos vocat Autor, videlicet, is vt non quidem repente, ſed ſenſim & paulatim erudiantur, & ad veritatis cognitionem traducantur. Quemadmodum filius Dei ipſemet facit, de Spiritu ſancto cum diſcipulis infirmis agens.

Primùm ait: Rogabo Patrem, & alium Paracletum mittet vobis. Poſtea quis ille Paracletus ſit, declarat inquiens: Paracletus ille qui eſt Spiritus ſanctus, quem mittet pater nomine meo: Tum demum eſſentiam & liberam potentiam Spiritus clarè ſignificans.

Lumen lumini impertitur] *Lumen per Metaph. ſignificat notitiam. Vult igitur docere, ſic tractandos eſſe infirmos, vt ab exigua noticia ad maiorem pedetentim adducantur.*

TEXTVS.

SIQVIDEM, quicunq; tandem eſtis, neque increatum neque æternum confitemini Spiritum ſanctum, manifeſtum eſt aduerſi Spiritus impulſu id fieri. Date n. Zelo aliquid, vt confidentius aliquanto *Argumentum ab effectibus: Qui Spiritus ſancti æternitatē*

ρατολμῆσαι μικρόν. Εἰ δὲ τοσοῦτον γ' ὑγιαίνετε, ὥστε τὴν πρόδηλον φεύγειν ἀσέβειαν, καὶ τῆς δουλείας ἔξω τιθέναι τὸ καὶ ἡμᾶς ποιοῦν ἐλευθέρους, τὸ ἐξῆς αὐτοὶ σκέψασθε μετὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος καὶ ἡμῶν. πείθομαι γὰρ ποσῶς τούτου μετέχειν ὑμᾶς καὶ ὡς οἰκείοις ἤδη συνδιασκέψομαι. ἢ δότε μοι τὸ μέσον δουλείας καὶ δεσποτείας, ἵν' ἐκεῖ θῶ τὴν ἀξίαν τοῦ πνεύματος, ἢ τὴν δουλείαν φεύγοντες, οὐκ ἄδηλον ὅποι τάξετε τὸ ζητούμενον, ἀλλὰ ταῖς συλλαβαῖς δυσχεραίνετε, καὶ προσπταίετε τῇ φωνῇ. καὶ λίθος προσκόμματος ὑμῖν τοῦτο γίνεται καὶ πέτρα σκανδάλου, ἐπεὶ καὶ Χριστός τισιν. ἀνθρώπινον τὸ πάθος. συμβῶμεν ἀλλήλοις πνευματικῶς. γενώμεθα φιλάδελφοι μᾶλλον ἢ φλαυτοι. δότε τὴν δύναμιν τῆς θεότητος, καὶ δώσομεν ὑμῖν τῆς φωνῆς τὴν συγχώρησιν. ὁμολογήσατε τὴν φύσιν ἐν ἄλλαις φωναῖς, αἷς αἰδεῖσθε μᾶλλον καὶ ὡς ἀσθενεῖς

ὑμᾶς

δυσχερηρία χρῆ manibus non facile tractabilis unde δυσχεραίνω gravor

φίλαυτος

to loquar. Si verò tantummodo sani estis, vt manifestam vitetis impietatem, & à seruitute separetis eum, qui libertatis vestræ autor est: tunc ipsi cum Spiritu sancto & nobiscum id quod sequitur, considerate. Confido aliquo modo huius vos participes esse. Itaque etiam vobiscum tanquam cum domesticis disseram. Aut medium mihi inter seruitutem & dominationem date, vt illic Spiritus dignitatem collocem: aut seruitutem reijcite, & non obscurum erit, quo in loco ponendum sit illud quod quæritur. Verùm vos syllabas auersamini, & ad vocem impingitis. *Idq́; vobis* offensionis lapis fuit, & *scandali petra*, quemadmodum & Christus quibusdam factus est. Humanus is est affectus. Consentiamus inter nos spiritualiter: simus amantes fraternitatis potius, quàm vt nobis ipsis nimium placeamus. Date potentiam diuinitatis, & dabimus vobis vicissim vocis veniam. Fateamini naturam in alijs vocibus, quas veneramini magis: tunc velut infirmos

ὑμᾶς ἰατρεύσομεν. Ἐστὶν ἃ καὶ τῶν πρὸς ἡδονὴν παρακλέψαντες. Αἰσχρὸν μὲν γὰρ, αἰσχρὸν, καὶ ἱκανῶς ἄλογον, κατὰ ψυχὴν ἐρρωμένους, μικρολογεῖσθαι περὶ τὸν ἦχον, καὶ κρύπτειν τὸν θησαυρὸν, ὥσπερ ἄλλοις βασκαίνοντας, ἢ μὴ καὶ τὴν γλῶσσαν ἁγιάσητε δεδοικότας. αἴσχιον δὲ ἡμῖν ὃ ἐγκαλοῦμεν παθεῖν καὶ μικρολογίαν καταγινώσκοντας, αὐτοὺς μικρολογεῖσθαι περὶ τὰ γράμματα. μιᾶς θεότητος ὦ οὗτοι τὴν τριάδα ὁμολογήσατε. Εἰ δὲ βούλεσθε μιᾶς φύσεως, καὶ τὴν θεὸς φωνὴν παρὰ τοῦ πνεύματος ὑμῖν αἰτήσομεν. δώσει γὰρ, εὖ οἶδα, ὁ τὸ πρῶτον δοὺς καὶ τὸ δεύτερον. Καὶ μάλιστα εἰ δειλία τίς εἴη πνευματικὴ μὴ ἔνστασις διαβολικὴ τὸ μαχόμενον. Ἔτι σαφέστερον εἴπω καὶ συντομώτερον. Μήτε ἡμᾶς εὐθύνητε ὑψηλοτέρας φωνῆς. φθόνος γὰρ οὐδεὶς ἀναβάσεως. οὔτε ἡμεῖς τὴν ἐφικτὴν τέως ἡμῖν ἐγκαλέσομεν, ἕως ἂν καὶ δι' ἄλλης ὁδοῦ πρὸς τὸ αὐτὸ φέρησθε καταγώγιον. Οὐ γὰρ νικῆσαι ζητοῦμεν, ἀλλὰ προσλαβεῖν ἀδελφοὺς, ὧν τῷ χωρισμῷ σπαράσσο-

ſanabimus vos: nonnulla etiam voluptatis cauſa furtim elargiemur. Turpe enim eſt, turpe inquam, & ſupra modum abſurdum animo valere, de ſono autem leuiter contendere. Quod aliud non eſt, niſi theſaurum abſcondere, quaſi alijs eum inuideas, vel ne linguam quoque ſanctifices, metuas. Turpius verò eſt nos ipſos in eo crimine eſſe, quo alios damnamus: & qui argutias reprehendimus, de literis argutè exiliterq; rixari. Vos Trinitatem vnius Diuinitatis, vel ſi mauultis, vnius naturæ fateamini: tunc vt Deum etiam appelletis Spiritum ſanctum, à Spiritu vobis dari petemus. Dabit enim, certò ſcio, qui primum dedit, etiam ſecundum. Idque tum maximè cum pugna erit ex timiditate quadam ſpirituali, non à Diabolica contradictione profecta. Apertiùs adhuc dico & breuiùs: Nolite & vos redarguere nos ob verbũ altiùs elatùm: cùm nullã inuidiã mereatur talis aſcenſio. Tunc ne nos quidem accuſabimus in vobis eam vocẽ, cuius adhuc capaces eſtis: donec per aliam viam ad idem diuerſorium feramini. Non n. vincere, ſed aſſumere ſtudemus fratres eos, quorum ſeparatione laceramur. Atq;

Argumẽtum à genere.

Apertè agit & vult ſua verba viciſſim candidè accipi.

σόμεθα. ταῦτα ἡμῖν παρ' οἷς τι καὶ ζωτικὸν εὑρίσκομεν. τοῖς περὶ τὸν υἱὸν ὑγιαίνουσιν, ὧν τὸν βίον θαυμάζοντες, οὐκ ἐπαινοῦμεν τὸν λόγον. οἱ τὰ τοῦ πνεύματος ἔχοντες, καὶ τὸ πνεῦμα προσλάβετε, ἵνα μὴ ἀθλῆτε μόνον, ἀλλὰ καὶ νομίμως. ἐξ οὗ καὶ ὁ στέφανος. Οὗτος ἡμῖν δοθείη τῆς πολιτείας μισθὸς ὁμολογῆσαι τὸ πνεῦμα τελείως, καὶ κηρύξαι σὺν ἡμῖν τε καὶ περὶ ἡμῶν, ὅσον ἄξιον. Τολμῶ τι καὶ μεῖζον ὑπὲρ ὑμῶν, τὸ τοῦ ἀποστόλου φθέγξασθαι. τοσοῦτον ὑμῶν περιέχομαι, καὶ τοσοῦτον ὑμῶν αἰδοῦμαι, τὴν εὔκοσμον ταύτην στολὴν, καὶ τὸ χρῶμα τῆς ἐγκρατείας, καὶ τὰ ἱερὰ ταῦτα συστήματα, καὶ τὴν σεμνὴν παρθενίαν καὶ κάθαρσιν, καὶ τὴν πάννυχον ψαλμῳδίαν, καὶ τὸ φιλόπτωχον, καὶ φιλάδελφον, καὶ φιλόξενον, ὥστε καὶ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ Χριστοῦ καὶ παθεῖν τι ὡς κατάκριτος δέχομαι. μόνον εἰ σταίτε μεθ' ἡμῶν, καὶ κοινῇ τὴν τριάδα δοξάσαιμεν. περὶ γὰρ τῶν ἄλλων τί χρὴ καὶ λέγειν σαφῶς τεθνηκότων; οὓς Χριστοῦ μόνου ἐγεῖραι τοῦ ζωοποιοῦντος τοὺς νεκροὺς κατὰ τὴν αὐτοῦ δύναμιν; οἱ κα-

κῶς

hæc vobis dixi, in quibus viui aliquid sanguinis reperimus, vt qui de filio rectè sentitis, & quorum vitam admiramur quidem, sed doctrinam non probamus. Qui cùm ea quæ Spiritus sunt habeatis, Spiritum quoq; assumite, vt non certetis solùm, sed legitimè etiam, ex quo corona contingit. Vtinam vobis hoc tribuatur, benè actæ vitæ præmium, vt perfectè Spiritum sanctum confiteamini, & nobiscum, vel etiam ante nos, quantũ æquum est, prædicetis. Quin ausim etiam aliquid maius vestri causa, & quidem, Apostoli illud proloqui: adeo vos complector, adeoq; reuereor hanc concinnam vestram vestem & frugalitatis colorem, sacros cœtus & honestam virginitatem, ac purgationem, per totã noctem Psalmorum cantillationem, studium in pauperes, amorẽ in fratres, curam hospitum, vt etiam anathema esse à Christo, & pati etiam aliquid paratus sim tanquã damnatus: dummodo nobiscum coniungamini, & cõmuni consensu Trinitatem glorificem⁹. Nam de alijs quid attinet dicere palàm mortuis? quos Christi solius est resuscitare, qui mortuos sua potẽtia viuificat. Hi ꝑfecto scelerate

Dissentium à se in articulo de Spiritu sancto vitã quidẽ probat, sed doctrinam improbat.

Votum pium & ardens pro dissentientibus fratrib. imbecillibus.

Optat anathema esse pro dissentientiũ fratrum salute.

κῶς τῷ τόπῳ χωρίζονται, τῷ λόγῳ συνδεδεμένοι. Καὶ τοσοῦτον πρὸς ἀλλήλους ζυγομαχοῦσιν, ὅσον ὀφθαλμοὶ διάστροφοι τὸ ἓν βλέποντες, καὶ οὐ τῇ ὄψει, τῇ θέσει δὲ στασιάζοντες. Εἴγε καὶ διαστροφὴν αὐτοῖς ἐγκλητέον, ἀλλὰ μὴ τύφλωσιν. Ἐπεὶ δὲ μετρίως ἐθέμην τὰ πρὸς ὑμᾶς, φέρε καὶ πρὸς τὸ πνεῦμα πάλιν ἐπανέλθωμεν.

SCHOLIA.

Syllabas auerſamini] *Id eſt, latebras vel effugia quæritis, & nonnullis ſcripturæ vocu-lis offendimimi.*

Fateamini naturam] *Id eſt, cùm Deum vocare Spiritum ſanctum (neſcio qua infirmitate) recuſetis: potentiam ſaltem diuinitatis ei concedite, & alias voces, vt increatum eſſe, & quæ ſunt generis eiuſdem.*

Quas veneramini in alijs vocibus] *Scilicet in ſcriptura de Spiritu ſancto loquentibus: q. d. age, nimium hoc vobis videtur, vt Deum appelletis Spiritum ſanctum: concedite ſaltem nunc quòd increatus ſit & omnipotens: tunc viciſsim nos aliquid conceſſuri ſumus vobis, vt ita coire concordiam poſsimus.*

Tur-

ratè locis ſeparantur, cum doctrina coniuncti ſint, ac perinde inter ſe certant, vt oculi diſtorti, qui ad vnum quidem ſpectant, verùm non aſpectu, ſed ſitu inter ſe diſsident. Si tamen rectè modò diſtortio hæc, ac nō cæcitas potius ijs crimini datur. Poſtquam verò ad vos vtcunq; verba feci, age nunc ad Spiritum reuertamur.

Turpe enim eſt] *Prorſus eſt turpe de re conſentire, de verbis ſolùm rixari. Vigilius lib. 2. Rogo cum ſenſibus incolumes ſitis, cur vocibus inſanitis? Rebus intellectis in verborum vſu faciles eſſe debemus.*

Vos Trinitatem] *Conuincere eos ſtudet argumento ex genere ſiue toto ducto: Trinitas eſt eiuſdem diuinitatis ſiue naturæ: Spiritus ſanctus eſt perſona Trinit. Itaq; Spiritus ſanctus eſt eiuſdē Diuinitatis & naturæ cum Patre & Filio.*

Tunc ne nos quidem] *Id eſt, nec ego vituperabo infirmitatem veſtram: etiamſi nominatim Deum vocare Spiritum ſanctum nolueritis (quod tamen futurum adhuc ſpero) donec ritè conſentiamus.*

Anathema eſſe] *Loquitur Gregorius de timidis, ſimplicibus, infirmisq; hæreticis, qui Chriſtum nobiſcum profitentur, pieq; & ſanctè viuunt, quos fratres & amicos etiam appellare li-*

cet

cet, vtpotè quos spes est errorem suum tand agnituros esse, & veritatem nobiscum professuros.

Nam de alijs quod attinet] *De Arrianis loquitur, qui Christi diuinitatem negantes.*

TEXTVS.

Οἶμαι δὲ καὶ ὑμεῖς ἤδη συνέψεσθε, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἦν μὲν ἀεί, καὶ ἔστι, καὶ ἔσται, οὔτε ἀρξάμενον, οὔτε παυσόμενον, ἀλλ' ἀεὶ πατρὶ καὶ υἱῷ συντεταγμένον καὶ συναριθμούμενον. οὐδὲ γὰρ ἔπρεπεν ἐλλείπειν ποτὲ ἢ υἱὸν πατρί, ἢ πνεῦμα υἱῷ. ὡς μεγίστῳ γὰρ ἂν ἦν ἄδοξος ἡ θεότης, ὥσπερ ἐκ μεταμελείας ἐλθοῦσα εἰς συμπλήρωσιν τελειότητος, ἦν οὖν ἀεὶ μεταληπτόν, οὐ μεταληπτικόν. Τελειοῦν, οὐ τελειούμενον. πληροῦν, οὐ πληρούμενον. ἁγιάζον, οὐχ ἁγιαζόμενον. θεοῦν οὐ θεούμενον. αὐτὸ ἑαυτῷ ταὐτὸν ἀεί, καὶ οἷς συντέτακται ἀόρατον, ἄχρονον, ἀχώρητον, ἀναλλοίωτον, ἄποιον, ἀνείδεον, ἀναφές αὐτοκίνητον ἀεικίνητον, αὐτεξούσιον, αὐτο-

prorsus peruersi seu reprobi erunt, mortuis & cæcis similes. Hi quamuis doctrinæ vinculo coniuncti erant, id est vno ore filium Dei negabant: locis tamen distincti erant, & velut oculi distorti alius alio spectare videbatur.

TEXTVS.

OPINOR verò, vos etiam tandem consequimini. Spiritus sanctus quidem semper erat, est & erit, neq; principium neq; finem habet, sed semper Patri & Filio coniunctus est & annumeratur. Neque enim decet, vt vel Filius aliquando deserat Patrem, vel Spiritus deserat Filium: quod profectò maximè obscuraret diuinitatem: quasi post pœnitentiam ad completionem perfectionis rediret. Erat igitur semper participans, nō particeps, perficiens, à nullo verò perfectus, explens, non expletus, sanctificans, non sanctificatus, diuinitatē afferens, non accipiens. Ipse sibijpsi, & Patri, Filioq; quibus adiunctus est, semper æqualis, & idem inuisibilis, temporis expers, nullo loco circumscriptus, nulla qualitate, quantitate, forma, aut tactu præditus, seipsum mouens, semper mouens, à se arbitrij libertatem habens, per

Argumentum à proprio.

Proprietates Spiritus sancti.

se

ϊοθεσίας

τοδύναμον, παντοδύναμον, εἰ καὶ πρὸς τὴν πρώτην αἰτίαν ὥσπερ τὰ τοῦ μονογενοῦς ἅπαντα, οὕτω δὲ καὶ τὰ τοῦ πνεύματος ἀναπέμπεται. ζωὴ καὶ ζωοποιόν. φῶς καὶ χορηγὸν φωτός. αὐτοάγαθον, καὶ πηγὴ ἀγαθότητος. πνεῦμα εὐθὲς, ἡγεμονικὸν, κύριον, ἀποστέλλον, ἀφορίζον, ναοποιοῦν, ἑαυτῷ ὁδηγοῦν ὡς βούλεται, διαιροῦν χαρίσματα, πνεῦμα υἱοθεσίας, ἀληθείας, σοφίας, συνέσεως, γνώσεως εὐσεβείας, βουλῆς, ἰσχύος, φόβου τῶν ἀπηριθμημένων. δι' οὗ πατὴρ γινώσκεται, καὶ υἱὸς δοξάζεται. καὶ παρ' ὧν μόνων γινώσκεται, μία σύνταξις, λατρεία μία προσκύνησις δύναμις, τελειότης, ἁγιασμός. Τί μοι μακρολογεῖν; πάντα ὅσα ὁ πατὴρ τοῦ υἱοῦ, πλὴν τῆς ἀγεννησίας. πάντα ὅσα ὁ υἱὸς, τοῦ πνεύματος πλὴν τῆς γεννήσεως. ταῦτα δὲ οὐκ οὐσίας ἀφορίζει κατά γε τὸν ἐμὸν λόγον, περὶ οὐσίαν δὲ ἀφορίζεται. ὠδίνεις τὰς ἀντιθέσεις, ἐγὼ δὲ ἀφορίζεται, ὠδίνεις τὰς ἀντιθέσεις, ἐγὼ δὲ τοῦ λόγου τὸν δρόμον. Τίμησον τὴν ἡμέραν τοῦ πνεύματος. Ἐπίσχε μικρὸν τὴν

γλῶτ-

se potens, omnipotens: tametsi ad primam causam, perinde vt primogeniti, sic & qui Spiritus sancti sunt omnia referantur. Vita & viuificans, lumen & luminis præbitor, bonitas ipsa, & fons bonitatis, Spiritus rectus, principalis, Dominus mittens, segregans, templum sibi extruens, dux vitæ operans quod vult, diuidens dona Spiritus adoptionis, veritatis, sapientiæ, intelligentiæ, cognitionis, pietatis, consilij, roboris, timoris, quemadmodum superiùs commemorauimus: per quem Pater cognoscitur, & Filius glorificatur, à quibus solus ipse cognoscitur, vnus ordo, vnus cultus, adoratio, potentia, perfectio, sanctitas. Quid attinet plura commemorare? Omnia quæcunque Pater habet Filij sunt, nisi quòd ingenitus non sit Filius: Omnia quæcunque habet Filius, Spiritus sunt, excepta generatione. Hæc verò non substantiam secernunt, sed mea quidem sententia, circa substantiam secernuntur. Hîc obijcere tu gestis, ego verò orationis cursum tenere cupio. Honora diem Spiritus, comprime paululum *Aliud argumentū à proprio.*

 lin-

γλῶτταν εἰ δυνατόν. Ἐπ᾽ ἄλλων γλωσσῶν ὁ λόγος, ταύτας αἰδέσθητι ἢ φοβήθητι μετὰ πυρὸς ὁρωμένας. σήμερον δόγμα πίσωμεν, αὔριον τεχνολογήσωμεν. σήμερον ἑορτάσωμεν, αὔριον ἀσχημονήσωμεν. ταῦτα μυστικῶς, ἐκεῖνα θεατρικῶς. ταῦτα, ταῖς Ἐκκλησίαις, ἐκεῖνα ταῖς ἀγοραῖς. ταῦτα τοῖς νήφουσιν, ἐκεῖνα τοῖς μεθύουσι. ταῦτα σπουδαζόντων, ἐκεῖνα παιζόντων κατὰ τοῦ πνεύματος. Ἐπεὶ δὲ ἀπεσκευασάμεθα τὸ ἀλλότριον φέρε καταρτύσωμεν τὸ ἡμέτερον. τοῦτο ἐνήργει πρότερον μὲν ἐν ταῖς ἀγγελικαῖς καὶ οὐρανίαις δυνάμεσι, καὶ ὅσαι πρῶται μετὰ θεὸν καὶ περὶ θεόν. οὐ γὰρ ἄλλοθεν αὐταῖς ἡ τελείωσις καὶ ἡ ἔλλαμψις καὶ τὸ πρὸς κακίαν δυσκίνητον ἢ ἀκίνητον ἢ παρὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Ἔπειτα ἐν τοῖς πατράσι, καὶ ἐν τοῖς προφήταις, ὧν οἱ μὲν ἐφαντάσθησαν, θεὸν ἢ ἔγνωσαν. Οἱ δὲ καὶ τὸ μέλλον προέγνωσαν, τυπούμενοι τῷ πνεύματι τὸ ἡγεμονικὸν, καὶ ὡς παροῦσι συνόντες τοῖς ἐσομένοις, τοιαύτη γὰρ ἡ τοῦ πνεύματος δύναμις. ἔπειτα ἐν τοῖς Χριστοῦ μαθηταῖς.

linguam, si fieri potest: de alijs linguis nobis dicendum est, has reuerere vel extimesce, cum igne visas. Hodie ex doctrina fidei, cras ex arte differemus. Hodie diem festum agamus, cras verecundiæ fines transeamus. Hæc mystica, illa theatrica sunt, hæc Ecclesijs conueniunt, illa foro, hæc sobrijs, illa temulentis, hæc seria agentibus, illa verò ludentibus aduersus Spiritum. Postquam autem aliena confutauimus, age nunc nostra instauremus. Spiritus efficax erat prius quidem in angelicis & cœlestibus copijs, alijsq; qui post Deum, & circa Deum primæ sunt. Non enim aliunde acceptam habent perfectionem & splendorem suum, tum statũ etiam eum, vt ad malitiam non facilè, vel nullo potius modo deficere posint, quàm à Spiritu sancto. Deinde erat efficax in patribus & Prophetis, quorum illi quidem per imaginem viderunt Deum, vel cognouerunt, hi verò etiam futura præsciuerunt. Informatas enim à Spiritu sancto mentes habuerunt, & futura perinde atque præsentia viderũt. Huiusmodi enim Spiritus vis est, tum in Christi discipulis fuit.

Ironia.

Vis & potentia Spiritus sancti in Angelis & Prophetis.

Ἐῶ γὰρ Χριστὸν εἰπεῖν, ᾧ παρῆν, οὐχ ὡς ἐνεργοῦν, ἀλλ' ὡς ὁμοτίμῳ συμπαρομαρτοῦν. καὶ τούτοις τριχῶς, καθ' ὅσον οἷοί τε ἦσαν χωρεῖν καὶ κατὰ καιροὺς τρεῖς, πρὶν δοξασθῆναι Χριστὸν τῷ πάθει, μετὰ τὸ δοξασθῆναι τῇ ἀναστάσει, μετὰ τὴν εἰς οὐρανοὺς ἀνάβασιν, ἢ ἀποκατάστασιν, ἢ ὅ, τι χρὴ λέγειν. Δηλοῖ δὲ ἡ πρώτη, τῶν νόσων καὶ ἡ τῶν πνευμάτων κάθαρσις, οὐκ ἄνευ πνεύματος δηλαδὴ γινομένη, καὶ τὸ μετὰ τὴν οἰκονομίαν ἐμφύσημα σαφῶς ὂν ἔμπνευσις θειοτέρα, καὶ ὁ νῦν μερισμὸς τῶν πυρίνων γλωσσῶν. ὃ καὶ πανηγυρίζομεν, ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον ἀμυδρῶς, τὸ δὲ δεύτερον ἐκτυπώτερον, τὸ δὲ νῦν τελειότερον, οὐκ ἔτι ἐνεργείᾳ παρὸν ὡς πρότερον. οὐσιωδῶς δὲ ὡς ἂν εἴποι τις συγγινόμενόν τε καὶ συμπολιτευόμενον. ἔπρεπε γὰρ υἱοῦ σωματικῶς ἡμῖν ὁμιλήσαντος, καὶ αὐτὸ φανῆναι σωματικῶς. καὶ Χριστοῦ πρὸς ἑαυτὸν ἐπανελθόντος, ἐκεῖνο πρὸς ἡμᾶς κατελθεῖν. Ερχόμενον μὲν ὡς κύριον πεμπόμενον δὲ ὡς οὐκ ἀντίθεον. Αἱ γὰρ τοιαῦται φωναὶ, οὐκ ἧττον τὴν ὁμό-

Non enim de Christo hoc ausim dicere, vtpote cui aderat Spiritus, non vt operans, sed vt æqualem honore affectans. In ijsq; erat trifariam, quatenus captus eorum ferebat, & tribus quidem temporibus, priusquam glorificaretur Christus per passionem, post glorificationem, per resurrectionem, post ascensionem in cœlum, aut restitutionem, vel quocunque alio nomine appellari debet. Id quod declarat prima illa morborum atque spirituum depulsio, quæ profectò absque Spiritu haud facta est: tum post incarnationem inspiratio, quæ palàm diuina fuit. Et postremò præsens hæc linguarum ignitarũ diuisio, quam solennem celebramus. Verùm obscuriùs primùm, deinde expresiùs in eis efficax fuit: nunc verò pleniùs, non tamen actu, vt ante, sed essentia, vt sic loquar, præstò est & conuersatur. Cùm enim Filius corporaliter nobiscum versatus sit, conueniebat etiam Spiritum corporaliter apparere: Et cum Christus ad sese reuersus esset, Spiritum ad nos descendere, venientem quidem vt Dominum, missum verò vt Deo minimè aduersantem. Huiusmodi enim voces non minùs concor-

Spiritus sanctus trifariam in Apostolis vim suam exercuit.

νοιαν δηλοῦσιν, ἢ φύσιν χωρίζουσιν. διὰ τοῦτο μετὰ Χριστὸν μὲν, ἵνα παράκλητος ἡμῖν μὴ λείπῃ, ἄλλος, δὲ ἵνα σὺ τὴν ἰσοτιμίαν ἐνθυμηθῇς. τὸ γὰρ ἄλλος, ἄλλος ἐγὼ καθίσταται. τοῦτο δὲ συνδεσποτείας, ἀλλ' οὐκ ἀτιμίας ὄνομα. τὸ γὰρ ἄλλος, οὐκ ἐπὶ τῶν ἀλλοτρίων, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ὁμοουσίων οἶδα λεγόμενον.

SCHOLIA.

Spiritus ſanctus quidem ſemper erat] *Regula eſt: Cui tribuitur proprium, quod vni ſoli eſſentiæ conuenit, huic & eſſentiam tribui neceſſe eſt. Spiritui ſancto conuenit proprium eſſentiæ diuinæ, nempe æternum eſſe ſine principio & fine. Itaq; Spiritui ſancto eſſentiam diuinam tribui neceſſe eſt.*

Neque enim decet] *Aliud argumentum itidem à proprio: Quod ſemper eſt cum Patre & Filio,* ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον *eſt Patri & Filio. Spiritus ſanctus ſemper eſt cum Patre & Filio. Spiritus ſanctus igitur Deus eſt verus cum Patre & Filio.*

Quaſi per pœnitentiam] *Id eſt, Niſi Spiritus ſanctus ab æterno fuit cum Patre & Filio, ſequitur hoc abſurdum, diuinitatem aliquandiu fuiſſe imperfectam, deficiente ſcilicet tertia perſona quæ eſt Spiritus ſanctus, quam poſteatan*

diam declarant, quam naturam distrahunt. Quocirca post Christum Spiritus venit, ne paracletus nobis desit. Alius verò, vt tu honoris æqualitatem cogites. Vox enim, alius, alium mihi æqualem constituit. Estq; nomen parem imperij gradum, non ignominiam indicans. Scio enim quòd vox alius non de alienis, sed de his, quæ eiusdem sunt substantiæ prædicetur.

ea tandem Deus, cum pœnituit eum imperfectionis huius, assumserit.

Participans non particeps] *Id est, Spiritus sanctus ex plenitudine sua impertit, ipse verò nullius indiget.*

Nulla qualitate] *Id est, caret omnibus accidentibus.*

Tametsi ad primam causam] *Quemadmodum Filius, sic etiam Spiritus sanctus omnia quæ facit, ad Patrem refert. Ioan. 5. Non potest Filius à seipso facere quicquam, iuxta Augustini dictum? Agit Filius non à se, sed per se. Est hæc occupatio: Qui ad alium sua acta refert, vel alij accepta refert, non agit per se. Spiritus sanctus refert sua acta ad Patrem. Ergo non agit Spiritus per se, vt Deus. RE. ad minorem, quæ intelligenda est de ordine actionum Diuinitatis.*

Pater quidem ſaluat nos, ſed redimit per Filium, & ſanctificat per Spiritum ſanctum. Sic Spiritus ſanctus nos ſanctificat, ſed non abſque Patre.
„ *Quia opera Diuinitatis externa, ſunt communia trium perſonarum.*

Quid attinet plura] *Iterum à proprio ducit argumentum: Spiritus ſanctus habet omnia quæ Pater & Filius. Ergo cum Patre & Filio verus eſt Deus.*

Niſi quòd ingenitus] *Secundum regulam:*
„ *Opera Diuinitatis interna ſunt diſtincta. Solius*
„ *enim Patris eſt gignere, ſolius Filij naſci, ſolius Spiritus ſancti procedere.*

Hic obijcere] *Occupatio: Libenter obijceres mihi aliquid, ſed ego pergo in curſu orationis.*

Honora diem Spiritus] *Id eſt, memento hodie eſſe feſtum Spiritus ſancti, proinde non quod tu vis, loquere, ſed de Spiritu ſancto audi.*

Verecundiæ fines tranſeamus] *Ironicè eludit humanam ſapientiam in rebus diuinis, eamq; ad ſuum locum & tempus reijcit.*

TEXTVS.

Ἐν γλώσσαις δὲ διὰ τὴν πρὸς τὸν λόγον οἰκείωσιν, πυρίναις δὲ ζητῶ πότε-

ρον

Vt ad malitiam non facilè] *Boni Angeli ita iam confirmati sunt, vt non labantur.*

Æqualem honore affectans] *Spiritus sanctus Christo quidem adfuit, sed vt pari, coëssentiali, & coæterno.*

Cum enim Filius corporaliter] *Causa cur Spiritus sanctus non tantum actu, hoc est, vi & potentia sua in Apostolis efficax fuerit, sed etiam corporeo modo, hoc est, visibili specie in die Pentecostes apparuerit. Quia Christus corporaliter nobiscum versatus est in terris. Eodem igitur modo etiam Spiritum sanctum versari siue apparere oportuit.*

Christus ad sese reuersus esset] *Id est, in cœlum rediisset vel ascendisset.*

Ne paracletus nobis desit] *Christus vocat Spiritum sanctum alium paracletum, Ioan. 14. Scil. æqualem sibi, distinctam tamen personam. Vterq; igitur est paracletus, Filius & Spiritus sanctus: Filius quidem, quia interpellat pro nobis: Spiritus sanctus, quia mouet corda ad inuocationem.*

TEXTVS.

QVOD autem in linguis Spiritus apparet, fit propter cognationem cum verbo. Sed cur in linguis igneis? Vtrum

ρον διὰ τὴν κάθαρσιν; οἶδε γὰρ ὁ λόγος ἡμῶν, καὶ πῦρ καθαρτήριον, ὡς πολλαχόθεν βουλομένοις ὑπάρχει μαθεῖν, ἢ διὰ τὴν οὐσίαν: πῦρ γὰρ ὁ θεὸς ἡμῶν καὶ πῦρ καταναλίσκον τὴν μοχθηρίαν. κἂν πάλιν ἀγανακτῇς τῷ ὁμοουσίῳ στενοχωρούμενος. μεριζομέναις δὲ διὰ τὸ τῶν χαρισμάτων διάφορον, καθεζομέναις δὲ διὰ τὸ βασιλικὸν καὶ τὴν ἐν τοῖς ἁγίοις ἀνάπαυσιν. ἐπεὶ καὶ θεοῦ θρόνος τὰ χερουβίμ. ἐν ὑπερῴῳ δὲ, εἰ μή τῳ περιεργότερος εἶναι δοκῶ τοῦ δέοντος, διὰ τὴν ἀνάβασιν τῶν δεξομένων καὶ τὴν χαμόθεν ἔπαρσιν. ἐπεὶ καὶ ὕδασι θείοις ὑπερῷα τινὰ στεγάζεται, δι' ὧν ὑμνεῖται θεὸς καὶ Ἰησοῦς αὐτὸς ἐν ὑπερῴῳ τοῦ μυστηρίου κοινωνεῖ, τοῖς τὰ ὑψηλότερα τελουμένοις, ἵνα ἐκεῖνο παραδειχθῇ: ὅτι τὸ μὲν τι καταβῆναι δεῖ θεὸν πρὸς ἡμᾶς, ὃ καὶ πρότερον ἐπὶ μωυσέως οἶδα γενόμενον. τὸ δὲ ἡμᾶς ἀναβῆναι, καὶ οὕτω γενέσθαι κοινωνίαν θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους τῆς ἀξίας συγκιρναμένης. ἕως δ' ἂν ἑκάτερον ἐπὶ τῆς ἰδίας μένῃ, τὸ μὲν περιωπῆς

τὸ

purgationis causa? Meminit enim etiam verbũ ignis purgationis, vt ex multis locis cognoscere ei, qui volet, licet. An verò propter essentiam? Nam ignis est Deus noster, & quidem ignis improbitatem consumens. Tametsi iterum indignaris, quòd effugere non possis, quin eandem essentiam Spiritus cum Patre fatearis. Dispertitis autem linguis apparuit propter donorum diuersitatem. Quòd verò sedit, regiam dignitatem denotat; & requiem in sanctis. Nam & Dei sedes sunt Cherubin. In cœnaculo autem (nisi fortè curiosior alicui, quàm par sit videor) propter ascensionem eorum qui accepturi sunt Spiritum, & à terra subuectionem. Nam & aquis diuinis cœnacula quædam operiuntur, quibus celebratur Deus. Immo Iesus ipse in cœnaculo sacramentum impertiebat his, quos ad sublimiora initiabat: quo illud demonstraretur, quòd descendere quidem Deum oporteat ad nos, quod & antea in Mose contigisse scio: Nos verò ascendere: quò communicatio mutua inter Deum & homines fiat, per dignitatis commixtionem. Quam diu verò vterq; in sede sua manet, Deus quidem in specula, homo

Cur Spiritus sanctus in linguis igneis & dispertitis apparuerit.

Quare Christus in cœnaculo instituerit suam cœnam sanctam.

τὸ δὲ τῆς ἐπιγνώσεως, ἄμικτος ἡ ἀγαθότης, καὶ τὸ φιλάνθρωπον ἀκοινώνητον. καὶ χάσμα ἐν μέσῳ μέγα, καὶ ἀδιάβατον οὐ τὸν πλούσιον τοῦ λαζάρου μόνον, καὶ τῶν ὀρεκτῶν ἀβραὰμ κόλπον διεῖργον, τὴν δὲ γενητὴν φύσιν, καὶ ῥέουσαν τῆς ἀγενήτου, καὶ ἑστηκυίας. τοῦτο ἐκηρύχθη μὲν ὑπὸ προφητῶν ὡς ἐν· τὸ πνεῦμα κυρίου ἐπ' ἐμέ, καὶ ἐπαναπαύσεται ἐπ' αὐτὸν ἑπτὰ πνεύματα. καὶ κατέβη πνεῦμα κυρίου, καὶ ὡδήγησεν αὐτούς. πνεῦμα ἐπιστήμης ἐμπλῆσαν βεσεβεὴλ τὸν ἀρχιτέκτονα τῆς σκηνῆς, καὶ πνεῦμα παροξυνόμενον, καὶ πνεῦμα ἐξᾶραν ἠλίαν ἐν ἅρματι καὶ ζητηθὲν παρὰ Ελισσαίου διπλάσιον. καὶ πνεύματι ἀγαθῷ καὶ ἡγεμονικῷ. Δαβὶδ ὁδηγούμενός τε καὶ στηριζόμενος. Επηγγέλθη δὲ ὑπὸ μὲν Ιωὴλ πρότερον, καὶ ἔσται ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις λέγοντος Εκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα, δηλάδη τὴν πιστεύουσαν, καὶ ἐπὶ τοὺς υἱοὺς ὑμῶν, καὶ ἐπὶ τὰς θυγατέρας ὑμῶν, καὶ τὰ ἑξῆς, ὑπὸ δὲ υἱοῦ καὶ ὕστερον δοξαζομένου τε καὶ ἀντιδοξάζοντος, ὡς τὸν πατέρα, καὶ ὑπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ ἡ ἐπαγγελία ὡς δαψιλής;

Σω-

homo autem in humilitate: neq; bonitas miſcetur, neque beneficentia communicatur. Eſtq; in medio hiatus magnus, & imperuius, non diuitem modò à Lazaro, ſed creatam etiam naturam, fluxamq; ab æterna & ſtabili dirimens. Hic Spiritus à Prophetis eſt prædicatus, vt in hoc dicto: Spiritus Domini ſuper me. Et, requieſcent ſuper eum Spiritus ſeptem. Item, deſcendit Spiritus Domini & deduxit eos. Item, Spiritus ſcientiæ, qui repleuit Beſeleël architectum tabernaculi. Et Spiritus ad iracundiam prouocans. *Item*, Spiritus qui extulit Eliam in curru, & duplex ab Eliſęo *poſtulatus eſt.* Dauid quoq; Spiritu bono & *principali* deductus & confirmatus eſt. Quid? quod à Ioële etiam prius promiſſus eſt, cum inquit: Et erit in poſtremis diebus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, videlicet credentē, & ſuper filios veſtros, & ſuper filias veſtras, & quæ ſequuntur. A filio autem poſtea glorificatus eſt, & viciſsim is glorificauit Filium, quemadmodum etiam Patrem glorificat, & viciſsim à Patre glorificatur.

Spiritus ſanctus à Prophetis prædicatus antequam humanam naturam aſſumſit filius Dei.

Mutua glorificatio Patris, Filij, & Spiritus ſancti.

Pro-

Συνδιαγωνίσαι, καὶ συμπαραμενεῖν, ὅτ' οὖν νῦν τοῖς κατὰ καιρὸν ἀξίοις, εἴτε ὕστερον τοῖς τῶν ἐκεῖσε ἀξιουμένοις. ὅταν ὁλόκληρον αὐτὸ τῇ πολιτείᾳ φυλάξωμεν ἀλλὰ μὴ τοσοῦτον ἀποβάλωμεν καθ' ὅσον ἂν ἁμαρτάνωμεν. τοῦτο τὸ πνεῦμα συνδημιουργεῖ μὲν υἱῷ καὶ τὴν κτίσιν, καὶ τὴν ἀνάστασιν. καὶ πειθέτω σε τὸ, λόγῳ κυρίου οἱ οὐρανοὶ ἐστερεώθησαν, καὶ τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτῶν. πνεῦμά τε θεῖον τὸ ποιῆσαν με, πνοὴ δὲ παντοκράτορος ἡ διδάσκουσά με. καὶ πάλιν, ἐξαποστελεῖς τὸ πνεῦμά σου καὶ κτισθήσονται καὶ ἀνακαινιεῖς τὸ πρόσωπον τῆς γῆς. δημιουργεῖ τὴν πνευματικὴν ἀναγέννησιν. καὶ πειθέτω σε τὸ μηδένα δύνασθαι τὴν βασιλείαν ἰδεῖν ἢ λαβεῖν ὅς τις μὴ ἄνωθεν ἐγεννήθη πνεύματι καὶ τὴν προτέραν ἐκαθαρίσθη γέννησιν, ἣ νυκτός ἐστι μυστήριον, ἡμερινῇ καὶ φωτεινῇ διαπλάσει, ἣν καθ' ἑαυτὸν ἕκαστος διαπλάττεται. τοῦτο τὸ πνεῦμα σοφώτατον γὰρ, καὶ φιλανθρωπότατον. ἂν ποιμένα λάβῃ, ψάλτην ποιεῖ. πνευμάτων πονηρῶν κατεπά-

δοντα

Promiſsio porro quàm liberalis eſt? Quòd vna verſatus ſit & manſurus nobiſcum, ſiue hîc ad tempus, ſiue poſtea in altera vita digni fuerimus. Quod tunc quidem continget nobis, ſi integrum illum in huius vitæ ſtatu ſeruauerimus, nec per peccata reiecerimus. Hic Spiritus vna cum Filio fabricatus eſt creaturam & reſurrectionem. Idq́; comprobat hoc dictum: Verbo Domini firmati ſunt cœli, & Spiritu oris eius virtus eorum. Item, Spiritus diuinus qui fecit me, & flatus omnipotentis qui docet me. Et iterum emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Autor eſt etiam *ſpiritualis regenerationis*, idq́; hinc confirmatur, quòd nemo poſsit regnum Dei videre, aut accipere, niſi deſuper natus fuerit per Spiritum, & à priori generatione, quæ noctis arcanum eſt, purificatus fuerit per diurnam ac lucidam formationem, qua per ſe quiſque fingitur. Hic Spiritus, cùm ſapientiſsimus ſit, & hominum amantiſsimus, ex paſtore cytharœdum facit, qui Spiritus malos fugat,

Promiſsio Spiritus ſancti, quòd velit nobiſcum manere in hac & altera vita.

Creatio rerum eſt communis Spiritui ſancto cũ Filio.

Spiritus ſancti effectus ſiue admiranda opera in Eccleſia.

δοντα, καὶ βασιλέα τοῦ Ἰσραὴλ ἀναδείκνυσιν. ἐὰν αἰπόλον συκάμινα κνίζοντα προφήτην ἐργάζεται. τὸν Δαβὶδ καὶ τὸν Ἀμὼς ἐνθυμήθητι. ἐὰν μειράκιον εὐφυὲς λάβῃ, πρεσβυτέρων ποιεῖ κριτὴν καὶ παρ᾽ ἡλικίαν. μαρτυρεῖ Δανιὴλ ὁ νικήσας ἐν λάκκῳ λέοντας. ἐὰν ἁλιέας εὕρῃ, σαγηνεύει Χριστῷ κόσμον ὅλον τῇ τοῦ λόγου πλοκῇ συλλαμβάνοντας. Πέτρον λάβε μοι, καὶ Ἀνδρέαν καὶ τοὺς υἱοὺς τῆς βροντῆς, τὰ πνευματικὰ βροντήσαντας. ἐὰν τελώνας εἰς μαθητείαν κερδαίνῃ καὶ ψυχῶν ἐμπόρους δημιουργεῖ. φησὶ Ματθαῖος ὁ χθὲς τελώνης, καὶ σήμερον εὐαγγελιστής. ἐὰν διώκτας θερμοὺς τὸν ζῆλον μετατίθησι, καὶ ποιεῖ Παύλους ἀντὶ Σαύλων καὶ τοσοῦτον εἰς εὐσέβειαν, ὅσον εἰς κακίαν κατέλαβε, τοῦτο καὶ πνεῦμα ἐστι πραότητος, καὶ παροξύνεται τοῖς ἁμαρτάνουσι.

SCHOLIA.

' Sed cur in linguis] *Cognatio magna est linguæ & orationis* τοῦ λόγου καὶ γλώσσης. λόγος *autem est Christus. Spiritus sanctus itaque voluit in linguis apparere, vt consensum suæ mentis*

gat & Regem Israëlis designat. Ex caprario moros vellicante Prophetam efficit, Dauidem & Amos intellige. Ex adolescente ingenioso facit Iudicem seniorum, quamuis præter ætatem. Testis est Daniel leonum victor in lacu. Per piscatores totum mundum nexu diuini verbi ad Christum conuertit. Exemplo tibi sunt Petrus, Andreas & tonitrui filij, qui spiritualiter tonuerunt. Publicanos lucratur & discipulos, animarumque mercatores facit. Testatur Matthæus, heri publicanus, hodie Euangelista. Zelum persecutorum ferocium commutat, & Paulos ex Saulis facit, tanta scilicet pietate præditos, quanta prius malitia pollutos inuenerat. Est etiam hic Spiritus lenitatis, & irascitur peccantibus.

mentis, vocis & doctrinæ cum Christi mente, voce & doctrina ostenderet. Nihil enim docet Spiritus sanctus, nisi quòd Christus docuit, neque aliud docuit Christus, quàm Spiritus sanctus sonat in Ecclesia.

In linguis igneis] *Spiritus sanctus apparuit in linguis igneis, vel quòd purget pectora credentium, impios verò consumat, vt quidem Nas-*

sianseno placet: vel quod inflammet & illust[ret] corda Christianorum. Ex quo discimus lingu[a]rum scientiam in Ecclesia esse Spiritus sancti do[n]um, propter tres causas concessum atq; tributum nobis. I. Vt per illud explicari ac propagari do[c]trina de Deo & artibus, quæ sunt instrumenta docendi in diuersis gentibus possit. II. Vt teste[tur] præsentiam Spiritus sancti in Ecclesia. III. Vt doceat ad omnes gentes pertinere Euangelij doctrinam. Religiose igitur & magna cura colen[dum] est studium linguarum, Latinæ præsertim, Græcæ & Hebraicæ, quibus omnis de Deo doctri[na] comprehensa est. Quod qui non faciunt, hi in Deum ipsum ingrati sunt, quòd tam diuinum Spi[ri]tus sancti donum aspernantur.

Dei sedes sunt Cherubin] *Deus sedet su[per] Cherubin, Psalmo 80. Id est, super propitiato[rio] arcæ, quod duo Cherubin suis alis tegebant & obumbrabant.*

Nam & aquis diuinis] *Psalmo 104. dici[tur] Deum contignare in aquis cœnacula sua: pro quo Græca versio habet: ὁ στεγάζων ἐν ὕδασι τὰ ὑπερῷα αὐτοῦ, tegens in aquis cœnacula sua. Significatur autem Deum non struere cœleste suum Palatium super lapides, hominum more, sed trabes ponere in aquis.*

In Mose] *Qui in montem ascendit, Deus ve[ro] in eundem descendit.*

Quam

Quam diu verò vterq;] *Dulce commercium Dei & hominis indicatur. Nam Deus ex arcana sua sede, & maiestatis throno prodit, sese demittit, & descendit ad nos, alloquens nos per verbum, & consolationem dicens in corde per Spiritum sanctum, tum carne & sanguine filij Iesu Christi in sacramento cœnæ nos pascit: quo nos ad se in cœlum attrahat, & sibi arctißimo vinculo copulet. Nos verò vicißim decet ascendere ad Deum, altè spectare, cœlestia inquirere, & omnem spem, desiderium atq; fiduciam in eo fixam atq; locatam habere.*

Spiritus Domini super me] *Esaiæ 61.*

Requiescant super eum] *Esa. 2. vt supra.*

Beselcel] *Artifex fuit tabernaculi.* Exod. 31.

Siue hic ad tempus] *Qui digni vel indigni sint Spiritu sancto; ex Ioële cognosci potest, vbi Deus inquit, se effusurum esse Spiritum suum super omnem carnem, vt omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus fit. Verè igitur dignus est Spiritu sancto, qui in vera agnitione & fide Christi Deum inuocat. Contra verò indignus est, quisquis Deum neq; agnoscit, neq; verè inuocat, neq; lapsus contra conscientiam vitat. His enim peccatis excutitur Spiritus sanctus.*

Renouabis faciem terræ] *Renouatur terra non solùm verno tempore, cũ omnes res terra na-*

scientes recepto vigore pristino, nouam form induunt, sed quotidie etiam per generation & propagationem hominum & animantiu Psalmo 104.

Per diuinam ac lucidam] *Spiritualis re-generatio, vt à Spiritu nomen habet, sic Spiritu etiam opus est. Ac diurna quidem vocatur vel*

TEXTVS.

Τοιγαροῦν πειραθῶμεν ὡς πράου, καὶ μὴ ὀργίλου τὴν ἀξίαν ὁμολογοῦντες, καὶ τὸ βλάσφημον φεύγοντες. καὶ μὴ βουληθῶμεν ἰδεῖν ὀργιζόμενον ἀσυγχώρητα. τοῦτο καί με ποιεῖ σήμερον ὑμῖν τολμηρὸν κήρυκα. εἰ μὲν οὐδὲν πεισόμενον, τῷ θεῷ χάρις. εἰ δὲ πεισόμενον καὶ οὕτω χάρις. τὸ μὲν ἵνα φείσηται τῶν μισούντων ὑμᾶς τὸ δὲ ἵν' ἡμᾶς ἁγιάσῃ μισθὸν τοῦτο λαβόντας τῆς ἱερουργίας εὐαγγελίου, τὸ τελειωθῆναι δι' αἵματος. Ἐλάλουν μὲν οὖν ξέναις γλώσσαις, καὶ οὐ πατρίοις, καὶ τὸ θαῦμα μέγα· λόγος ὑπὸ τῶν οὐ μαθόντων λαλούμενος, καὶ τὸ σημεῖον τοῖς ἀπίστοις, οὐ τοῖς πιστεύουσιν ἵν' ᾖ τῶν ἀπίστων κατήγορον, καθὼς γέγραπται

ἐ

otidiana, quòd vetus Adam debet ſubinde in rriſtianis per mortificationem ac pœnitentiam bmergi, ac rurſus quotidie emergere ac reſur- re nouus homo.

Tonitrui filij] *Sunt Iacobus & Ioannes, arci 3. hoc eſt, oratores ſeu concionatores to- ntes ac fulgurantes.*

TEXTVS.

QVOCIRCA vt fruamur eo tanquam ni, nec irato dignitatem eius confitea- ur, conuiciaq; vitemus, nec in animum ducamus, implacabiliter eum iraſcen- m videre. Hic me quoq; hodie fidentem ncionatorem apud vos reddit. Ac ſi ni- l mali mihi euenerit, gratia ſit Deo. Sin uid acciderit grauiùs, etiam ſit Deo gra- a, partim quòd reprimit eos, qui ode- unt nos, partim quòd ita nos ſanctificat, t mercedem hanc functionis Euange- cæ ferentes curſum tandem ſanguine ab- luamus. Atqui loquebantur linguis pe- egrinis, non patrijs. Miraculum ſanè ma- num, quòd ſermo prolatus ſit ab his, qui on didicerant. Idque fuit ſignum infide- bus, non credentibus, quo videlicet in- deles accuſarentur, ſicut ſcriptum eſt: *Exhortatio ad cultum Spiritus ſancti, ne iraſcatur nobis.* *Votum Naſianſeni, vt martyr fiat, hoc eſt ſanguine profuſo doctrinam à ſe traditam obſignet.*

ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις λαλήσω τῷ λαῷ τούτῳ, καὶ οὐδ᾽ οὕτως εἰσακούσονταί μου, λέγει κύριος. ἤκουον δὲ μικρὸν ἐνταῦθα ἐπίσχε καὶ διαπόρησον, πῶς διαιρήσεις τὸν λόγον. ἔχει γάρ τι ἀμφίβολον ἡ λέξις τῇ στιγμῇ διαιρουμένον. ἆρα γὰρ ἤκουον ταῖς ἑαυτῶν διαλέκτοις ἕκαστοι, ὡς φέρε εἰπεῖν, μίαν μὲν ἐξηχεῖσθαι φωνὴν, πολλὰς δὲ ἀκούεσθαι οὕτω κτυπουμένου τοῦ ἀέρος. καὶ ἵν᾽ εἴπω σαφέστερον, τῆς φωνῆς φωνῶν γινομένων ἢ τὸ μὲν, ἤκουον, ἀναπαυστέον, τὸ δὲ, λαλούντων ταῖς ἰδίαις φωναῖς, τῷ ἑξῆς προσθετέον. ἵν᾽ ᾖ λαλούντων φωναῖς, ταῖς ἰδίαις τῶν ἀκουόντων, ὅπερ γίνεται ἀλλοτρίαις. καθὸ καὶ μᾶλλον τίθεμαι. ἐκείνως μὲν γὰρ τῶν ἀκουόντων ἂν εἴη μᾶλλον ἢ τῶν λεγόντων τὸ θαῦμα, οὕτω δὲ τῶν λεγόντων, οἳ καὶ μέθην καταγινώσκονται. Δῆλον ὡς αὐτοὶ θαυματουργοῦντες περὶ τὰς φωνὰς τῷ πνεύματι. πλὴν ἐπαινετὴ μὲν καὶ ἡ παλαιὰ διαίρεσις τῶν φωνῶν. ἡνίκα τὸν πύργον ᾠκοδόμουν ἢ κακῶς καὶ ἀθέως ὁμοφωνοῦν-

τες

quoniam in alijs linguis & labris alijs loquar populo huic, ac ne sic quidē exaudient me, dicit Dominus. Audiebant tamē. Paululum hîc consiste & dubita, quo pacto distinguenda sit oratio. Habent .n. ambiguitatem aliquam verba hæc, quā distinctione oportet dirimere. Nū igitur audiebant suis ipsorum linguis quisque: vt verbi causa, vna vox duntaxat sonaret, multæ verò audirētur ita perstrepente aëre? Ac vt magis perspicuè dicam, num ex vna voce plures voces factæ sunt? An verò post verbū, audiebāt, punctum est ponendum, & loquebantur proprijs linguis, cum his quę sequuntur cōiungere oportet vt sit sensus: Loquebantur *linguis* proprijs auditorū, *hoc est, alienis linguis,* id quod magis mihi pro*batur. Sin* ita locuti sunt, vt auditores varias *linguas* intellexerint, auditorū potius illud fuerit miraculum, quàm Apostolorum. Si verò Apostolos dicamus propria cuiq; nationi lingua locutos esse, verū tunc erit quòd temulentię insimulati sunt: haud dubiè quod in Spiritu miracula per linguarum diuersitatem ediderint. Veruntamen laudabilis est etiam vetus illa linguarum diuisio, quando turrim ædificabant hi, qui malè impieq; consentiebant.

Cur linguis externis locuti sint Apostoli.

Comparatio doni linguarum in Apostolis cum cōfusione linguarum in ædificatione turris Babylonica.

της. ὥσπερ καὶ τῶν νῦν τολμῶσί τινες. Τ
γὰρ τῆς φωνῆς διαστάσει συνδιαλυθ
τὸ ὁμόγνωμον τὴν ἐγχείρησιν ἔλυσε
ἀξιεπαινοτέρα δὲ ἡ νῦν θαυματουργουμέ-
νη. ἀπὸ γὰρ ἑνὸς πνεύματος εἰς πολλοὺς
χυθεῖσα, εἰς μίαν ἁρμονίαν πάλιν συνά-
γεται. καὶ ἐστὶ διαφορὰ χαρισμάτων
ἄλλου δεομένη χαρίσματος, πρὸς διά-
κρισιν τῆς βελτίονος. ἐπειδὴ πᾶσαι τὸ
ἐπαινετὸν ἔχουσι. καλὴ δ' ἂν κά-
κείνη λέγοιτο περὶ ἧς Δαβὶδ λέγει, κα-
ταπόντισον κύριε καὶ καταδίελε τὰς
γλώσσας αὐτῶν. διὰ τί; ὅτι ἠγάπη-
σαν πάντα τὰ ῥήματα καταποντι-
σμοῦ, γλῶσσαν δολίαν μονονοὺ φανερῶς
τὰς ἐνταῦθα γλώσσας καταιτιώμενος
αἳ θεότητα τέμνουσι. ταῦτα μὲν οὖν ἐπὶ
τοσοῦτον.

SCHOLIA.

Sin quid acciderit] *Apparet ex his verbis periculum impendisse Naßiaseno ab lloßibus hareticis seu falsis fratribus.*

Num igitur audiebant] *Dubitatio Naßiansenі hæc est, vtrum Apostoli auditorum diuersorum diuersis linguis locuti sint, an vna*

lingua

bant. Quemadmodum etiam nunc quidam facere audent. Vna enim cum linguæ discrepantia turbatus consensus conatum impediuit. Sed laudabilior multò est hæc linguarum diuersitas cum miraculo tanto coniuncta. Nam ab vno Spiritu in multos diffusa in vnum concentum denuò redigitur. Estque diuersitas quædam donorum, quæ alio dono ad dijudicationem eius, quod melius est, indiget. Quandoquidem omnia dona laude digna sunt. Quin præclara etiam illa dici potest linguarum diuisio, de qua inquit Dauid: Demerge Domine, & diuide linguas eorum. Quare? Quia dilexerunt omnia verba submersionis, linguam dolosam. Propemodum apertè linguas huius loci & temporis accusans, quæ diuinitatem dirimunt. Atque de his quidem hactenus.

lingua, quæ à diuersarum linguarum auditoribus intelligi potuit? Sed expedita est responsio: Cùm textus dicat Apostolos esse locutos alijs linguis, satis perspicuum est Apostolos varijs & diuersis linguis vsos esse, Græca apud Græcos, Latina apud Latinos, Germanica apud Germanos. Quod sanè

Ἐπεὶ δὲ τοῖς κατοικοῦσιν Ἱερουσαλὴμ εὐλαβεστάτοις Ἰουδαίοις, πάρθοις, καὶ μήδοις, καὶ ἐλαμίταις, αἰγυπτίοις καὶ λίβυσι, κρησί τε, καὶ ἄραψι, μεσοποταμίταις τε, καὶ τοῖς ἐμοῖς καππαδόκαις ἐλάλουν αἱ γλῶσσαι, καὶ τοῖς ἐκ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, ἰουδαίοις, εἴπω φίλον οὕτω νοεῖν ἐκεῖσε συνειλεγμένοις. ἄξιον ἰδεῖν τίνες ἦσαν οὗτοι, καὶ τῆς ποίας αἰχμαλωσίας. ἡ μὲν γὰρ εἰς αἴγυπτον καὶ βαβυλῶνα, περίγραπτός τε ἦν, καὶ πάλαι τῇ ἐπανόδῳ λέλυτο. ἡ δὲ ὑπὸ ῥωμαίων, οὔπω γεγένητο, ἔμελλε δὲ, εἰσπράξεις οὖσα τῆς κατὰ τοῦ σταυροῦ θρασύτητος. λείπεται δὴ τὴν ὑπὸ ἀντιόχου ταύτην ὑπολαμβάνειν, οὐ πολὺ τούτων οὖσαν τῶν ἐτῶν πρεσβυτέρων. εἰ δέ τις ταύτην μὲν οὐ προσίεται τὴν ἐξήγησιν ὡς περιεργοτέραν, οὔτε γὰρ παλαιαὶ

TEXTVS.

HABITANTIBVS Hierosolymis religiosissimis Iudæis, Parthis & Medis, & Elamitis, Ægyptijs & Libycis. Cretensibus & Arabibus. Mesopotamitis & Cappadocibus meis loquebantur linguæ, atq; ex omni gente, quæ sub cœlo est Iudæis, illic congregatis. Si cui ita intelligere libet, operæ precium fuerit, quinam fuerint isti, videre, & de qua captiuitate. Ægyptiaca enim & Babylonica certo loco circumscripta erat, & iam olim per reditum captiuorum soluta. Romana verò nondum acciderat, vtpote quæ executio seu pœna audaciæ aduersus crucem Christi futura erat. Superest igitur vt de captiuitate sub Antiocho intelligamus, non multò ijs temporibus antiquiore. Si cui verò hæc non probatur expositio, quòd curiosior esse videatur (Vetus enim non est

Quinam fuerint: Iudæi religiosi viri Hierosolymis habitantes ex omni natione.

hæc

λαιὰν εἶναι τὴν αἰχμαλωσίαν οὔτ' ἐπὶ πολὺ τῆς οἰκουμένης χυθεῖσαν, ζητεῖ δὲ τὴν πιθανωτέραν: ἐκεῖνο ἴσως ὑπολαβεῖν ἄμεινον, ὅτι πολλάκις καὶ ὑπὸ πλειόνων τοῦ ἔθνους μεταναστάντος ὡς τῷ Εσδραῒ ἱστόρηται, αἱ μὲν τῶν φυλῶν ἀνεσώθησαν, αἱ δὲ ὑπελείφθησαν. ὧν εἰκὸς διασπαρεισῶν εἰς ἔθνη πλείονα τὴν ἱκαῦτα παρεῖναι τινας, καὶ μετέχειν τοῦ θαύματος καὶ ταῦτα περιεξήτασται τοῖς φιλομαθέσιν, ἴσως οὐ περιέργως καὶ ὅτι ἂν συμφέρῃ τις εἰς τὴν παροῦσαν ἡμέραν, καὶ ἡμῖν τοῦτο ἔσται συλλογιστέον, ἡμῖν δὲ τὸν μὲν σύλλογον ἤδη διαλυτέον. Ικανὸς γὰρ ὁ λόγος. τὴν δὲ πανήγυριν οὐδέποτε, ἀλλ' ἑορταστέον, νῦν μὲν καὶ σωματικῶς μικρὸν δὲ ὕστερον ὅλον πνευματικῶς. ἔνθα καὶ τοὺς λόγους τούτων εἰσόμεθα καθαρώτερον καὶ σαφέστερον, ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ, καὶ θεῷ καὶ κυρίῳ ἡμῶν Ιησοῦ Χριστοῦ, τῇ ἀληθινῇ τῶν σωζομένων ἑορτῇ, καὶ ἀγαλλιάσει, μεθ' οὗ ἡ δόξα καὶ τὸ σέβας τῷ πατρί σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, Αμήν.

SCHO-

hæc captiuitas, neq; tunc in multas orbis terræ partes dispersi sunt Iudæi) probabilioremque desiderat: fortasse illud existimare melius erit, quòd cum sæpius, & quidem à compluribus hæc natio abducta sit, vt Esdra memoriæ prodidit: tribus aliæ restitutæ sunt, aliæ in exilio relictæ. Ex quo consentaneum est, cùm dispersi in plures gentes fuerint Iudæi, adfuisse tunc nonnullos, & miraculi Apostolorum participes factos esse. Hæc disserui propter literarum studiosos, fortasse non nimis accuratè. Ac si quis est, qui afferre aliud quodcunq; ad præsens festum ornandum posit, nobis etiam illud collegisse videbitur. *At nunc dimittendi concionem tempus est, cùm benè longa fuerit nostra oratio. Festiuitas verò nunquam est finienda*, sed celebranda, iam quidem corporaliter, paulò post verò prorsus spiritualiter, vbi rationes harum rerum puriùs ac manifestiùs cognoscemus, in ipso verbo & Deo, Dominoque nostro IESV CHRISTO: vero scilicet saluatorum festo & exultatione, cum quo sit gloria, & veneratio Patri cum Spiritu sancto nunc & in secula, AMEN.

Epilogus abrumpẽs orationis filum & propositionem de festi celebratione repetens.

SCHO

SCHOLIA.

Habitantibus Hierosolymis] *Quæstio de Iudæis, viris religiosis, qui tempore Pentecostes Hierosolymis fuerunt, ex omni ratione sub cœlo. Ac responsio facilis quidem est de Iudæis religiosis, quòd dispersi in diuersas gentes id temporis ad festum diem Pentecostes venerint, & linguarum miraculo obstupefacti sint. Facta est autem haud dubie talis dispersio, vt de Ethnicis etiam multi ad veri Dei agnitionem & cultum vocarentur. De captiuitatibus verò Iudæorum nihil attinet explicare, sed satis sit hæc de dispersione Iudæorum inter gentes tenere.*

ORATIO VIII. DIVI BASILII MAGNI DE IRA.

I. Argumentum Orationis.

PRIMVM *est illustris interpretatio quinti præcepti Decalogi, tanquam digito monstrans & obstruens fontem dissidiorum, rixarum, contentionum, inimicitiarum, conuiciorum, iniuriarum & reliquorum peccatorum, quæ in quinto præcepto damnantur. Secundò complectitur & lucu-*

luculentè exponit, quicquid de ira concitatiſsimo affectu ſcriptura cœleſtis & Philoſophica paſsim pertractat. Ita enim conferta eſt Oratio & neruoſa, vt nihil dici poſsit de Ira perfectius & vtilitate vberius. Tertiò non ſolùm fontem diſsidiorum & multorum tragicorum malorum aperit, oſtendendo magnitudinem huius pernicioſiſsimi vitij: ſed remedia etiam iſti morbo vehementiſſimo opponenda inſigniter monſtrat, quibus ſanari poſsit atq; ſedari.

II. Diſtinctio.

Ira ſeu iracundia eſt vitium oppoſitum lenitati ſeu miſericordiæ. Sunt enim huius virtutis duo contraria vitia: alterum ὀργιλότης, id eſt, iracundia, quæ eſt exceſſus, iraſcens quibus & propter quas cauſas non decet, tum vehementius etiam citius & diutius quàm par eſt & conuenit. alterum ἀοργησία, non ſuccenſens ob eas cauſas, ob quas ſuccenſere decet.

III. Definitio.

Ira eſt motus cordis, ortus ex triſtitia, ſiue offenſione aliqua, ad prepulſandam & vindicandam iniuriam ſtimulans. Ariſtoteles iram vocat ὄρεξιν, μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης διὰ φαινομένην τιμωρίαν τῶν εἰς αὐτῶν ἢ αὐτοῦ τινὰ μὴ προσηκόντως: cupiditatē cum do-

lore eius puniendi, de quo pœna videatur sumi posse propter manifestam contemtionem, quam vel in nos vel in nostrum aliquem commisit, sine iusta causa, Rhet. 2. cap. 4. Partes sunt duæ, tristitia scilicet orta ex accepta aliqua iniuria, & ardens vindictæ cupiditas. Nam ex commixtione horum duorum affectuum nascitur ira.

Causæ quæ ab ira nos deterrere debent.

I. *Est autoritas Dei seuerißimè prohibentis iram.*

II. *Ordinatio Dei, qui sibi soli vindictam vendicat.*

III. *Est exemplum patris nostri, & filij eius Iesu Christi, non pro suo iure nobis irascentis, sed immensa misericordia condonantis nobis omnia delicta.*

IIII. *Neceßitas precationum, quæ fieri non possunt, vbi ira in animo ardet.*

V. *Ne irascendo expellamus Spiritum sanctum, & occasionem præbeamus Diabolo, qui ex ira longam telam grauißimorum peccatorum texere solet.*

VI. *Vt parcamus infirmißimo vasculo corporis proprij quod ira perinde vt fulmine quodam percellitur, labefactatur & corrumpitur.*

VII. *Ne nostro exemplo alios offendamus.*

VIII.

VIII. *Ne casus Tragicos nobis & aliis attrahamus; vt multi incensi cupiditate vindictæ, vel patriæ bellum intulerunt, vt Coriolanus: vel inconcessa præsidia quæsiuerunt, vt Græci Imperatores Turcas attraxerunt.*

IX. *Dignitas virtutis seu professionis nostræ tantum valere apud nos debet, vt omnium iniuriarum obliuisci malimus, quàm ab ira turpiter vinci.*

X. *Exempla eorum qui forti magnoq; animo iniurias ferre maluerunt, quàm priuatæ cupiditati cum suo aliorum detrimento indulgere. Camillus maluit afflictæ patriæ, quàm suæ iniuriæ memor esse. Ideo alter Romulus appellatus est. Liuius libro 5. Decad. 1.*

SEQVITVR ORATIO D. Basilij de Ira.

VT Medicarum præceptionum, cùm scitè & ex ratione artis vsurpantur, tum demum vtilitas cernitur, cum experientiæ testimonium accesserit: ita spiritualium exhortationum vis & vtilitas ad emendationem vitæ & profectum eorum qui obediunt, tum demum apparet, cum reeuentuque comprobantur ea quæ præcepta *Exordium à sententia cõmuni per comparationẽ artis Medicæ & cœlestium dictorum.*

cepta sunt. Cum enim audimus perspicuam in prouerbijs asseuerationem, quòd ira perdat etiam sapientes: item quòd Apostolus monet: Omnis ira, indignatio & vociferatio tollatur à vobis cum omni malitia: aut etiam quòd Dominus dicit: *Qui irascitur temerè fratri suo, obnoxius est iudicio*, tum demum admirandum harum diuinarum doctrinarum & præceptionũ fructum intelligemus, cum aliquando ipsi hunc affectum, qui non in nobis nascitur, sed foris tanquã inopinata quædam procella ingruit, experiemur. Ita si in quiete didicerimus deformem esse habitum eorum qui ira corripiuntur, & postea ipsi locum iræ damus, perinde vt flumini violento datur transitus: reipsa experimur, quàm conuenienter illud dicatur, quòd vir iracundus non sit decorus. Cum enim semel is affectus rationem peruerterit, animæque dominatum assumserit, prorsus hominem efferat, & ne hominem quidem esse sinit, dum ratione non amplius regitur. Quod enim venenosis est veneuum, id irritatis est indignatio: feruntur impetu, exiliunt, & canum ritu insaniunt, exerunt aculeos vt scorpiones, mordent vt serpentes. Vnde & Scriptura

iratos

iratos beluarum nomine appellare ſo-let, quibus prauitate ſimiles ſunt. Ap-pellat enim eos mutos canes & ſerpen-tes, tum viperarum progeniem, & hu-iuſmodi alijs nominibus. Nam qui ad perniciem mutuam parati ſunt,& ad con-tribulium ſuorum detrimentum, meri-tò beſtijs & venenatis animalibus an-numerantur, quibus natura implaca-bile odium ineſt. Propter indignationem lingua effrenis eſt, os incontinens, ma-nus impotentes. Iniuriæ, contumeliæ, maledicta, verbera, & affectus alij, qui ne recenſeri quidem omnes poſſunt, ex ira & indignatione tanquam ſoboles naſcuntur. Ex indignatione enſis ſtrin-gitur, & mortem ipſam homo homini molitur. Hæc facit vt fratres ſeſe mutuo non agnoſcant, parentes etiam & liberi naturalium affectionum obliuiſcantur. Seipſos enim primùm irati non noue-runt, deinde nec alios propinquos vllos. Vt enim torrens ad caua loca confluens, obuia quæq; ſecum trahit: ita iratorū im-petus violenti ſunt, & temere per omnia graſſantur. Non caniciem indignabundi reuerentur, non vitæ bene actæ rationem habent, non generis propinquitatem cu-

Descriptio iræ à forma & effectu.

rant, non accepta beneficia, non deniq; vlli dignitati parcunt, insania quædam est diuturna indignatio: nam seipsos homines sæpe in manifestum malum præcipitant, dum vindictæ cupiditati indulgent, nec salutis suæ vllam rationem ducunt. Percelluntur enim recordatione acceptæ iniuriæ, veluti œstro, palpitante nimirum in illis, & quasi saliente animo præ indignatione: nec prius desistunt, quàm malum aliquod ei à quo irritati sunt, dederint: aut ipsi forte, si ita casus ferat, aliquid passi sint. Quemadmodum sæpe, quæ violento modo dirumpuntur, ex contrariorum collisione potius detrimentum accipiunt, quàm inferunt. Quis magnitudinem huius mali efferat? quomodo hi qui celeriter flammas indignationis concipiunt, quacunq; occasione accensi vociferetur, sæuiant & venenata bestia rabiosiores euadant non desistentes, priusquam per ingens & immedicabile malum, ira tanquam bulla ex ipsis effusa, ardoris impetus sedetur, *a* non enim gladij acies, non aliud terribile quicquam satis potés est ad comprimendam animam, ira velut insania, æstuantem: non aliter profectò, quàm si quis à Diabolo obsessus est, à quo neq; habitu,

Voces & gestus iratorum.

Iracundia non nisi dato acceptone malo conquiescit.

bitu,neq; animi affectione differunt irascentes. Qui enim vindictæ cupiditate flagrant his feruet sanguis in corde, quasi quodam igni vehemente conturbatus & æstuans. Cum verò ad exteriora exundat, alia forma irati apparet, conuersa illa & nota tanquam persona in scena commutata. Etenim oculi proprij & consueti non agnoscuntur, aspectus efferatus est, ignem præ se ferens: strident dentes, perinde vt sues hostibus obuiam euntes, facies liuida est, & suffusa sanguine: corporis moles intumuit: venæ disruptæ sunt, agitato intus spiritu tanquam à fluctuatione: vox aspera & contenta nimium: sermo confusaneus & temerè excidens, sine dispositione, sine ordine, sine perspicuitate procedens. Cum verò ad immedicabile aliquod malum, materiæ copia tanquam flamma affatim ab irritantibus suppeditata, extimulatus aliquis fuerit, tunc ea spectacula videas, quæ neq; verbis explicari, neq; reipsa tolerari possint: manus contra propinquos erectas, & omni è parte corporis protentas: pedes temere in obuia quæque prosilientes: deniq; quidquid occurrit, telum fit insaniæ. Quòd si in alium iratum simili malo insaniæ conflictantem,

Mutatio formæ iratorum.

Quicquid occurrit irato, telum fit insaniæ.

ſibiq́ue reluctantem inciderint irati: tunc ſanè congreſsi mutuo, ea perpetrant & patiuntur, quæ veriſimile eſt vſu venire his, qui ſub huiuſmodi Dæmone militant. Mutilationes membrorum certè vel mortem etiam ipſam ſæpe iræ præmium digladiantes deportant, dum alter quidem manus iniuſtas inferre cœpit, alter ſeſe defendit: alter iterum laceſsiuit, alter cædere noluit: ac corpus quidem plagis intercidi- tur, ſed præ ira doloris ſenſus non percipitur. Non enim accepto doloris ſenſu acquieſcunt, ſed anima tota ad vindicandam iniuriam propendet. Nolite malum malo ſanare, neq; alius alium calamitatibus ſuperare conamini: quia in certaminibus malis inferior eſt qui vincit, propterea quòd plus peccati reportet. Ne igitur malæ ſtipis ſis executor, neque malum debitum peiore fœnore rependas. Iniuriam tibi fecit iratus, tu ſilentio malum ſopi. Verùm dum illius iram tanquã flumen intra cordis tui penetralia ſuſcipis, ventos imitaris, qui quod occurrit reflando à ſe repellunt. Noli inimico vti præceptore: neque quem odiſti æmuleris: nec etiam velut ſpeculũ te præbeas, in quo ſuam iratus formam contempletur. | Rubicundus eſt ille: nonne

nonne tu erubeſcis? Oculi eius ſunt ſuffuſi ſanguine: dic quæſo, an tui placidè aſpiciant? Illius vox eſt aſpera: tua verò eſt mitis? Non certè in ſolitudinibus tam plenè ad loquentē reſilit Echo, quàm ad conuiciatorē reuertuntur contumeliæ. Imo Echo ſonum ipſum reddit, conuicium verò cum fœnore redit, qualia enim ſunt crimina, quæ conuiciatores ſibi mutuo obijciunt? Alius obſcurum & obſcuro genere natum vocauit, alius infimum ſeruorum appellauit, alius pauperem, alius mendicum: rurſum alius indoctum, alius inſanum, vſque adeo, vt conuicia, ſicut ſagittæ, eos tandem deficiant. Cùm autem conuicia omnia per linguam effuderunt, deinceps ad vindictā reipſa procedunt. Indignatio pugnam, pugna conuicia parit, conuicia plagas, plagæ vulnera, ex vulneribus ſæpe mors ſequitur. Quocirca ab initio ſtatim hoc malum cohibeam⁹, iram omnibus viribus ex animo euellentes: ſic enim plurima mala tanquam inciſa radice quadam & principio huius perturbationis excindere poterimus. Cōuiciatus eſt? tu loquere honorificè. Percuſsit? tu ſuſtine. Faſtidit te & nihil pendit? tu cōtra hoc in animo reputes, quòd ex terra formatus ſis, & in eandem

Nihil tam humile de nobis dici potest, quin veritas superet.

dem iterũ redigeris. Qui enim hoc modo animum suum præmunit, is nullam ignominiam tantam esse, quin veritas superet, inueniet. Ita enim aduersario omnes aditus ad vindictam intercludes, si te inuictum contra conuicia ostenderis. Tibi ipsi verò insignem patientiæ palmam conciliabis, si ex alterius insania veræ animi moderationis occasionem ceperis. Proinde si me audis, liberaliter etiam contumelias admittes. Si enim te dixerit obscurum, ignobilem, & nihili hominem: tu vicissim dic te esse terram & cinerem. Non sanè præstabilior es patre nostro Abrahamo, qui seipsum in colloquio cum tribus viris Sodomam proficiscentibus, his appellat nominibus. Rudem te & pauperem nulliusq; precij hominem dixit: ac tu vermé te esse dices, & ex stercore ortum, Dauidis vtens verbis. His adde & Moysi præclarum facinus. Is enim ab Aaron & Miria probris affectus, non ad Deum detulit? sed pro illis deprecatus est. An non mauis piorum & beatorum virorum esse discipulus, quàm eorum qui maligno spiritu repleti sunt? *a* Cum incitaris, explorari te existima, vtrum per patientiam accedere ad Deum, an verò per iram aggredi aduersa-

rium

rium velis. Deliberandi tempus tibi ipse sume, vt bonam eligere partem possis. Si enim tute te cohibueris, vel aduersarium tuum mansuetudinis exemplo emendabis: vel si contempseris, grauiùs vindicabis. Quid enim inimico tuo tristiùs accidere potest, quàm si videat eum, cui infestus est, celso animo contumelias despicere? ne demisso sis animo, neq; committe vt aduersariorum contumelijs oppressus esse videaris: sine, frustra te allatret, & in seipso rumpatur. Vt enim seipsum lædit, qui percutit eum qui nihil dolet, quòd neque inimicum vlciscatur, neque iram sedet: ita conuicium faciens ei qui conuicia non curet, consolationem perturbationis suæ inuenire non potest: immo contra, vt dictũ est, etiam dissecatur. Quod enim nomen vterq; vestrum ex his rebus meretur? Ille certè conuiciatoris, tu verò magnanimi: ille irati & sæui, tu verò longanimis & mansueti: illum pœnitebit eorum quæ locutus est, te verò nunquam pœnitebit virtutis. Quid multa? Huic regnum cœlorum occlusit conuitium. Maledici enim regnum cœlorum non posidebunt. Tibi verò regnum apparauit silentium. Qui enim sustinuerit vsque ad finem, saluus

Magnanimitate opus est ad contemnẽda cõuicia.

Finis cunuiciorum, est amißio regni cœlorum: finis verò patientiæ, est possessio eiusdem.

erit. *a* Sin autem te vindices, & æquè conuicia faciendo resistas conuiciatori, quomodoq; te excusabis? Num quòd ipse prior te irritauerit? Quomodo quæso hæc verba veniam merebuntur? Non enim minùs scortator condẽnatione dignus est, si culpam in meretricem, vtpote quæ ad peccádum irritauerit, conferat. Neque corona in certamine, vbi desunt aduersarij, nec sine hostibus strages contingunt. *b* Audi quid dicat Dauid: Donec impius coram me est, non iratus sum, neque vltus sum, sed obmutui & humiliatus sum, & *silui* à bonis. Tu verò conuicio perinde vt mala irritaris, imitarisque illud tanquam bonũ. Quod enim in alijs reprehendis, ecce tibi ipsi accidit: aut certè alienum malum accurratè perspicis, tuam verò ipsius turpitudinem non curas. Si malum est contumelia, imitari noli. Non enim, quòd alius initium fecerit, satis tibi ad excusandum esse potest. Immo iustiorem quidem mea sententia incurris reprehensionem, propterea quòd ille exemplum, quo flectatur ad modestiam, non habeat: tu verò cùm coram cernas deformitatem irati, eius tamen gestus non deuitas, sed indignaris, & vicissim irasceris: fitq; adeo, vt tua ira excusatio

cusatio sit eius qui prior irasci cœperat. Iisdem enim rebus quas tu facis, illum culpa liberas, & teipsum condemnas. Si enim malum est indignatio, cur nō malum declinas? Si verò venia digna est, quid succenses irato? Quocirca etiamsi lacessitus demum ad vindictam procedis, nihil id tibi proderit. Vt enim in certaminibus, quorum victoriæ præmiū corona proposita est, non is qui prius in harenam descēderit, sed qui vicerit, coronatur: ita non condēnādus est solùm improbitatis dux, sed ille etiam qui improbo ad peccatū duci obsecutus fuerit. Quòd si pauperem te appellauerit, si vera dicit, amplectere veritatem: si verò mentitur, nihil ad te pertinet. Sicut enim laudibus, quæ à vero aberrant, efferri non debes: ita nec contumelijs, quæ à te alienæ sunt. Nonne vides sagittas, quomodo cum corpus durum & renitens cōtingunt, excidere soleant: cum verò in tenerum & molle corpus incidunt, facilè figantur; Non dissimilia his profectò existimare debes conuicia: Qui enim resistit ea in se recipit: qui verò admittit, & quadam animi mansuetudine illis cedit, collatam in se malitiam excudit. Quid verò est, quòd paupertatis appellatio te

per-

perturbet? Memento conditionis tuæ, quòd nudus in mundum ingressus sis, & nudus iterum egressurus sis. Ac quid nudo pauperius: nihil audisti nefarium, nisi tibi ipse accõmodaueris quæ dicta sunt. Quis vnquam in carcerem abductus est propter paupertatem: neq; paupertas probro est, sed paupertatem non animo generoso ferre. Memento Domini, qui cum diues esset, pauper propter nos est factus. Si insipientem & indoctum te appellauerit, illud animo reputes, quibus contumelijs veram sapientiam affecerint Iudæi, cum dixerunt: Samaritanus es, & dæmonium habes. Quod si igitur irasceris, confirmas probra; quid enim ira est dementius? Si verò ab ira immunem te seruaueris, labem aspersisti cõtumeliæ autori, ipso facto moderationem declarans. Cæsus es colaphis? cæsus quòq; est Dominus. Consputus es? passus est idem & Dominus noster, non enim auertit faciem, quo minùs ignominiosè conspueretur. Defraudatus es? idem accidit & iudici. Dilacerarunt tibi tunicam? exuerunt quoq; Dominum, distribuerunt eius vestimenta inter se. Nondũ condemnatus es, nondum crucifixus, longè adhuc abes ab illius imitatione. Hæc

Exemplũ Christi.

Ioan. 8.

singula

singula in animo tuo perpende, vt reprimas iracundiam. Talis enim animi præparatio atq; conformatio efferuescentes cordis motus ac pulsus tollit, & ad constantiam tranquillitatemq; cogitationes reducit. Hinc adeo à Dauide dictum est. Paracletus sum, & non sum turbatus. Necesse est igitur, furiosos & præcipites animi motus recordatione sanctorum exemplorum sedare. Qua moderatione Dauid tulit debacchationes Semei? Non enim ad iram se commoueri patiebatur, sed in Deum transferens causam. inquit: Dominus dixit ad Semei, vt malediceret Dauidi. Cùm igitur vir sanguinum & nebulo improbus appellaretur, non acerbè tulit, sed seipsum humiliabat, tanquam iure sibi ea contumelia accideret. Omnino ista duo ex animo tuo dele: vt neq; teipsum magni æstimes, neq; hominem quenquam te admodum inferiorem esse dignitate putes. Ita enim nulla vnquam indignatio ob illatas ignominias oborietur. Graue quidem est, eum, de quo bene sis meritus, & à quo gratia debeatur, non solùm gratiam nullam referre, sed insuper etiam ignominia & contumelia lacessere: graue est inquam, verum autori perniciosius quam pati-

patienti. Sine, maledicat ille, tu contra conuicia facere noli: exercitatio ad animi moderationem sint hæc verba. Si enim non commoueris, vulnus nullum accipis: quin etiamsi commouetur animus, in te tamen ipse tristitiam cohibe. In me enim inquit Propheta, turbatum est cor meum, hoc est, non erupit foras affectus, sed tanquam fluctus aliquis intra littora refractus sopitus est, tranquilla mihi cor latrans & fremens, fac reuereantur affectus rationis autoritatē, perinde vt immodesti pueri viri grauis præsentiam. Quo pacto igitur emergens ex ira damnum effugerimus, si ante omnia iram coërcebimus, ne rationem præcurrat, dabimusq; operam inprimis, ne vnquam à mentis iudicio aberret, sed rationi, tanquam domitus equus freno, obtemperet, neq; vspiam extra modū & finem sibi constitutum prodeat, sed rationem quocunq; duxerit sequatur. Est enim ad multa virtutis opera necessaria vis illa animi, quæ irarum ardorem continet. Cum videlicet instar militis, depositis apud ducem armis, impigrè mandatas erendi auxilij operas præstat, sociamq́ue se rationi, ne quid peccet, præbet. Estq; velut quidā neruus animæ indignatio, qua ad

ad resistendum malis intenditur. Si quando enim animam voluptate eneruatam reperit, tanquam ferrum tinctura consolidatur, sic ipsa animum nimis dissolutum ac remissum, grauem fortemq; reddit. Nō enim potes satis magnum odium habere in improbum, nisi erratus ipse fueris. Oportere enim existimo eodem studio virtutem amare & peccata odisse, ad quam rē maximè vtilis ira: quandoquidem velut canis pastori, sic ipsa rationi obtemperans, lenem & obsequentem se præbet suis commodis, facileq; consilio ac ratione in viam reuocatur. Vt enim canis audito vel viso peregrino exacerbatur, si verò familiaris & amicus aliquis inclamet, formidat: ita optimè & rectissimè viri sapientis anima à parte irascibili adiuuatur, si talem sese præbet, vt insidiatoribus sit implacabilis & hostis assiduus, neq; cum suo detrimento amicitiam suscipiat, sed insidiosam voluptatē, quasi lupum quendam latratu persequatur & continuò laniet. Huiusmodi equidem vtilitatem indignatio suppeditat his, qui rectè vti ea norunt: siquidem & aliæ potētiæ singulæ, vt ijs vsus fueris, ita vel prosunt vel nocent vtenti. Vt qui ea parte in qua irarum ardor existit, ad carnis

& for-

& fœdarum voluptatum libidinem abutitur, odio dignus & intemperans habetur: qui verò ad Dei dilectionem æternorũq; bonorum cupiditatem eam conuertit, amore dignus est, & beatus. Rursum qui partem animæ rationalem rectè administrat, prudens est & intelligens: qui verò ad proximi detrimentum mentem acuit, improbè versutus est & maleficus. Non ergò debemus ea quæ nobis ad salutem conditoris munere concessa sunt, ad peccati occasionem transferre. Sic sanè ira quoq;, cum ita, vt decet, & quando decet, exardescit, fortitudinem, patientiam & moderationem importat. Cum verò modum rectæ rationis excedit, fit furor. Inde sanè Psalmus nos admonet: *Irascimini, & nolite peccare.* Et Dominus temere irascentem iudicij reum facit: verùm sic ira vti, vt medicamenti vice sit, non prohibet. Nam quod scriptum est, *a* Ponam inimicitiam inter te & serpentem: item, *b* Odio habeto Madianitas: verba sunt docentis, ira vtendum esse sicut armis. Quocirca Moyses omnium hominum mitissimus, idolatriam vindicaturus, manus Leuitarum in fratrum cædem armauit. Accingat, inquit vnusquisq; gladium super

femur

femur suum, & transite à porta ad portam, & redite per castra, & occidat quisq; fratrem suum & propinquum. Et paulo post additur: Dixit Moyses: Impleuistis manus vestras hodie Domino, vnusquisq; pro filio suo & fratre suo, vt detur vobis benedictio. Quæ verò res iustificauit Phineas? Nonne iusta indignatio aduersus fornicantes? Quanquã .n. alioqui vir fuit æquus & lenis: tamen cùm videret fornicationem Zambri & Midianitidis ita palam & sine rubore fieri, vt ne turpitudinẽ quidem tegerent, indignissimum facinus sustinere non potuit, sed opportunè ira sua vsus iusta, vtrũque confodit. Quid dicam de Samuele, qui Agag Regem Amalek à Saulo contra mandatum Dei in vita seruatum, iusta commotus ira, in medium produxit & occidit? Ita ira sæpè bonarum actionum ministra est. Elias quoque zelotes quadringentos & quinquaginta vates turpitudinis, & vates lucrorum quadrintos, qui de mensa Iesabel edebant, iusta sapientiq; ira propter vtilitatẽ totius populi Israël trucidauit. At tu irasceris fratri tuo temere, cur enim non dicam temere, cùm alius sitis qui ad iram incitat, & alius item ille, cui tu succenses? imitarisq; in eo ca-

nes, qui lapides mordent, à iacente verò abstinent. Qui iræ ardorem sustinet, mirãdus est: qui verò causam efficacem dat, odio est dignus. Huc igitur iram conuerte, nempè in homicidam istum, mendacij patrem, peccati effectorẽ. Fratris verò potius miserere, quia si in peccato perseuerauerit, vnà cum Diabolo proijcietur in ignem æternum. *a* Vt autẽ nomina indignationis & iræ diuersa sunt: ita res etiam quæ ijs significantur, plurimùm inter se differunt. Indignatio etenim siue ira est inflammatio & ardor animi subitus: Iracundia verò est ægritudo stabilis, & ad vlciscendũ delinquentes durabilis, animo quasi cõcitato ad cupiditatem vindictæ. Sciendum est igitur, homines vtroq; affectu peccare, siue cum furenter & inconsulto cõmouentur aduersus eos à quibus prouocantur, siue fraudulenter & insidiose in eos irruunt, à quib⁹ molestia sunt affecti. Quæ certè ambo cauere nos oportet. Quomodo autem canebimus, ne iræ flammas concipiamus vbi non decet? Ita videlicet, si humilitatem didiceris, quam Dominus in verbo præcepit, & reipsa declarauit. Nunc enim ait: Qui vult inter vos esse primus, sit postremus omniũ, nunc leni & æquabili animo

se percuti sinit. Nam cœli & terræ conditor & Dominus, quem omnes spirituales & corporeæ substantiæ adorãt, quiq; omnia fert verbo potentiæ suæ, non abiecit eum viuum ad tartara, facto hiatu terræ ad absorbendum impium, sed amanter admonet & docet: Si malè sum locutus, testimonium perhibe de malo: si verò bene, cur me cædis? Si enim iuxta Dei mandatum vltimus esse consueueris, nũquam excandesces, quasi immerito cõtumelia affectus sis. Si tibi puer paruulus conuicia faciat, risu eius maledicta diluis, eumq; miseratione potius, quàm odio dignum putas, qui mente motus præ phrenitide verba contumeliosa dicit. Non itaq; verba sunt quæ ægritudinem efficiunt, sed eius qui conuicia facit, contemtus, & sua cuiusque imaginatio. Vtrumuis horũ ex animo tuo sustuleris, strepitus tibi vocem inanem fundens videbitur, quicquid in hoc genere obijcitur. Desine igitur irasci, & depone indignationem, vt effugias eius iræ periculum, quæ de cœlo reuelatur super omnẽ impietatem & iniustitiam hominum. Si n. euellere ex animo radicem indignationis prudẽti consilio poteris, multas perturbationes, hoc demto principio sustuleris:

quia fraus, suspicio, infidelitas, inueterata malitia, insidiæ, temeritas, & tota denique horum malorum colluuies, ex hoc vitio tanquam ex radice pullulat. Nõ itaq; nobis ipsi accersamus tanta mala, morborũ animæ, tenebras rationis, auulsionem à Deo, ignorationem familiaritatis, *initium* belli, calamitatum abundantiam, Dæmonem improbum, qui ingeneratus animabus nostris, tanquam domesticus, *impudens*, ea quæ intra nos sunt, occupat & *Spiritui* sancto aditum intercludit. Vbi enim sunt inimicitiæ, lites, indignationes, rixæ, studia contentionum, quæ tumultus perpetuos in animis pariunt, ibi spiritus lenitatis requiescere non potest. Obtemperantes igitur admonitioni sancti Pauli, *omnẽ* iram & indignationem clamoremq; cum vniuersa malitia deponamus, simusq; inter nos benigni & misericordes, expectantes beatam spem, mitibus promissam. Beati enim mites, quoniam terræ hæreditatem accipient in Christo IESV Domino nostro, cui sit gloria & potentia vnà cum æterno ipsius patre, & sancto, bono & viuifico vtriusque Spiritu, nunc & in secula seculorum,

AMEN.

INSI-

NSIGNIORVM QVOrundam locorum breuis explicatio.

ΟΜιλία, concio ita temperata oratione, vt cum populo conferri videatur, ἀπὸ τοῦ ὁμιλεῖν, quod est colloqui cum altero, seu conferre tentias.

Οὕτω ἐπὶ τῶν: Ita spiritualium exhortionum] Crux est πρᾶξις Christianorum uberrima, per quam solam vim & dulcedinem ritualium consolationum sentimus & experir. Nam tum demum intelligere incipimus bi diuini efficacitatem, cum intempestatum vi imitatumq; concursu illud ad vsum nostrum nsferimus, & vt ita dicam, in sanguinem & cum nostrum conuertimus. Quare semper ristiano, duce Dei verbo, comite verò cruce tentatione opus est, sicut scriptum est: Qui n est tentatus, qualia scit? Item: Tantum isq; scit, quantum experiendo didicit: vt Francum dixisse ferunt.

Qui irascitur temere] Hic discant Stuosi vsitatum argumentum refellere: Omnis ctrina quæ congruit cum fundamento, aut m apertis scripturæ sanctæ dictis atq; testimoijs, est approbanda.

Stoicorum doctrina de affectibus ex natura tollendis congruit cum hoc Christi dicto: Qui irascitur fratri suo temerè, obnoxius est iudicio.

Ergo Stoicorum doctrina de affectibus est bona & amplectenda.

Respondeo: Nego Minorem: quia est fallacia à d. s. q. ad d. s. Nam filius Dei in hoc dicto eam tantùm iram prohibet, quæ iniustè accenditur, non cogente vocatione: idq́ addita vox εἰκῆ disertè exprimit. Ordinatam iram seu νέμεσιν, quam ratio cuiusq́ officij postulat, non damnat. Contra, Stoici furenter omnem iram cæterosq́ affectus pariter viciosos esse, & ex natura extirpandos contendunt. Ex hac responsione & distinctione facilè potest refutari altera obiectio, hoc modo:

Antilogiæ non sunt approbandæ.

In sacra Scriptura sunt antilogiæ.

Ergo quædam in sacra Scriptura non sunt approbanda.

Probatio Minoris: Dictum paulo ante citatum prohibet iram: sed alia extant scripturæ dicta, quæ sanctos & Deum ipsum irasci affirmant.

Respondeo ad minorem: Nulla est in his contrarietas aut ἀντιλογία: quia non loquuntur de vna eademq́ ira. Christi dictum damnat iram, quæ extra munus officij suscipitur. Cætera verò

dicta

dicta de ordinata ira, quæ ad legem Dei congruit loquuntur.

Ipsum locum iræ damus] *Iræ locum dare, est indulgere cupiditatibus vindictæ: vel vt appositè Theodoretus in octaua oratione de prouidentia inquit: Primam scintillam non opprimet, sed materia incendium alere & motu excitare.*

Qui non in nobis] *Manifestum quidem est, iram intus in corde accendi atque existere. Verùm de obiecto externo loquitur Basilius, quo ira irritatur, perinde vt Herodotus etiam dixit in Polymnia: Probè nunc discite hoc, iram in hominum auribus habitare: qui benè audit, eius corpus voluptate perfunditur: qui verò malè, is exacerbatur. Caterùm est apud Galenum in 3 de placitis Hippocrat. disputatio, an irasci proprium sit animosæ facultati. Et respondet Galenus: Ob conuicia aut minas neq; irasci, neq; exardescere animosæ facultati proprium est, quæ cordi inhæret: sed parére & obsequi rationi. Quod quidem intelligendum est de eo statu hominis, qui conueniens est naturæ. Etenim dum ea quæ in homine sunt, conuenienter administrantur, ratio quidem imperat, cor autem paret & obsecundat. Cicero quoq; in 4. Tuscul. disputat, iram non esse naturalem. An quicquam esse potest inquit, secundum naturam, quod sit repugnante ratione?*

Si in quiete didicerimus] *Quod de Poëtarum sententijs Aeschines contra Ctesiphontem dixit: Ideò pueri didiscimus Poëtarum sententias, vt viri facti ijs vtamur: id multò rectiùs de cœlestis scripturæ sententijs dici potest. Ideò enim legendum, audiendum & meditandum est verbum Dei in ocio, sicut hoc loco Basilius ait, vt irruente in nos tentatione, tanquam subita procella, in promtu habeamus Scripturæ sententias, quæ de voluntate Dei nos erudiant atq; confirment. Colligenda igitur sunt* ἐν ἡσυχίᾳ, *quæ in paraxysmo sunt necessaria.*

Quàm conuenienter illud dicatur] *Dicta scripturæ omnia ad experientiam, sicut sagitta ad metam, directa sunt. Quare tum demum veritas dictorum apparet, vbi experientiæ testimonium accedit.*

Cum enim semel] *Mira est vis iræ, vbi præualuerit. Euertit enim naturam penitus, tanquam violentus tyrannus, & rationem, velut æquus refractarius & contumax, vt Galeni vtar verbis, insessorem excutit & præcipitat, fitq; adeo quod in versu Virgiliano dicitur:*

> *Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.*

Cum igitur semel effractis repagulis erumpit, nullo consilio, nullisq; monitis coërceri potest: sed furit & rationom, ceu nimbo quassante, rapit,

pit, prosternit & aufert, & raptam secum somnia vana facit, vt in versiculis dicitur. Porrò excusso rationis imperio, homo brutescit, hoc est, omnes sensus humanos exuit, adeoq; immutatur, vt non agnoscas eundem.

Mutos canes] *Verba sunt in 56. capite Esaiæ: Etsi autem Propheta eo in loco de impijs doctoribus principaliter loquitur, qui doctrinæ corruptelis, atrocibusq; superiorum pariter & inferiorum delictis, metu offensionum & incommodorum priuatorum, conniuent, iniustoq; silentio ea prætereunt atq; obruunt: tamen apparet scriptiores Græcos in Ecclesia appellatione canum eos complecti & designare, qui insania, impudentia, atq; immoderatione verborum nimiùm peccant, vt habet Apologia Pamphili pro Origine, quæ extat in 2. tomo Hieronymi. Paulus Philip. 3. iubet cauere canes, hoc est, impostores, qui audaces quidem sunt, & temerarij in lacessendo, sed parum fortes in dimicando. Cic. pro S. Roscio canes nominans accusatores intelligit.*

Serpentes] *Nomen serpentis in Scriptura sæpe occurrit. Estq; serpens organum Diaboli, quo abusus est nefariè ad concipiendam & designandam fraudem inexpiabilem. Ita serpentes etiam appellari possunt omnes qui Diaboli instinctu ad nocendum instructi sunt atq; parati. His*

enim tanquam administris & instrumentis illi abutitur, vt animi sui libidinem expleat, & multis damnum exitiumque afferat. Nec à natura serpentis hæc comparatio aliena est. Sunt enim serpentes, præsertim qui ἀκοντικοὶ appellantur, adeo sæui & truculenti, vt in obuios exerto protensoque corpore, velut iaculo insiliant, in sauciorumque corpore aculeos relinquant: Non aliter certè mali in aduersarios inuolant, eosque non ratione aut consilio, sed vi atque impreßione delere conantur.

Viperarum progenies] *His coloribus Demosthenes Aristogitonem improbum ciuem depingit in priori oratione: Incedit per forum, inquit, ceu vipera seu scorpius, exerto aculeo, quem huc atque illuc vibrat, & circumspectat, cui malum machinetur.*

Propter indignationem linguæ effrenis] *Quia ira furor quidam est, voces quoque iratorum præcipites sunt, insanæ, & vt Poeta ait, per iugulum rediture.*

Insania quædam est] *Quia ira mentem præcipitat, & de gradu, quod aiunt, deturbat, hominem prorsus insanum facit. Vbi enim non regnat ratio, ibi regnat furor. Galenus in libro de cognoscendis curandisque animi morbis, ait irascentis impetum nihil differre ab insania & furore, idque ex iis quæ faciunt intelligere licere. Cicero in 4. Tuscul. Itaque iratos propriè dicimus de*

potestate

potestate exisse, id est, de cõsilio, de ratione, de mẽte: horum potestas in animum totum esse debet.

Palpitantes] *Hæc palpitatio est immoderata cordis concußio & tremor, cum diastole seu dilatio eius nimis est vehemens, & arteriæ omnes vehementiùs pulsant: quod inde fit, quòd in iratis cor partim tristitia percellitur, partim cupiditate vlciscendi æstuat.*

Qui enim vindictæ cupiditatem] *Hunc habitum furiosum iratorum Galenus describit quoq; his verbis: Per iracundiam efferuescit innatus calor in corde, cuius ratione accidit, vt tota facies infletur, vniuersum corpus rubescat incalescatq;, & vehementer cor vna cum animantis arterijs subsiliat. lib. 3. de placitis Hipp. & Platonis. Huc bellè quadrat descriptio iræ, quæ in libro primo Senecæ de ira extat: Flagrant & micant oculi, multos ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordijs sanguine, labia quatiuntur, dentes cõprimuntur, horrent & subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus mugitusq;, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasq; iræ minas agens, fœda visu & horrenda facies deprauantium se atq; intumescentium. Nescias vtrum magis detestabile vicium sit, an deforme.*

Facies liuida & ſuffuſa ſanguine] *Colorum diuerſitatem motus cordis diſsimiles efficiunt. Nam triſtitia pallorem gignit, vindictæ cupiditas & ardor ſanguinem inflammant. Hinc rectè dixit Ouidius:*

Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ.

Et Cicero 3. Tuſcul. Ex Homero:

Corq; meum penitus turgeſcit triſtibus iris.

Non ſolùm autem caleſcunt ſanguis & ſpiritus per iram, ſed mirè etiam diſtenduntur & effunduntur, Galeno teſte 5. de Symptomatum cauſis. Et hæc eſt cauſa, cur iratorum facies liuida appareat & ignea.

Sermo confuſaneus] *Cauſa confuſionis huius ſpirituum eſt conturbatio, quam ſequitur confuſio ſenſuum & actionum animalium.*

Præmium iræ] *Cicero Tuſcul. 4 Alexander Rex cùm per iram interemiſſet Clitum familiarem ſuum, vix à ſe manus abſtinuit, tanta vis fuit pœnitendi.*

Doloris ſenſus non percipitur] *Cauſa eſt vehemens ſpirituum conturbatio in cerebro, ſeu principio neruorum ſenſitiuorum. Vt enim leproſi & epileptici, etiamſi vrantur aut ſecentur in parxyſmo, tamen dolorem non ſentiunt: quia impeditur animalis ſpiritus, quo minùs de-*

ſcratur

feratur in corpus, vt Galenus ait 3. de locis affecti: ita in æstu iracundiæ princeps animæ potentia impeditur, ne vim sentiendi per neruos in corpus transmittat & diffundat. Quia igitur spiritus animalis in parte cognoscente impeditur, intercipitur etiã sensus, qui per neruos in corpus defertur. Accedit quoque, quòd spiritus copiosè ad cor, tanquam ad fontem recurrunt, vt ei opitulentur: vnde minùs spirituum in membra externa dispergi necesse est. Illud fortè miretur quispiam quo pacto fieri possit, vt, cum sensus in iratis diminuatur, non simul etiam labefactetur motus, quem tamen validiorem in illis esse cernimus, præsertim cùm idem sensus & motus sit principium, eadem instrumenta, & vt Galenus in primo de locis affectis ait, ad motum maior requiratur vis animalis quàm ad sensum. Citius igitur motum quàm sensum deperdi & minui debere, verisimile videtur. Vesalius lib. 4. cap. 14. de fabrica corporis humani, reijcit Galeni sententiam, tanquam ridiculam, qui ad hanc quæstionem respondet, quosdam neruorum surculos motui tantùm, alios autem sensui præesse. Contenti igitur simus hac Vesalij sententia, quòd sensus illæso motu aliquando minui possit, aut aboleri, aliquando autem seruato sensu corrumpi possit motus. Id enim ex consideratione seriei neruorum & musculorum natura, manifestum

festam esse ille affirmat. Verùm de hac priuatione sensus doloris illud Cicer. in 3. Tuscul. teneatur: Illud nihil dolere, non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore.

Ne igitur malæ collectæ] *Sensus est: Ne vindices id malum quod velut collatis in conuiuio symbolis congestum est. Hortatur enim, ne certemus conuicijs cum aduersario. Dulcis est apud Herodotum in Polymnia vox Gelonis, atq; animis infigenda: Probra homini obiecta solent iram accendere: tu verò etsi contumelia me in sermone affecisti, non tamen persuadebis, vt indecora faciam compensando conuicia. ἔρανος, collecta, id est cœna collatitia. Cicer. 2. de Orat. Quin etiam collectam à conuiua Crasse exigis. Item collatio 12. ad Attic.*

Mali debiti] *Sensus est: Noli tu vlcisci, aut in te deriuare ea mala, quæ cum graui fœnore tibi sunt dependenda atq; exoluenda.*

Velut speculum] *Vt speculum repræsentat astantium atq; induentium formas, ita qui irato vicissim irascitur, refert eius in se imaginem.*

Conuicium cum fœnore redit] *Quemadmodum ex parua scintilla sæpè ingens excitatur incendium, ita vnum conuicium plerunq; parit infinita. Qui igitur conuicium seminat, is*

meritò

meritò conuicia metit, & quidem multo copiosius, quàm seminauit. Nam fœcunda mater est conuicium, procreans ex se immensam sobolem.

Quocirca ab initio statim] προφυλακτικὸν *incendij iræ valde efficax & vtile est primam scintillam mox restinguere, & secundum Poetam, principijs obstare. Id quod dictum etiam monet:* Ἀρχὴν δ' ἰᾶσθαι πολὺ λῷον ἢ τελευτήν: *Initium sanare multò melius est, quàm finem. Præter cætera verò admodum conueniens est huic loco Theodori admonitio, quæ extat in octaua eius oratione de prouidentia:* ὁ λογισμὸς παραυτίκα τὸν σπινθῆρα μὴ κατασβέσας μεγίστην ὕστερον τὴν πυρὰν γινομένην οὐκ ἔτι ἴσχυε σβέσαι: *Qui primam scintillam non opprimit, sed incendium materia alit, & motu excidat, is postea rogum inflammatum & ardentem extinguere nulla ratione potest.*

Conuicia fecit] *De conuicijs, quatenus ferenda, & quatenus refutanda sint, prolixior est disputatio. Hîc tantum de mansuetudine loquitur Basilius, quæ veras offensiones condonat, dissimulat & mussitat 1. Quia humanius & vtilius est cedere conuicijs, quàm certare. 2. Qui nõ necesse habemus omnia pro nostro iure agere, secundum Mitionem Terentianum. 3. Propter exempla laudatissimorũ virorum. Alexander cùm audisset*

quen-

quendam conuicium grande facientem dixit: βασιλικὸν ἐστὶ τὸν εὖ ποιοῦντα κακῶς ἀκούειν: Regium est bene agentem malè audire. 4. Quia laudabilius est & generosius, audire conuicia, quàm dicere, sicut præclarè à Cypriano dictum est: Non cui maledicitur, miser est, sed qui maledicit. Mollis est animi & impotentis, facilè se conuicijs expugnari pati. Et in Philemonis versiculis dicitur: Conuiciatorem proprijs conuicijs obrui, si is cui conuicia fiunt nullum dolorem præseferat. At reclamare illud videtur, quòd plurimorum est tritum sermone, famam negligere, esse hominis prorsus dissoluti. Hîc tenenda est iuris regula: Conuitia enormia, quæ quis calore iracundiæ inductus facit, non prius vindicari debere quàm cum apparuerit eũ reuera ita sensisse, in eaq́; sententia perseueuare, cùm .n. iracundia mentis quædam sit alienatio: rata non prius esse possunt iratorum verba, quàm si, postea quàm sese collegerint, in sententia permaneant, vt docet Regula 48. tituli de regulis iuris.

Explorari te existima] Conuicia, contumeliæ, iniuriæ, sunt exploratio nostræ patientiæ, num obedire Deo, eiq́; vindictam committere, an verò contra Dei mandatum Diaboli ductum & auspicia sequi velimus, & nosmetipsos vindicare.

Male-

Maledici.] *Quærat aliquis, cur conuicium regnum Dei occludat, cùm plerorumq; opinione & sermone mirificè extenuetur? Sed responsio est facilis. Primò enim conuicium est peccatum contra octauum præceptum Decalogi. 2. Est ex patre Diabolo, qui etiam conuiciator est. 3. Conuiciator indulget concupiscentijs carnis contra legem Dei. 4. Turbat pacem, & efficit horribiles distractiones. 5. Opprimit & interficit innocentes. 6. Vastat vrbes. Siracides cap. 28. Qui igitur conuicia facit aut maledicit, excutit Spiritum sanctum, effundit gratiam, amittit fidem, & accersit sibi iram Dei & æternas pœnas.*

Dum stat.] *Ita Græca habet translatio. Sed in Hebræo ita legitur: Quando impius est in conspectu meo, vel coram me, quod sequitur, Silui à bonis: hunc habet sensum, vt Dominus Lutherus reddit: Obliuiscor lætitiæ. Nam dum impius coram mihi conuicia facit & insultat, recedit à me omnis voluptatis sensus.*

Immo iustiorem adhuc] *Duabus de causis deterior est is, qui irati maledictis lacessitus vicissim per iram maledicit. Prior est, quia irritans non habet exemplum quod intueri possit, indeq; ad moderationem flecti: irritatus verò viuam irati effigiem coram cernit, nec tamen horribili deformitate deterretur. Secunda, quia irritatus in*

se deriuat omnem culpam irritantis, quod ei non cedit potius quàm reluctatur.

Si verò mentitur] *Salomon Prouerb. 26. eleganti similitudine hunc locum illustrat: Quemadmodum, inquit, auis fugit, & hirundo auolat: ita maledictum falsum non adhæret. Comparat falsam calumniam volatui auis, quæ celeriter transit, & è conspectu euanescit, nec vestigium vllum imprimit, vel post se relinquit. Quem enim culpa non arguit, eum verba non offendunt: quia verba sine re, sunt inanis tantum sonus, qui animum neq; penetrare, neq; mouere debet. Præclarè Æschines in oratione de falsa legatione ait: Falsum probrum vltra aures non penetrat:* τὸ ψευδὲς ὄνειδος οὐ περαιτέρω τῆς ἀκοῆς ἀφικνεῖται. *Titus Vespasiani filius, cùm audisset quosdam sibi maledixisse, respondit: Ego dum nihil faciam dignum, propter quod contumelia afficiar, mendacia nihil curo. Pericles conuicia adeo contemsit, vt vesperi cum lychno eum deduci iusserit, à quo totum diem conuiciis proscissus erat.*

Nonne des sagittas] *Vt sagittæ in corpore duro figuntur, in molliori verò eliduntur: ita quò acriùs maledico firmiùs, resistis eò firmius impacta conuicia adhærescunt, & animo altiùs insident. Est igitur vtraque manu, vel potius toto pectore amplectẽda humanissima Valerij senten-*

tia: Speciosius iniuriæ beneficijs vincuntur, quàm mutui odij pertinacia pensantur.

Nisi tibi ipse accommodaueris] *Iniuriæ, conuicia, contumeliæ, tantùm valent, quanti is qui patitur, æstimat.*

Paratus sum, & non sum turbatus] *Verba sunt ex Psal. 119. ex octonario octauo, pro quibus textus* Hebræus *habet: Festinaui, & non morã feci, loquiturq́; Propheta in eo loco de animi alacritate & promtitudine ad amplectendũ verbum* Dei. *Non est igitur obscurũ Græcorũ interpretũ* σφάλμα: *Sæpe. n. bonus dormitauit Hom.*

In Deum transferens causam] *Hîc iunioribus explicandum est argumentum quod obijci poterat: Dauid transtulit causam conuiciorum Semei in Deum. Dauid iustè egit: Ergo iustè causa malorũ transfertur in Deum. Respondeo ad Maiorem per distinctionẽ malorũ: Aliud. n. est malum culpæ, aliud pœnæ. Loquitur autem maior de malo tantum pœnæ. Loquitur autem maior de malo tantum pœnæ: quia Dauid agnoscit, se iustè à Deo puniri propter peccata.*

Aliud: Quæ Deus iubet, impunè fiunt. Deus iussit Semei maledicere Dauidi Regi: Ergo Semei impunè maledixit suo Magistratui. Respondeo ad Maiorem per distinctionem, scilicet, si bona sint. Nam hanc regulam dictat verbum Dei, vt omnes sententias, quæ malas dictiones Deo

attribuere videntur, permißiuè semper intelligamus. Cùm igitur hæc actio Semei mala fuerit, non aliter quàm de permißione diuina intelligi debet: sicut alia facinora permitti à Deo videmus, etiamsi ea nec approbet, neq; velit. Hanc interpretationem veram esse, ipsum verbum Dei confirmat. Nam sequens narratio. 3. Regum 2 indicat, Semei propter has execrationes capitis supplicio affectum esse. Sic enim ait Rex Salomon ad Semei: Tu nosti omne malum, quod scit cor tuum, & quod fecisti Dauidi patri meo, redditq; Dominus malum tuum in caput tuum. Ita 1. Reg. 22. Dominus dedit mendacem spiritum in os omnium istorum Prophetarũ, quod simplicißimè de permißione diuina quoq; intelligi debet.

Vir sanguinum] *id est, reus sanguinis. Nam sanguis plurali numero sæpe pœnam seu reatum significat. Exodi 22. Si in profeßione deprehensus fuerit fur, & perculsus mortuus fuerit, ne illi sanguines erunt: id est, non erit reus sanguinis.*

Animi moderationem] *Philosophia animi moderatio vocatur ab effectu, quòd ad mansuetudinem & modestiam animos traducit.*

Cor latrans] *Homerus Odyß. 5. ait, Iram latrasse in corde Vlyßis, cùm secum ipse disputaret, vtrum mox impetu facto ignauum genus procorum vlcisci vellet, an verò expectare tempus opportunius.*

ὡς δὲ κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσσι βεβῶσα:

Vtq; canis catulos paruos sua pignora seruans:
Ignoto oblatrat, quicunq; accesserit, atq;
Vim facit, & morsu cunctis pugnaciter obstat:
Sic indignati cor oblatrabat.——

Citat quoq; Galenus in 3. de placitis Hippocratis & Platonis.

Est enim ad multa] *Ira quæ est impetus animi vehemētior ad honestas actiones & aduersus hostem, vel homines improbos laude digna & necessaria est. Quæ primùm cos est fortitudidinis, quam oportet ira excandescere. 2. Omne imperium cum aliqua acerbitate iracundiæ gubernandum est. 3. Oratori non solùm ad accusandum, sed etiam ad defendendum necessarij sunt aculei, vt auditoris iram oratoris incendat actio. Postremò vir videri nequit, qui irasci nesciat. Plato 2. de Repub. An verò fortis erit & audax, qui iracundus non sit? An non animaduertisti inexpugnabilē inuictamq; iram? qua præsente anima omnis interpida est ad omnia, & inuicta. Valens Imperator dicere solitus fuit: Qui ab ira facilè demouetur, etiam à iusticia facilè dimouetur.*

Irascemini & nolite] *Quæ scriptura præcipit sunt bona. Scriptura præcipit iram, Ergo ira*


est bona. Respondeo ad Minorẽ: Vox Psalmi, Irascimini, non est imperantis, sed permittentis, & quasi conniuentis infirmitati hominum. Monet enim, vt, si more carnis eueniat, vt iniurijs & furore hostium animus commoueatur, ita iracundiam reprimamus & moderemur, ne Deum offendamus: quòd fit, dum vel vindictæ cupiditati indulgemus, vel inconcessa præsidia quærimus, vel contra Deum fremimus. Basilius verò noster de ira bona interpretari videtur, quæ modum seruat, & actiones bonas iuuat.

Vates turpitudinis] *In Hebræo est, Prophetas Baal, pro quo Græcus reddit, Prophetas* αἰσχύνης. *Significat autem Baal, dominum, quia fuit gentium Dominus, deductaq́ue est haud dubiè appellatio idoli à Belo, qui à filio suo Nino post mortem instar numinis coli cœptus est, vt alibi copiosius dicitur.*

Cùm alius sit is] *Disertè distinguit Basilius subiectum iræ, hoc est, eum qui iram sustinet, à causa efficiente, hoc est, ab illo qui ad iram concitat, videlicet Diabolo: ac irascentem vocat* ἐνεργούμενον, *id est, eum qui operationem Diaboli recipit ac sustinet: Diabolum verò ipsum vocat* ἐνεργοῦντα καὶ ἐργάτην, *id est, operantem seu effectorem: vt nimirum atrocitatem & magnitudinem huius mali quàm maximè decla-*

decluret. Est igitur homo iratus Diaboli in quod effundit hostis ille suum venenum mendaciorum, conuiciorum & iniuriarum, vt ab irato euomantur, aspergantur & inurantur alijs hominibus. Quod igitur homine irato calamitosius? quid miserabilius? vtpote cuius cordi & ori Diabolus insidet, & spurcissima mendacia, plaustraq; conuiciorum euomit & iaculatur.

Contentus & sua cuiusq; imaginatio] *Duos recitat quasi fontes doloris & indignationis, quæ ex aliorum calumnijs atq; conuicijs oritur. Prior est despicatio, vel superbia nostra aduersus alios. Nam aduersus illos facilimè omnium exardescimus, quos indigniores esse putamus multò, quàm vt ab ijs ludificari velimus. Alter fons est* φαντασία, *quæ peruerso iudicio opinionisq; errore fingit sibi iniuriam aliquam fieri ab irato & maledico.*



Oratio IX.

DE STATV ECCLESIÆ, & religionis in Æthiopia sub pretioso Ioanne.

PARS est historiæ vtilis inprimis & necessaria, circumspicere & nosse sedem Ecclesiæ Dei in terris, vbi sonet vox doctrinæ cœlestis, & qua mente, pietate, religione, ritu, ceremonijsq; solennibus Deus colatur. Ita enim legendæ sunt historiæ, vt præcipua cura complectamur & intueamur cultum Dei in Ecclesia, posteriore loco disciplinæ, iustitiæ, fortitudinis, modestiæ, & aliarum virtutum exempla in politijs percipiamus. Ita ergo duæ existunt partes in historiarum lectione spectandæ, quarum vna pietatem erga Deum, altera iustitiam erga nos ipsos & alios comprehendit.

Ac de iusticia quidem politica extant narrationes copiosæ, concionesque disertæ in historijs Græcis & Latinis, vnde monumenta rerum, temporum, locorum & hominum in florentissimis orbis terræ partibus cognosci possunt. At de Ecclesia & religione quàm pauca historijs mandata sunt? Etenim quæ in historia biblica com-

commemorantur de ſanctis Patriarchis Ducibus, Sacerdotibus, Regib. Prophetis, & denique ipſis etiam Apoſtolis, ita contracta ſunt in anguſtũq; deducta, vt non niſi ad Palæſtiná quæ exiguis admodum finibus circumſcripta fuit, pertinere videantur. Niſi quòd de finitimis Ægyptijs, Syris, Aſſyrijs, Græcis, & de Romanis paucula aſpergantur. Reliqui autem Eccleſiaſticarum rerum Scriptores an non ijſdem ferè terminis deſcriptiones ſuas definiunt?

Iam verò dubium non eſt, Eccleſiam multò latius patere, gratiamq; diuinam ad omnes gentes in ſingulis orbis terræ partibus & angulis ſpectare. Aſſeuerat enim firmiſsimè vox cœleſtis vſque ad fines terræ regnum Chriſti diffuſum & dilatatum iri. Amplius igitur ſpectare & ad omnes mundi plagas contueri neceſſe eſt: vt tam fusè lateque diſperſæ doctrinæ de Deo veſtigia cognoſcamus. Nam & in omnes partes nos circumferre oculos Eſaias iubet, & ad fratres, qui paſsim eaſdem nobiſcum afflictiones in mundo ſuſtinent, reſpiciendum eſſe, Diuus Petrus monet: vt non tam doctrinæ quàm patientiæ documenta ab ijs capiamus.

Cùm itaq; tanti referat ſtatum Eccleſiæ toto orbe terrarum vagantis exploratum habere: magnus profectò cumulus ad cætera Dei beneficia in hoc extremo tempore acceſsit, quando tot florentia regna, exteræ nationes, ignotæ Inſulæ, procul diſsitæ oræ parteſque terrarum patefactæ ſunt: vt beatum hoc nomine prædicare ſeculum noſtrum iure omni conueniat, quo tam multa de diſtantium tanto interuallo populorum religione & moribus, fama & auditione accipimus. Quod ſanè cùm conſideramus paulò attentiùs, aliter exiſtimare non poſſumus, quàm eſſe hanc vltimam ſcintillam, qua deflagrante interitura ſit mundi machina. Quò magis ergo flamma illa hactenus micuit, & nunc ad interitum ruit: eò propiùs etiam à fine ſuo abeſſe mundum conijcimus. Nondum vnius ſeculi ætas exacta eſt, cum fama de Æthiopum religione ad aures noſtras primùm peruenit. Quæ quia in multis partibus cum Chriſtiana conſentit & ſpeciem pietatis honeſtam habet: cognitione noſtra dignißima eſt habenda. De hac igitur quantum orationis inſtitutæ modus expoſtulat, explicare aggrediar: vt & vbi & qualis ſit, qui-

bus

busque initijs cœperit Æthiopica Christianorum Ecclesia constare posit.

Sita est Æthiopia hæc in Africa ad Meridiem, ex quo etiam Meridionalis appellatur, in Zona torrida, tropica Cancri, & æquinoctiali circulo interclusa: quamuis magnam partem ipsum æquinoctialem versus Capricorni tropicum transcendat. Æstas ibi gemina est in anno, & fermè perpetua: vt vno corpore in alijs agris fiat sementis, in alijs verò messis. Alicubi singulis mensibus nouæ fruges, legumina præsertim feruntur. Homines Solis ardore aduruntur, vt nigrescant & nudi incedát. Nisi quod gossypio vel serico pudenda con tegunt nõnulli. Ampla est valde, & regna fermè 40. cõplectitur, vt ꝓpe Europá, vel totum orbem Christianorum magnitudine sua æquet. Initio quidem non amplius duo regna continuit. At progredientibus ætatibus, adiectis vicinis regnis, mirè aucta & ampliata est. Nam ex omni parte infidelibus Ethnicis & Mahumetanis Christianæ religionis hostibus est septa cum quibus bella assidua gerit, & omne studium curamq; ad hanc operam Christianus Æthiopiæ Rex conuertit, vt quàm plurimos

ab idolomania Ethnica ad Christianam fidem traducat. Ferunt tam acerbum et & immane quorundam vicinorum Æthiopum in hos Christianos odium, vt nulli vxorem ducere liceat, nisi iusiurandum dederit, se duodecim Christianos occidisse.

Rex Æthiopiæ nominatur non Presbyter, vt quorundam fert opinio, sed preciosus Ioannes. Nam Æthiopica lingua Ioannes Belul, quod est preciosus seu altus, dicitur: vt pene cum Principum nostrorum titulis congruat, qui illustres & excelsi vocantur, vt euectos & elatos super alios mortales esse intelligamus. Estque hoc commune nomen omnib. Æthiopiæ Regibus: quemadmodum Ægyptiacis Regibus Pharao, siue Baro, vt nos dicimus: Romanis Imperatoribus Augustus, hoc est σεβαστὸς seu reuerendus. Nec Sacerdos est professione hic preciosus Ioannes, sed politicus magistratus, nec tam religione & legibus armatus, quàm armis decoratus Imperator.

Columnam tamen fidei se ipse vocat ideirco quia custos est fidei Christianæ, & non solùm potestati ditionique suæ subiectos populos ad fidei Christianæ professio-

fessionem adhibet, sed etiam hostes vi & armis ad eam suscipiendam, quo ad eius fieri potest, adigit.

Olim à Reginis duntaxat gubernata Æthiopia fuit. Ex quo in historia veteris Testamenti legimus venisse ad Salomonē Regem, Austri Reginam de Sabba, audiendi causa admirandā eius sapientiam, circiter annum mundi 2954. Nomen Reginæ huic fuit Maqueda, quæ per mare rubrum & Ægyptū venit Hierosolymam, ex regia vrbe Æthiopiæ, Saba, quæ Nilo velut Insula vndique alluitur. Attulitque ad Salomonem talenta auri centum & viginti, quæ efficiunt septies centena millia & viginti millia aureorum Vngaricorum, vel tonnas auri septem, & insuper viginti millia Vngaricorum. Tanta summa auri cum alijs preciosis rebus Salomonem donauit, & ab eo vicissim munerib. amplissimis affecta est. Certauit etiam cum Rege illo propositis quæstionibus & ænigmatibus acutè sapienterque excogitatis.

Credunt Æthiopiæ Reges ex Dauidis stirpe & Salomonis familia sese procreatos esse. Iccirco se filios Dauidis & Salomonis atque adeo sanctorum Patriarcharum appellare solent, quod eorum satu orti

orti ſint. Nam ex Salomone filium ſuſcepiſſe narrant Maquedam illam, quem Meilech nominarit, poſteri verò Dauidem fuiſſe dictum aiunt. Is (vt ipſorum habet traditio) cùm annum ætatis vigeſimum attigiſſet, ad Salomonem *patrem* & præceptorem à matre remiſſus eſt, vt doctrina & ſapientia vtili ac ſalutari ab eo inſtrueretur. Quod ſimul ac aſſecutus fuit Meilech ſeu Dauid, conceſſu Salomonis ſacerdotes & comites nobiles multos de ſingulis duodecim tribubus ſibi adiunxit, & in regnum Æthiopiæ reuerſus, gubernationem eius ſuſcepit. Ac vna etiam legem Domini circumciſionemque eodem importauit.

Hæc primordia fuere religionis *Iudaicæ* in Æthiopia, & aiunt in hodiernum vſque diem ad aulica miniſteria & canonicatus nullos admitti, niſi de ſtirpibus ex Iudæa adductis oriundos. Ab his igitur propagata eſt doctrina de Deo in *Æthiopia*, & radices egit, vt ad omnes ætates conſequenter permanarit. Nam & libros Propheticos retinuerunt Æthiopes & Hieroſolymam adorandi cauſa verum Deum patefactum in regno Iſraëlis profecti ſunt. Quod ex hiſtoria Eunuchi, cui

In-

Indich nomen fuit, Cantacis Reginæ, quæ Iudith ꝓprio nomine dicta est, præfecti intelligi potest. Is.n. circa annum à morte & resurrectione Iesu Christi decimum, Hierosolymam ducentorum & quadraginta milliarium itinere accessit. Cumque ibi officium & cultum Deo debitum tribuisset, & iam domum rediret, in curru sedens Prophetam Esaiam legit. Itaque ad eum diuino mandato missus fuit Philippus, Christi discipulus. Et cùm processissent ambo ad vrbem Bethzur, tribus milliaribus ab Hierosolymis : ibi in radice montis fontem conspexit Eunuchus, cuius aquis à Philippo baptisatus est. Reuersus verò in Æthiopiam Eunuchus baptisauit Reginam & magnam familiæ regiæ & populi partẽ. Ex quo Christiani cœperunt esse Æthiopes, fidemq; Christianam omni sequenti tempore professi sunt. Credunt etiam à Philippo Æthiopiam missum esse discipulum quem Lycanon appellant, eumq; religionis Christianæ cultum vsumque omnem in Æthiopia constituisse arbitrantur.

Iam hisce primordijs Iudaicæ pariter & Christianæ religionis apud Æthiopes cognitis : de ipsa religione sine doctri-

na Ceremonijs & ritibus in Ecclesia Æthiopica vsitatis, quantũ nobis ex legationib. vltro citroq; missis constat, explicandũ est. Nihil autem neq; de religione, neq; de morib. institutisq; horũ Æthiopũ monumentis & literis vspiam mandatum est. Vt mirum sit, adeo clausam fuisse Æthiopiam, vt ne fama quidem ad nos tot seculorum ætatibus emanarit. Donec ad Eugenium pontificem Romanum circa annum à Christo nato 1440. legati ex Æthiopia vsque missi literas Papæ cum benedictionis pontificiæ ordine ac potestate ad Regem suum retulerunt. Reliquæ sunt istæ literæ in aula Æthiopici Regis, & custodiuntur sanctè in grammatophylacio, vt sempiternæ hominum memoriæ sint commendatissimæ.

Ab hoc rursum tempore tanquam clausa esset Æthiopia nostris hominibus, nemo neq; de Europæis ad Æthiopes in Africam, neque inde vicissim ad nos quisquam cõmeäuit, vsque ad annum Christi 1486. quo Lusitanorũ Rex Ioannes secundus, Ioannem Petrum Lusitanum, cum alio quopiam Alphonso, itineris comite ad explorandam Æthiopiam misit. Fuit ille Petrus linguarum multarum peritus

itus, doctus, facundus, industrius, laboris patiens, felix: & homines terrasque nouas inquirendi percupidus. Missus igitur à Rege Lusitaniæ, anno eo, quem dixi, mercatoris habitu, primùm per mare in Ægyptum, inde ad mare rubrum, post pedestri in itinere per Æthiopiam ad preciosum Ioannem peruenit. Cui cùm literas à Rege suo cum tabula Cosmographica, quam mappam mundi vocant, reddidisset, perbenignè ab eo acceptus est, & muneribus affectus quamplurimis. Etsi autem reditum ad suos seriò expetiuit, impetrare tamen haud potuit: sed opibus, honore & vxore nobili auctus est: vt desiderium patriæ & suorum deponeret. Quamobrem inuentus fuit in aula preciosi Ioannis ab oratoribus Lusitanis, & relictus etiam ibi anno 1526.

Interea verò nonnulli de Lusitanis ex India in aulam Æthiopicam, non tam salutandi quàm animi beneuolentiam Regis Lusitaniæ nomine declarandi causa venerunt. Vt ergo suum vicissim in Regem Lusitaoniæ voluntatē ac studium ostenderet Helena, quæ tunc regnum administrabat: misit vna cum Lusitanis illis oratorem suum, Matthæum, mercatorem, na-

tione Armenium, qui linguarum rerumque plurimarum gnarus erat. Hunc non solùm literis ad legationem necessarijs instruxit, sed vt coram etiam regi Lusitaniæ capita doctrinæ seu fidei, morum, & totius Ecclesiæ Æthiopicæ statum explicaret, mandauit. Dono præterea misit crucem ex frustro ligni illius factum, in quo Christus patiens & moriens pependit. Aliaque amoris & necessitudinis mutuæ vereque Christianæ documenta plurima addidit. Dimissus hoc modo Matthæus cum Lusitanorum nauibus, in Portugaliam venit, anno Christi 1513. quæque in mandatis habuit, Regi Immanueli exposuit.

Rex autem legatione ista, donisque ex Æthiopia vsque ad se missis mirificè delectatus, non multò post legationem nouam misit, cum literis & muneribus amplissimis: in qua præter cætera excelluit pietas & virtus Francisci Aluaresi. Lusitanici sacerdotis. Is enim totos annos sex in Æthiopica aula cõmoratus, rem omnem probè percepit, atque cognouit. Nec solùm cum Rege ipso, sed etiam cum Patriarcha de ordine Ecclesiastico, & tota religione crebros & familiares sermones habuit: tum singulorum etiam rituum inspector &

& explorator diligens extitit. Dimissus
autem à preciso Ioanne , anno Chri-
sti 1 5 2 6. alium legatum Aethiopicum
secum in Lusitaniam ad Regem adduxit:
& literas quoque ad Pontificem Roma-
num, Clementem septimum cum cruce
e auro vnius pondo facta attulit. Apparet
legatum istum preciosi Ioannis virum fu-
isse probum , integrum & pium, qui in
Lusitania ad annum vsque Christi 1529.
propter assiduos bellorum motus, deten-
tus est.

Literæ autem preciosi Ioannis redditæ
sunt Pontifici à Francisco Aluareso, Bo-
noniæ , anno Christi 1533. Vbi præsente
Carolo V. Imperatore Romano frequen-
tissimo theatro & plausu magno lectæ at-
que comprobatæ sunt. Vtræque verò lite-
ræ tam ad Pontificem, quàm ad Immanu-
elem Regem scriptæ, pietatis Christianæ
& officij plenæ erant: quibus primùm
quidem Imperator ille potentissimus, Pon
tifici Romano fallaci tamen iudicio tan-
quam capiti Ecclesiæ cum reuerentia &
obseruātia summa sese subijciebat, debitā
obedientiā illi, more aliorū Regū Christia-
norum, per Franciscum illū, policens. De-
inde beneuolentiæ, charitatis & necessitu-

dinis veræ officia ad vtrumque deferebat, consuetudinem & amicitiam cum illis iungere cogitans, regnumq́; suum patere Christianis omnibus ostendens, vt vltro citroq́; nauigare tutò poßint. Non obscurè etiam detestabatur Christianorum mutua *dissidia*, & societatem belli aduersus Mahumetanos hortabatur, suam fidem, operam & studium ardentißimum ad oppugnandos Christi hostes, ad fidemq́; Christianam conuertendos promittens. Postremò viros eruditos, sacrarum literarum peritos, industrios typographos, & in omni genere artifices sibi mitti petebat, quorum opera vti ad ornandam Ecclesiam & politiam *suam* posset. Non se inuitum quenquam *in suo* regno retenturum ostendebat, sed auctos honore, præmijs & mercede liberaliter singulos esse in patriam dimissurum. Vt denique monumento clarißimo suam in Regem Portugaliæ pietatē & fidem *testaretur* coronam illi capitis sui, vt filius charissimo suo patri solet, misit.

Hac ergo Lusitanorum solertia & admirabili industria patefacta Christianis Æthiopia pernosci à nobis nuper admodum cœpit, nec fere quicquam est tam reconditum aut abstrusum in Æthiopum religione, quod

quod non à Francisco Aluareso peruestigatum sit, vel à legato Æthiopico plena manu expositum atque declaratum. His igitur autoribus vniuersa commemoratio nostra religionis Æthiopicæ nititur, & tanquam riuulus ex eorum fonte profluet.

Caput religionis Æthiopicæ est professio veri Dei, & filij eius Iesu Christi, quæ Christianorum est peculiaris & propria, ex qua vna Christiani nominantur. In hoc capite pura, integra & natiua est Æthiopum fides: vtpote qui nobiscum confitentur & adorant vnum Deum, & tres personas Diuinitatis, Deum Patrem, Deum Filium ex patre ab æterno genitum, pro nobis incarnatum, mortuum & resuscitatum: & Deum Spiritum sanctum à patre & filio procedentem. In hoc articulo fere sacrosanctum symbolum Apostolicum & Nicænum sequuntur. Nisi quòd descendisse Christum ad inferos aiunt pro anima Adami, atque etiam pro sua ipsius anima, quam ex matre Maria virgine acceperit. Hanc enim opinionem penitus insitam habent, quam constare ex antiquissima traditione Apostolorum ab ipso Christo accepta perhibent.

Vetus Testamentum cum nouo sic cõiungunt, vt ritus nonnullos Iudaicos & Christianos imitentur. Infantes omnes masculos pariter & fœmellas octauo die ætatis circumcidunt. Sed ad quadragesimum diem masculos, ad octogesimum verò fœmellas, nisi ægritudo aliqua *festinationem* desideret, baptisant. Circumcisionem quidem à Regina Maqueda, quæ ad Salomonem venerat, aiunt se accepisse. Baptismum verò à S. Philippo, & Eunucho quem Philippus baptisauit. Non tamen ex circumcisione, sed ex fide Iesu Christi salutem veram sibi contingere dicunt. Baptismum singulis annis renouant, cum in die Magorum, quo Christus in Iordane est baptisatus, frequentia & multitudine maxima conueniunt, & nudi in aquam descendunt, vbi Sacerdos manum eis imponit, rer immergit, & verba Baptismi pronunciat: Baptiso te in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti: addita benedictione per sanctæ crucis signum. Hunc morem à maioribus acceptum sanctè obseruant, non vt primum baptismum extenuent aut infirment, sed vt à peccatis absolutionem singulis annis consequantur: Quin infantibus etiam eo ipso die quo

ba-

baptiſantur, corpus Domini ſub exigua panis ſpecie impertiunt. Adulti verò ad cœnam ſanctam acceſſuri peccata prius confitentur, & à Sacerdote omnium peccatorum abſolutionem conſequuntur. Tum ſacramentum integrum, verum corpus & verúm ſanguinem Ieſu Chriſti, tam Clerici quàm Laici, matutino tempore, in templo accipiunt. Quo ſumto, non fas eſt vlli expuere vſque ad occaſum Solis, niſi pœnam grauem ſubire velit,

Confirmationem & vnctionem pontificiam neque pro ſacramento habent, neque vſurpare ſolent. Pontificem Romanum vel errore quodam opinionis, vel gratiæ aucupandæ cauſa, caput Eccleſiæ agnoſcunt, & obedientiam erga Romanam Eccleſiam præſeferunt. Quanquam iuuari à Pontiſice Romano neque ante patefactam à Luſitanis in Indiam nauigationem potuerunt, neque nunc quicquam ab eo propter interuallum penè quindecies mille milliarium, conſequi poſſunt. Tot enim milliarium iter ait ſe confeciſſe ex Luſitania in Æthiopiam miſſus legatus. Cōſenſum duntaxat Romanæ Eccleſiæ & coniunctionē aliquā cum

Christianis Europeis quæsiuisse & expetiuisse videtur Helena Regina, & post eam Dauid Rex. Quo coniunctis opib. & armis hostes Christiani nominis Mahumetani possent deleri.

Ieiunant Æthiopes compluribus diebus in hebdomade, & quidem ad occasum vsque Solis. Mercurij quidem die, vt renouent memoriam consilij Iudæorum, quo occidendum esse Christum decreuerunt: Veneris verò vt mentib. gratis meditentur & recolant passionem & mortem Christi. Eosdem dies etiam sacros habent, præsertim vespertino tempore, quo olim Iesus Christus in cruce mortuus est. His addunt alios dies quadraginta, quos quadragesimale ieiunium vocant, & aqua paneque solo victitant. Festa celebrant tum Christi, tum Mariæ etiam, & nonnullorum sanctorum quibus conueniunt in templis, hora diei tertia à Solis ortu, librosque Propheticos legunt, & opera diuina faciunt. Sabbatum quidem Iudæorum imitatione sanctificant: diem verò dominicam ex Apostolorum institutione celebrant. Vtroque die festo Deum colunt, sancta faciendo & profana vitando. In templum non nisi nudis pedibus ingrediuntur,

puntur: in eoque neque ridere, neque obambulare, neque de re vlla profana loqui, nec ſpuere aut ſcreare vlli licet.

Legis vſum illum eſſe maximum putant, vt peccata nobis oſtendat: ſeruari verò à nullo mortalium poſſe, excepto Ieſu Chriſto, qui eam pro nobis impleuit. credunt. Sanctos quidem amant & venerantur, ſed non inuocant. Matri Chriſti, Mariæ virgini honorem magnum tribuunt, ſed neque adorant, neque opem eius implorant. Miſſam ſingulis diebus, ſacrificij loco, vnam tantum, eamq; breuem peragunt: ſed quæſtum in ea re nullum planè faciunt. Neque ſacramentum Euchariſtiæ, vt Pontificij oſtendunt, neque ad redimendum animas mortuorum ab inferni pœna applicant. Purgatorium tamen ignem non negant. Propterea mortuos cum crucibus & orationibus, inprimis verò cum recitatione initij Euangelij Ioannis ſepeliunt. Tum ſequente die Eleëmoſynas pro eis offerunt, & poſtea etiam certis diebus epulas funebres addunt. Diebus ſacris Sabbati & Dominicis credunt animas eorum qui piè mortui ſunt, cruciatu omni in purgatorio vacare. Tandem verò expleto expia-

tiois ſcelerum commiſſorum termino, in cœlum, ad quietem ſempiternam euadere arbitrantur. Ad eam verò rem non vllis indulgentijs à Patriarcha datis ſed ſola Dei miſericordia & gratia opus eſſe iudicant.

Coniugium Clericis & Presbyteris non minùs quàm policitis permiſſum eſt. Sic tamen vt mortua vxore prima ducere aliam non liceat, niſi Patriarcha diſpenſante. Concubinam ſi quis alat, à ſacris arcetur. Qui verò Epiſcopus aut Clericus ſpurium filium ſuſcepiſſe deprehenditur, huic ſacris ordinibus planè interdicitur, omniaque beneficia eripiuntur. Spōſi cum ſponſa copulatio alicubi extra templum fit, poſito toro ante domum, in quo ſponſus & ſponſa collocantur. Tunc accedunt Sacerdotes tres, qui voce contenta Alleluia & alia canentes, lectum ſponſi ter circumeunt. Poſtea cincinnum vnum de ſponſi, ſimiliter & de Sponſæ capite abſcindunt, in vino & melle confecto lauant, permutant & vtriuſque capiti imponunt, adſperſaque luſtrali aqua abeunt. Quibus peractis nuptiale conuiuium incipit, quod in multam noctem producitur. Tandem domum ſponſa cum ſponſo deducitur.

citur , vnde neutri exire per menſem v-num licet.

Alicubi in templo copulantur ſponſus cum ſponſa ab ipſo Patriarcha. Vbi eodem modo ſtante toro, circumit Patriarcha cum acerra & crucibus, poſtea conuerſus ad Sponſum , manum capiti eius imponit: Fac, inquiens, quæ in Euangelio Deus præcipit , cogitaque non iam duas ſed vnam carnem vos eſſe. Hæc vbi dixit, miſſa & communicatione adhibita, benedicit illis. Polygamia à Rege quidem & politico magiſtratu conceditur Æthiopibus: ſed in Eccleſia nulli plures vxores habenti locus relinquitur. Immo ne ingredi quidem templum vlli fas eſt, qui plures vxores habet, ſed pro excommunicato habetur , nec prius recipitur ,quàm repudiatis cæteris, vnicam retineat.

Diuortia ſunt frequentia , & ſæpe leuibus de cauſis : Exceptis tamen Sacerdotibus, quibus diſcedere omnino à coniuge non licet. Ex quo apparet, non probari Sacerdotibus iſtam leuitatem, in re tam magna. Putant autem huic malo ita potiſsimũ occurri poſſe, ſi ſibi caueant , in ſponſalibus certa pœna aut multa ſtatuta in eam perſonam, quæ deſertrix fiat.

So-

Solent quoque ſecundum Moſi legem fratres fratrum vxores ducere, vt ſobolem eis procreent. Nec tamen ab omnibus, ſed à potentioribus duntaxat iſte coniugij abuſus exercetur. Nam ruſtici & egentiores alij, ſua quiſq; contenti coniuge, operi faciendo & victum quærendo fatigantur, vt ab huius blandiſsimæ Dominæ Veneris ſtimulis vacui ſint. Infantes ante ſuſceptum baptiſmum morientes ſemichriſtianos iccirco vocant, quòd parentum Chriſtianorum fide ſanctificati ſint, ſed nondum per baptiſmum penitus inſerti Eccleſiæ. A cibis, quos lex Moiſi immundos habet, ipſi quoque abſtinent. Hæreſin Arij, Macedonij, Neſtorij, Eutychetis reijciunt & damnant.

Eccleſiam in Æthiopia gubernat Patriarcha, qui Abuna, quod eſt Pater, idiomate Æthiopico dicitur. Is Hieroſolymis primum monachorum qui ſepulchrum Chriſti cuſtodiunt, ſuffragijs ritu ſolenni creatur. Poſtea à Patriarcha Alexandrino confirmatur & in Æthiopiam mittitur. Solet precioſus Ioãnes, quoties Patriarcha nouo opus eſt, legationẽ cum multis muneribus Hieroſolymam mittere, & indè Patriarchum accerſere, Aduenięns ver-

Patri-

Patriarcha, ex veteri instituto, cum monacho ordinis Diui Antonij Eremitæ, magno ordinum omnium consensu, congratulatione, plausu & lætitia excipitur. Deligitur autem ad eiusmodi officij munus vir eximiæ pietatis, grauitatis & eruditionis laudibus præstans, & ætate cæteris antecellens. Huius partes præcipuæ sunt, sacros ordines conferre, & disciplinam Ecclesiasticam tueri, excommunicare contumaces, qui inedia ad mortem vsque coërceri solent. Ius autem tribuendi episcopatus & Ecclesiastica beneficia solus sibi vendicat preciosus Ioannes. Sacerdotum agmina ingentia sunt in Æthiopia, quemadmodum etiam monachorum. Vidit Franciscus Aluaresus semel à Patriarcha ordinari sacerdotes bis mille, trecentos quinquaginta sex. Alijs temporibus ad quinquies vel sexies mille semel ordinari solent. Fuitque ordinatio talis singulis annis his. Apparet esse homines, qui in eum ordinem cooptantur, neque literarum, neque artium doctrina aliqua perpolitos. In Presbyterorum verò collegium nemo ante trigesimum ætatis annum recipitur. Fit quoq;, vt vacante Patriarchatus sede, inopia sacerdotũ labo-

ret

ret Ecclesia. Idque fit propter bella assidua Christianorum contra Mahumatanos & vicinos Ethnicos: Vnde interdum aditus ad Hierosolymitanos monachos ex Aethiopia non patet. Hinc mira existit in Ecclesia vastitas. Monachorum verò plena sunt omnia in regno preciosi Ioannis. Hi non solùm cœnobia, quorum magna est copia, incolunt, sed aulica etiam munia obeunt, rei militari operam nauant, & emendis distrahendisque mercibus implicantur. Denique non est vllum genus hominum per vniuersum orientem, quod frequentiùs negotietur, quam monachi & sacerdotes. Vt omnium locorum & temporum experientia comprobari videas, id quod in versu dicitur: Quicquid agit mundus, monachus vult esse secundus. Nec verò existimandum est decumis aut Eleëmosinis, vt in Europa, Presbyteros, monachos, & alios Ecclesiæ Æthiopicæ ministros ali. Agros duntaxat habent aut hortos, quos colere monachos & clericos oportet, vt parent quæ ad cultum & ad victum suppeditant. Mendicare verò aut à plebe aliquid petere prorsus non licet, nisi sponte aliquid largiri quispiam in tem-

templo, vel pro mortuorum exequijs vel pro alijs rebus pijs velit.

Habent Aethiopes quendam librum, quem ab omnib. Apostolis, quando Hierosolymis congregati fuerunt, scriptum esse arbitantur. Hunc sua lingua vocant Manda & Abetylis: creduntque adeo omnia, quæ in eo continentur, pro Euangelio habenda esse. In hoc præter cætera comprehenduntur quædam præcepta, vt sacerdos in adulterio, homicidio, latrocinio deprehensus aut dati testimonij falsi reus, eadem pœna cum cæteris maleficijs afficiatur. Vt Ecclesiastici pariter & politici post matrimonialem congressum à templi ingressu abstineant, quatuor & viginti horis. Continentur etiam nonnullæ de repurgatione mulierum à menstruo fluxu & de partu leges, quas quod vsum nobis nullum afferant, non libet commemorare. Illud verò non inutiliter cautum est, in eodem libro, vt singulis annis in Ecclesia Christi bis synodus cogatur, in qua de rebus Ecclesiasticis omnibus diligens exploratio & iudicium fiat.

Hæc ferè sunt quæ de religione ac fide ritibusque Aethiopicæ Ecclesiæ, sub

spe-

precioso Ioanne, cognoscere hactenus nobis contingit. Quorum pars bona cum monumentis Testamenti veteris & noui consentit. Eiusmodi enim planè sunt vt Dei cognitionem, tum fidem etiam & cultum Christi vnici seruatoris nostri præseuerant. Vt autem nulla Ecclesia in terris absque næuis vnquam extitit: sic nec Æthiopica maculis & erroribus penitus vacat. Idq; mirum minus est, cùm scholæ ibi, literarum & doctrinæ seminaria, nullæ reperiantur, præterquam quòd Sacerdotes liberos suos literarum doctrina, quo adfert facultas, erudiunt: quo & ipsi sacerdotio fungi post aliquanto queant. Nec qui adspersos næuos eorum emendasset, hactenus inuentus fuit vllus. Narrat Franciscus Aluaresius Patriarcham Æthiopicæ Ecclesiæ in priuato quodam colloquio grauiter esse questum de talibus erratis, correctionemq; seu reformationem seriò expetiuisse. Quod sanè desiderium eius, vt pium est, ita votis omnium Christianorum comprobandum. Faxit modò Deus immortalis, vt huius sui voti aliquando compotes fiant Æthiopes, & emendationem Ecclesiæ suæ felicem salutaremq; adipiscantur. Quod quidem opta-

optare illis multò est vtilius atq; æquius, quàm vel verborum contumelijs eos lacerare, vel Christiani nominis honore spoliare velle. Quod sibi in Lusitania accidisse quæstus est legatus Æthiopicus, vbi à sacerdotibus pontificijs, velut Ethnicus & anathema est habitus, ab vsuq; cœnæ sanctæ omnino prohibitus.

Error est profectò, vel certè infirmitas magna, quòd Iudæorum ritus nonnullos retinent atq; vsurpant. Sed ignorantiæ libertatis Christianæ peccatum esse videtur. Quod verò sacerdotibus coniugium permittitur, id neq; sancto Dei verbo repugnat, neq; ab Apostolica ordinatione alienum est. Quamobrem nec à Christianis vllis vituperari debet. Nisi si qui pontificis Romani decreta pluris facere velint, quàm ipsius Dei mandatum, authoritate Christi & Apostolorum eius stabilitum. Ex quo sanè intelligi facilè potest, quàm impiè inhumaneq; fecerint Lusitanici sacerdotes, quòd isto nomine in Æthiopicum legatum tam acerbè inuecti sunt, tamq; asperè eum tractarunt.

Baptismi iteratio per annos singulos errore quodam initio introducta est, & vetustate sua consenuit. Est autem tanta

vis vetustatis atq; consuetudinis, vt vbi semel insedit, euelli nō facilè possit. Ac mirum est Æthiopes Baptismum toties renouare, cùm non possint iterare circumcisionem. Verùm de his omnibus quid facere melius possumus, quàm vt mentem illis meliorem precemur, & fidei puritaté atq; integritatem eam quæ verbo Dei congruens est? Lætitiam profectò ac voluptatem magnam perceperant Æthiopes ex primo in regnum suum aduentu Lusitanorum? fore nimirum existimantes, vt ea notitia atq; conuersatio perpetuam, vt animorū ac voluntatum, sic etiam religionis similitudinem atq; coniunctioné afferret. Sed vereor, ne contumeliosa & aspera tractatione ligatorum suorum per pontificios sacerdotes & monachos alieniores ab Europeis Christianis sint facti. Quemadmodum in India Occidentali magna pars iniquitate, auaritia, libidine & immanitate Christianorum à fide Christiana deterrita est: vel certè, vt eam maximè receperit, iterum tamen ad pristinum idolorum cultum defecit.

Probanda verò & laudibus summis decoranda est insignis cura & industria duorum Lusitaniæ Regum, Ioannis secundi,

& Im-

& Immanuelis, qui sumtibus & nauigationibus suis in Indiam Orientalem iter in Æthiopiam Meridionalẽ Christianis Europeis, & Æthiopibus vicissim ad Ecclesiam occidentalẽ aperuerunt. Quòd si absq; his ducibus fuisset, ipsum etiam nomen Christianæ Ecclesiæ in Æthiopia ignoraremus. Sic enim ab ea parte, qua Arabiam & Ægyptum spectat, hostibus Christianæ fidei, Arabibus & Mahumetanis infestum & periculosum habet aditum, vt clausa penitus esse videatur. Nisi igitur per mare Indicum & Magellanicum suis nauigationibus tutum transitum Lusitani præbeant: in Occidentẽ penetrare ex Æthiopia nemo facilè potest.

Hoc igitur vnum est de præcipuis & maximis beneficijs, seu potius miraculis Dei, quibus suum in Ecclesiam amorem, benignitatem & clementiam, hac postrema mundi senecta, cumulatè contestatus est. Quod tanto interuallo locorum disiunctas Ecclesias Christianas, per nouam & ante inauditam nauigationem, quasi coniunxit: vel certè de fratribus Christianis procul ad Meridiem in Africa habitantib⁹ nos certiores fecit: vt in illos intuẽtes, statu nostræ Ecclesiæ eò impẽsi⁹ lętemur, q̃

ſuce maiore nos diuinitus donatos intelligimus. Etſi enim Chriſtum nobiſcum cognoſcit, inuocat & colit Æthiopica Eccleſia: multis tamen erroribus implicata hæret. Nec tanta eſt doctrinæ puritas atq; copia, quanta nos affluimus.

Monachos illa quidem & ſacerdotes habet ſat multos, nec templis etiam ad faciendam rem diuinam caret. At quid ſunt monachi aliud, quàm indocti, inertes & profani ventres? In quibus quod optimũ eſt, & ſpeciem ſanctitatis maximam habet, cultus eſt humana autoritate, vel potius audacia, nullo diuino mandato cõfictus & errore opinionis vetuſtæ corroboratus. Ab his quæſo quid commodi capies? quidue ſalutis expetes? Non doctrina imperitos erudiunt, non concionibus plebem informant, non mœſtas conſcientia Serigunt. Quantũ quidem intelligo, etiam ſacerdotes ipſi in Ærhiopia conciones nullas ad populum habent. Quemadmodum in Pontificia Eccleſia multis in locis prædicatio Euangelij conticeſcit.

At vide in noſtra Eccleſia quantò meliora & vberiora ſint omnia. Non deſunt ſcholæ, non profeſsio artium & literarum, non explicatio doctrinæ cœleſtis, non conciones

ciones, non vſus ſacramentorum: quibus omnibus ſic abundamus, vt quotidie ijs circumſonent aures noſtræ. Eſt igitur quòd gratis mentibus tanta Dei beneficia agnoſcamus & celebremus, demuſq; operam, ne noſtra ignauia vel impietate, vel petulantia intercidant. Alioquin id nobis euenturum eſt, quod minatur filius Dei, vt Regina Auſtri in extremo iudicio nos condemnet.

Eſt autem Auſtri Regina non alia, quemadmodum ſupra memini, quàm quæ de Saba ex Æthiopia venit Hieroſolymam. Ea enim Æthiopia Auſtralis eſt maximè, & ad terræ terminos ſeu fines declinat, hoc eſt interuallo longiſsimo ab Hieroſolymis diſtat, meridiem verſus, vt extrema eſſe videatur in plaga Auſtrali, & quaſi finis terræ habitabilis: perinde vt Gallicia olim finis terræ verſus Occidentem credita eſt, antequam tot Iuſulæ nouæ Occidentales à Luſitanis & Hiſpanis inuentæ ſunt. Nunc verò poſteaquam nauigatio in Oceano Magellanico per totum Meridiem, ad polum fermè Antarcticum vſq; patefacta eſt: ſuparati ſunt limites iſti terræ Auſtralis, quos Æthiopia hæc, precioſi Ioannis regnum conſtituit. Narrat enim hiſtoria Æthio-

pica recens ſupra viginti millia Inſularum ad Auſtrum inueniri, quæ tamen nondũ ſatis omnes exploratæ ſunt & cognitæ. Vocat itaq; Filius Dei Æthiopiam terræ finẽ, vel ſecundum vulgi opinionem, quòd tunc vltra Æthiopiam nulla terra firma fuerit perſpecta & cognita: vel loquitur figuratè per Auxeſin, vt ſit terminus terræ, idem quod longo quodam interuallo diſtans aut remotum.

Quod ſi, vt ſupra attigimus, ſedem tunc habuit Auſtri Regina in vrbe Saba, quæ & Meroë dicta eſt, hodie verò Elſaba appellatur: iter eius Hieroſolymam verſus, milliarium Germanicorum fuit fermè ducentorum quinquaginta. Eſt enim poli eleuatio ibi graduum ſedecim, minutorum viginti quinque. Quod conſiderare ac noſſe nos vult filius Dei, cum languorem nobis exprobrat, & Reginæ Auſtri profectione de terræ terminis ad Salomonem, tanquam exemplo in illuſtri loco poſito, ad curam & diligentiam audiendi amplectendiq; Euangelium acuit. Neq; verò intelligi hoc ipſum exemplũ à nobis poteſt, niſi locum, vnde venerit Regina Auſtri, & itineris magnitudinem inueſtigemus.

Cauſa

Causa verò cur iter tantum, via tam æstuosa & puluerulenta confecerit, Austri Regina fuit, vt audiret sapientiam Salomonis. Tā ardens scilicet in ea erat amor & studium sapientiæ, vt nulli sumtui, nulli labori parceret, quò sitim quasi diuturnam explere posset. Quod ad nos excitandos inprimis pertinet, vt cum Reginam tanta potentia, opibus, sapientiæq; laudibus florentem Salomonis sapientiæ causa, iter tam longinquum & arduum suscipere non piguerit: multò minús nos tædeat clamantem in plateis nostris veram illam & cœlestem sapientiam, hoc est Euangelium Iesu Christi, cuius vocibus personant omnia templa, scholæ & parietes nostri, audire & tanquam summi precij thesaurum colere atq; in oculis ferre. Illa Salomonis sapientiæ admiratione tanquam attonita obstupuit, quæ tamen riuulus tātùm diuinæ illius sapientiæ fuit ad Salomonem translatus, vel certè cum eo communicatus. Nos verò ipsius filij Dei, fontis sapientiæ omnis, voces, conciones, oracula habemus, legimus & auribus percipimus, vnde veram salutē animæ & corporis æternāq; beatitudinē haurire & consequi possum⁹. Non Hierosolymā molesto itinere,

non Romam, non compostellam procul in Gallicia sitam accurrere cogimur, vt Regina Austri, & ante accensam denuò Euangelij lucem, maiores nostri factitarunt. Sed obuia sunt omnia. Non aurum & gemmas, quales ad Salomonem Austri Regina attulit, nos adportare necesse est, gratuitò & non grauatè offeruntur omnia.

Id vt cognoscamus & gratum acceptumq; habeamus, præclarũ hoc Reginæ Æthiopicæ exemplum nos monet. Quantò enim hac Austri Regina beatiores sum9? Quantò melior etiam nostra est conditio, quàm virorum & seruorum Salomonis, assiduo eius conspectu & sapientia fruentium? Ob quod beatos eos Regina ista prędicabat. Quò autem plus lucis diuina nobis tributũ atq; concessum est clementia: eò pœna etiam grauior in nos constituta est, si tantam bonorum affluentiam aspernemur. Quāti enim est quod ait filius Dei? Regina Austri surget in iudicio extremo, & condemnabit ingratos ac contumaces Iudæos. An non eodem modo condemnabit etiam nos, si in tanta luce & copia Euangelij segnes, durosq; nos præbuerimus? At quàm turpe erit, ne dicam funestum & exitiale, audire coram iudice Christo, in

coetu

cœtu Angelorum & hominũ, vocẽ Reginæ huius, exemplo suo ita nos condẽnauris, vt excusationis nulla relinquatur venia.

Quod dedecus cum sempiterno exitio coniunctum vt euitemus, oculos & mentes identidem ad hoc Æthiopicæ gẽtis exemplũ quod ipsemet filius Dei in cõspectu nostro ponit, referamus. Tum ad alios etiam fratres & sorores nostras passim in vastis mundi angulis dispersas respiciamus: vt non solùm quæ consensio dissensioq́; in religione, fide & cultibus Dei sit, perspiciamus, sed ex aliorum etiam infelicitate, erroribus, cœcitate aut pertinacia nostras opes expendamus atq; æstimemus. Ita enim & magnitudinem Dei in nos amoris & beneficentiæ magis cognoscemus, & pietatis flammæ in pectoribus nostris accendentur, tum gratioribus animis Dei nomen persequemur. Quod hac oratione potissimùm ego spectaui: nec fructus historiarum lectionis vberior vllus est, quàm vt ad curam cultumq́; pietatis incendat, ad imitandum honesta, declinandumq́; turpia inflammaret, & migrandi deniq; in cœlestẽ patriam ex huius mundi squalore desiderium exuscitant.

ORATIO X. DE ARTI MORIENDI.

CVM multæ res in mortalium vita arduæ ſunt, tum perdifficilis eſt quæſtio de morte, quonam modo obiri commodiſsimè poſsit: vt ars artium, & ſcientia ſcientiarum rectè dici videatur. Tria *enim* ſunt, quæ angere & ſolicitos habere animos hominũ maximè poſſunt in hoc genere, fatalis neceſsitas exeundi de vita, quę præmit omnes, parcit nemini, & ipſe mortis ſenſus, qui ſuapte natura acerbus eſt & formidabilis, tum ſtatus conditioq; quæ mortem vel diſceſſum ex hac vita eſt ſecutura. De neceſsitate quidem haud ſcio an grauiús quicquã dici poſsit, quàm *Metrodori* Philoſophi præclara ſententia *habet:* *πρὸς μὲν τἆλλα πάντα ἀσφάλειαν ἔστι πορίσασθαι: χάριν δὲ θανάτου πάντες ἄνθρωποι ἀτείχιστον πόλιν οἰκοῦμεν.* Quod Latinè exponam vt potero, inconditè fortaſſe, ſed tamen vt res poſsit intelligi. Aduerſus alia quidem omnia præſidij aliquid parari poteſt: ſed aduerſus mortem omnes homines vrbem mœnibus carentem incolimus. Etſi autem ea quæ neceſsitatem habent, & communia omnibus ſunt ſtultum eſt metuere; tamen natura formidi-

nem

nem & horrorem mortis ingenerauit nobis vt sine timore esse non possimus. De quo si dubitas fortè, ecce tibi qui id confirmat Philosophorum princeps πάντων, inquiens, τῶν δεινῶν φοβερώτατον ὁ θάνατος: Omnium malorum terribilissimum est mors. Si cui verò nondum id satis persuasum est, is animi sui complicatam notionem euoluat, iam seipse docebit, naturam afferre, vt tam violentam animæ & corporis distractionem reformidemus. Si enim humanum est, amici aut propinqui discessu dolere: quantò est naturæ conuenientius, separatione corporis & animi tanto vinculo constrictorum, vt arctius nullum esse posit, grauissimè merere? Conatur quidem efficere Cicero, vt mortem ἀναισθησίαν afferre credamus, & ob id etiam ἀπάθειαν præstare: Sed quotusquisque est Philosophorum, cuius non tanquam ratis in immenso mari fluctuet in doctrina de morte oratio? quod postea declarabitur commodius.

Status porro conditioq; post hanc vitam cui sapientum explorata satis esse nunquã potuit? Videas alios, vt metum inijciant, fingere tartarum & horrẽda supplicia manium

nium, alios, vt ſpem addant, campum cōminiſci Elyſium, in quo beati vitam agant tranquillam & ſempiternam. Sed quid quæſo firmamenti aut roboris habent fabulæ? quis adeo amens eſt, vt fidem commenticijs rebus adiungat? Cùm itaq; vel mortis te ſpecies cogitatioque perturbat, vel à vita emigrandum tibi eſſe intelligis, quæ res te cura leuabit, aut perfugiũ portumq; in ſolicitudine monſtrabit? quo animo, qua ſpe, huius vitæ lucem, cœliq́ue ſpiritum relinques? An non mente tota atq; omnibus artubus contremiſces, niſi interiturum cum corpore, animũ in morte credas? At interire animus ex vniuerſi mente diuina delibatus quo poteſt? *Sit* igitur, extincto corpore, alicubi *ſuperſtes* neceſſe eſt. At vbi? quaq́; conditione? Hîc implicata mens hominis hæret, nec quò ſe vertat aut quomodo expediat, inuenit. Sunt igitur veri fontes aperiendi, & eiuſmodi iter demõſtrandum eſt, quod recta nos ex hac mortali vita in alterã ducat? vt liberati formidine, & abiecta omni hæſitatione, mortem cum vita commutare poſsimus. Oportet enim vtiq; iter tantũ, tamq; arduum ingredientes de progreſſu & meta, ad quam cõtẽdimus, certos eſſe.

Talem

Talem itaq; viam & artificium tradere in hac oratione conabor, quòd terrorem mortis adimat, animumq́; iacentem excitet, & in cogitationem ac ſpem certam, abſq; vlla exceptione inducat atq; dirigat. Prius autem in lucem prodeat Philoſophia illa præclara, quæ artem vitæ, medicinam animi, commentationem mortis profitetur: cui qui pareat, omne ætatis tẽpus poſsit ſine moleſtia degere: vt quid valeat illa, quantumq́; poſsit in hoc genere, intelligi poſsit. Ex huius ergò præceptis cùm multos bene vixiſſe, & placidè mortuos eſſe credamus, ecquid dubitare poſſumus, quin præſtare trãquillitatem atq; ſalutem in vita pariter ac morte poſsit. Ad eundem modum cùm viuere etiam & extingui Turcos, & alios extra veram Eccleſiam comperiamus: an non fatendum eſt, tam ex natura ipſa, quàm ex commenticia religione viuendi, & moriendi artem peti? Age ergo quomodo ſeſe res ea omnis habeat, paulo diligentiùs expendamus.

Si qua eſt ſapientia, ſi doctrina, ſi grauitas, ſi conſtantia vlli mortalium tributa: certè ea ad Socratẽ translata eſſe cumulatè videtur. At is quomodo Axiochũ ſuum

con-

consolatur, animo ita ægro & æstuante, vt crebris gemitibus, lacrymis, & manuum iactationibus angorem atq; mœrorē ingentem præseferat? Premitur enim is sensu impendentis mortis acerbo inprimis & acri. Quem vt ei eximat Socrates, solatia ea adhibet, quæ succum & medullam Philosophiæ pæne complectuntur, virum vt sese præstet, monet: vita honestè acta sese sustētet, necessitati pareat, & æquo animo mortē aduentantem expectet atq; subeat. His verò cùm parum moueatur anxius Axiochi anim9, quòd vt mortis dolorē maximè conetur superare, non tamen euitare possit interitum: auertere illum à tali errore studet Socrates, & quòd in vitam alteram beatam, ex hac mortali transiturus sit, persuadere incipit: collectis omnibus, quæ & tædium huius vitæ solent parere, & suauitatem vitæ secuturæ possunt cōmendare. Ad quæ tandem Axiochus, erudita quidem, inquit, atq; exquisita sunt, quæ ex media tua Philosophia depromis Socrates: sed leuiora sunt multò & subtiliora, quàm vt angorem animi mei leniant, aut scrupulum qui me semper vrit, euellant. Perdit nihilominus Socrates, & de futuræ vitæ commodis concionatur: per mortem,

tem, inquiens, ex hoc carcere, hisq; vinculis euolabis, & eò peruenies, vbi nulla te attinget molestia, nulla solicitudo, nulla senectus: sed tranquilla vita erit, omnium malorum expers, sempiterna quiete & contemplatione iucundissima affluens. His auditis ita incenditur Axiochus, vt nullo metu mortis teneatur, sed desiderio. At hæc duplex est animorum, inquit, Socrates, ex hac vita emigrantium via? vna eorum qui piè, castè, iustè, modesteque vixerunt. Hi in beatorum sedes perueniunt, vbi paradisus est vbertate & copia frugum omnis generi abundans, vbi scholæ Philosophorum sunt, vbi theatra & chori musici, conuiuia, dapes, & lætitia immortalis. Qui verò fraude scelereque sese obstrinxerunt, ad inferos descendunt, à Furijs raptantur ad Erebum & chaos per tartarum, vt pœnas peccati sui quisque luat. Hic sermo tanquam cœleste oraculum addit Axiocho animum, vt ad moriendum sese paratum omni ex parte ostendat.

Præclaram verò Philosophiam & salutarem, siquidem hoc efficiat, vt mortē non modò non formides, sed eius etiam cupiditate incredibili ardeas. At quibus

in fundamētis tantum præsidij ac roboris positum est? Fundamento enim aliquo certò, tam stabilem fiduciam niti necesse est. Fundamentum aliud non video, quàm virtutis & rectè factorum conscientiam. Fateor autem magnam esse vim conscientiæ, vt nihil timeat qui nihil commisit. Sed vbi inuenies mentem nullius sibi prorsus criminis consciam? Hoc quidem Dei est solius, non hominis, Quid enim? an non omnium iudicio ac experientia comprobatū est aureum hoc Æschyli poëtæ? ἁμαρτάνει καὶ σοφοῦ σοφώτερος. Sa. Bernhardi eximia erat sanctimonia vitæ: & tamen ne is quidem conscientia meritorum vllorum se satis potuit sustentare: sed operum gloriam omnem abiecit, & perditè se vixisse confessus est. Non igitur esse vllus potest, qui culpa vacet, & peccati omnis expers sit. Quod si purus nemo inuenitur, nec integritate conscientiæ consolari se vllus in iudicio Dei potest. Melior est Ouidiana sententia:

Quamuis est igitur meritis indebita nostris:
Magna tamen spes est in bonitate Dei.

Desinat igitur de rectorum consiliorum & factorum conscientia gloriari Socrates:

crates: cum etiam Ethnici nonnulli saniores spem salutis in Dei misericordia potius, quàm in sua virtute aut innocẽtia collocandam censuerint. Ac vt sceleribus fortè externis minùs se obstrinxerit aliquis, quomodo interna animi vitia coram Deo excusabit? Pleni sunt sapientum libri querelis de horribili dissidio appetitus & rationis. Quod qui negat, is sanè homo est turpiter seipsum ignorans, nec cum Terẽtiano fatetur humani à se alienũ esse nihil. Ita autem se res habet, vt siue cognoscas & fatearis labes & vulnera tua, siue ignores atq; dissimules, cæca nihilominus & fallax sit omnis ratio cuius præsidio niteris. Cæco autem & fallaci duce qui vtuntur, in errorem & fraudẽ impellantur necesse est. Quare neq; in virtute, neq; in conscientia, neq; in rationis iudicio tantum roboris & firmamenti situm est, vt ad eximendum mortis terrorem & excitandam spem vitæ æternæ satis valeant.

Sed conuertatur oratio ad rem & factũ ipsum Socratis. Quomodo fert ille mortem qua ex inuidia & odio multatus est? Obiectæ enim impietatis & corruptæ adolescentiæ crimina adeo euidenter diluit, vt nulla culpa in vita eius hærere amplius

visa sit. Non paratum solum se ad excipiendam mortem sed lætum etiam & excitatum spe plus quã humana ostendit, quasi satis exploratum habeat, mortem vel esse discessum ex hac turba & colluuione ad placatissimam quietem, tanquam ad somnum, vel migrationẽ in beatorum oras, diuinũq; consilium, vbi ex congressu colloquioq; prestantium virorum incredibilis voluptas capiatur. Nec dubitat se inuẽturũ illic sapientissimos & æquissimos iudices, qui rectius multo de causa, ob quam condẽnabatur, sint pronũciaturi. Mira pfectò hominis fiducia, rara patientia, ingens constantia. Id .n. penitus insitum atq; defixũ in animo suo habet, bono viro nihil mali euenire posse, nec vnquam res eius à Deo immortali negligi. Sed quod? num recta hæc ad cœlum & beatorũ cœtum via est, quam verbis tam magnificè iactat Socrates: Minimè verò. Quamuis .n. innocẽtiæ testimonio sese tueri fortè apud homines potuerit Socrates: innocens tamẽ & purus corã Deo esse haud potuit. Vel seipsum & næuos suos nõ agnouit, vel seueritatem iudicij diuini ignorauit. Si seipsum nõ nouit, cæcus fuit, & in magno errore versatus est. Sin diuini iudicij ignarus fuit, quonam ani-

animo, aut qua ſpe ad tantum Iudicem prouocare potuit? Eſto: præſidij multum in virtute. At cuius virtus tanta eſt, vt perfecta atque abſoluta dici poſsit? Quod ſi perfecta non eſt, quomodo afferri ad iudicium Dei poteſt?

Quid Cicero de Philoſophis? Quotusquiſq;, inquit, Philoſophorum inuenitur, qui ſit ita moratus, ita animo ac vita cõſtitutus, vt ratio poſtulat? Qui diſciplinam ſuam non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitę putet, quiq; obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſuis pareat? Sit igitur præclara Philoſophia, medeatur animis, cupiditatibus liberet, pellat timores æquè tamen effectiones ſpeciosè magis quàm verè de illa prædicantur. Verùm quòd iſta omnia ad Philoſophum, niſi ex præceptis Philoſophiæ vitam agat, & quod docet profiteturq;, re & facto probet: In Philoſophorum numerum aggregandum eſſe Socratem nemo opinor negat. Dubitabimus igitur magnificentiorem & ſplendidiorem eius fuiſſe orationem atque doctrinam, quàm fuerit vita atq; mores? Etenim ſi conatus maximè fuiſſet rationi parere, non ſiuiſſet tamen ὁρμὴ vel turbulenti affectus, & horribilis ἀταξία,

item cæcitas mentis, infirmitas iudicij & hoſtis veræ ſanctitatis atque virtutis Satanas. Quid igitur fuit aliud iſta eius ſpecioſa pietas & conſtantia, quàm φλυαρολογία τὶς καὶ λεσχηνεία ἐπιπολάζουσα: vt Axioch⁹ verè appellat, vel σοφὸν φάρμακόν τι maligni ſpiritus: Confidentiæ enim ſignum eſt, non innocentiæ coram Deo ſeipſo ſuiſq; meritis, dignitate aut virtute niti, à Deo autem propitio veniam & opē petere nolle. Rectè igitur ſeſe Auguſtini illud habet: Melior eſt in malefactis humilis cōfeſsio, quàm in bonis ſuperba gloriatio.

Quod ſi ſanctum aliquis iſto nomine dicat Socratem, ego impium multò veriùs appellauero, vt qui à Spiritu maligno ad tantam confidentiam impulſus ſit. Sunt enim ſpecioſa quædam opera Satanæ, qui ſe in angulum lucis transformare ſolet, vt miſeras hominū mentes in cæcitatem, errorem, & fraudem inducat. Quod ſi etiam perfecta fuiſſet Socratis virtus, cuiuſmodi tamen minimè fuit: quo, quæſo firmamento niti potuit, vt certò ſtatueret, ſe propterea acceptum Deo eſſe oportere, & conſortem cœleſtis vitæ fore? Etenim vniuerſa Philoſophia non vnum habet

apicum,

apicum, quo id confirmari posſit. Ratio verò humanæ multò minùs illud dictat aut docet. Si itaq; neq; ex Philoſophia, neq; ex ratione teſtimoniũ certum ſumere Socrati licuit: qua ſpe, aut fiducia bona ex hac turba ad cœleſte concilium migrare potuit? ô technas Satanæ, ô inſidias? ô fraudes admirandas, qui ſanctitatis ſpecie tanta hominum animos decipit: vt dum ſalutem æternam ſe conſecuturos ſperant, in exitium ſempiternũ ruant. Deſinãt ergo clamare nonnulli, ſanctè Socrates, ſanctè Cicero. Nulla hîc eſt ſanctitas, nulla vera pietas, quæ ad pellendum mortis terrorem, & ad promerendã vitam atq; ſalutẽ ſatis eſſe poſsit. Relinquitur ergo minimè veram illam ad cœleſtem conſuetudinem viam fuiſſe quam ingreſſus eſt Socrates, ſed ad inferos rectà deduxiſſe. Iccirco nec moriendi ars vera & ſalutaris fuit, qua vſus eſt Socrates, ſed ludibrium fuit Satanæ, cuiuſmodi etiam idem artifex adhibet in αὐτοχειρίᾳ cum homines in eam mentem impellit, vt cauſam ſe nactos eſſe iuſtam arbitrentur conſciſcendi ſibi necem, credantq; adeo ſe rectà ex his tenebris in lucẽ cœleſtem excedere, ſi vincula illa carceris rumpant. Quod de Catone Vticenſi Cicero

affirmare audet, quasi naturę ipsi⁹ grauitas atq; constãtia postulauerit, vt mori poti⁹ quàm aspicere tyranni Cæsaris vultũ debuerit. Quasi verò in suscepto cõsilio propositoq; permãsio pluris sit quã Dei & legũ autoritas. Non ignorauit Cato, neq; latuit Ciceronem, nefas esse, iniussu Dei dominãtis in nobis, hinc demigrare, aut illa carceris vincula rũpere. Cùm igitur cõtra iussum Dei manus sibi attulerit Cato, & vitã, cuius ipse Domin⁹ nõ erat, eripuerit, nefario crimine absq; vlla dubitatione sese polluit. Nec virtutis etiã vlla parte memor fuit. Non. n. constantia est quæ inimica siue aduersa Deo est, sed rigor potiùs, pertinacia, & desperatio extrema. Rectiùs multò Ouid. *Fortiter ille sapit, qui miser esse potest.*

Qui itaq; miser esse aut ferre, quod fortuna vel Deus potius iubet, recusat, fortis dici nullo modo potest.

Themistocles insidias vitæ apud Artaxerxẽ Persarum Regem, ad quem exul cõfugerat, metuens, rem sacram prius facit, quasi Deo sese cõmendans, quàm venenũ, quòd in calamo scriptorio gessisse scribitur, hausit. En sanctam mortẽ, vel formosum potius Satanã, qui tam melleum gustum mortis & acerbissimarum pœnarũ,

quas

quas damnati sustinēt, præbere potest, nihil certius aut exploratius habuit Themistocles, quem per sacrificiū sese ita placari Deo, vt nihil mali pertimescendū sibi esset. At fraus fuit capitalis Satanæ, per quam in exitium æternū Themistocles præcipitatus est. Quare nec ista ars moriendi, cōmoda aut conueniens est, sed meliorem quæramus necesse est.

Cyri porrò morte nihil ferè esse diuinius & optabilius homini videtur. Huic.n. dormienti visum fuit obiectum, per virumq; procera statura & vultu augustiore quam humano denūciatum: συσκευάζου Κῦρε ὡς ἀπιτέον ἤδη σοὶ ἐς θεοὺς: quod est, para te Cyre, iam .n. ad Deos tibi abeundū est. An non satis tuta migratio est ei qui rectâ ad Deos vocatur? Satis quidē tuta esset, si ad Deum, non ad Deos, si via & medijs à Deo ordinatis vocatus esset. Quomodo.n. ad Deum is recta ꝓficiscatur, qui Deum nō nouit, sed Deorum turbam commenticiam colit? Quanti verò interest qualis sit ille per quem vocaris? Bonus ne an malignus Spiritus? Etenim si malus est minister, ad malū absq; vllo dubio vocat. Sin bonus, ad bonū. At bonus ille nūcius quomodo esse potuit, q ad Deos nō ad Deum

verum vocauit? nimirum talis fuit, qualis ille Mercurius, de quo sic lusit Homerus:

Ερμείου πεμφθέντος εὖ σκόπου ἀργειφόντου. Vel etiam Angelus iste, quem fingunt insani Iudæi denunciasse mortē Mosi. Cui cum respondisset Moses: egone moriar, cuius os Domino lucutum est? *Oculi* Dominum viderunt, aures loquentē audierunt: victum sese & constrictum Angelus ista responsione sentiens, pomum lethiferum tacitus admouit Mosi naribus, cuius odore extinctus est. Talibus mendacijs delusit Satanas non Ethnicos solùm sed Iudæos etiam ipsos, vt eiusmodi Angelos finxerint Dei nuncios esse horribili audacia. Quod si fictum illud de Cyro minùs videtur: certè Satanam fuisse Deorū suorum internuncium ad Cyrum concedendum est. Itaq; nec Cyrus recta via in æternam domum aut beatitudinem isto pacto ingressus est.

Quid existimabimus de Leonida Spartanorum ducis oratione, qua in acie stantes milites ad animi magnitudinem adhortatus est? Hodie, inquiens, apud inferos fortasse cœnabimus. Num satis præsidij esse ad mortem subeundam putas in spe cœnæ apud inferos sumendæ? Ridicu-

lum

lum est apud inferos solatij aliquid quærere, vbi nihil nisi tartareæ tenebræ, angores & cruciatus reperiuntur. Absit igitur, vt eiusmodi mortē optemus aut obeamus. Sed quid Leonidē miramur Ethnica superstitione imbutū? Scimus ex Vngarica historia Christianum quendam ducem in bello Ludouici Regis cum Turcis anno 26. supra 1500. ante conflictum eodem modo hortatum esse milites, vt pugnarent fortiter, certo id sibi persuasum habentes, quòd vel victuri essent gloriosè, vel victi & cæsi apud inferos cœnaturi. Talem cœnam auersatus quidā miles subduxit sese clanculum: malo inquiens, incœnatus cubitum ire, quàm inferorū conuiuа esse. Quod omnes etiam pij faciunt, quorum aures & animi à tali morte ad inferorum cœnas ducente abhorrent. Quamuis non desint qui cum Machiauello infernū cœlo præferant, & malint apud inferos in maxima frequētia Pontificum, Cæsarum, Regum, Principum, militum, & mulierum formosarum, quàm in cœlis inter paucos seueros & vetulas degere. Qui lusus nulli nisi Satanæ & ministro eius Epicuro gratus est.

Quid de Cleobis & Bitonis morte dicā? An non beata illa in cœlum migratio no-

minanda est? Primùm pietate erga Deos & matrem eximia fuerunt, dum, morantibus iumentis, ipsi currum in quo mater sacerdos vehebatur, ad sacrificium duxerunt. Quod opus Deo ac hominibus acceptos facit. Tum matre precante illis à Deo quod optimum esset, morte in somno affecti sunt. An placidiorem & beatiorem exitum ex hac vita optare possumus? Mortis quidem genus cuiusmodi sit facilè intelligo: sed effectorem mortis tam subitæ & inopinatæ iudicare difficilius esse arbitror. Certè Deo tribuendum talem effectum haud puto, sed Satanæ potius, qui stabilire Idolomaniam & precationem Ethnicam illustri exemplo voluit. *Ergo* nec istud moriendi genus optandum, *nec* acquiescere in eo satis possumus.

Ciceronis me miseret, qui tantis donis ingenij, sapientiæ, eloquentiæ & virtutis ornatus fuit, vt ad summam autoritatem & fastigium patriæ euectus sit: quiq; tot vtilibus & præclaris monumentis post se relictis in hodiernum vsque diem nos omnes docet & instruit. Is tamen indigna morte peremptus est, quam corui etiam quasi commiserati sunt, cum lecticam, in qua vehebatur, circum volarunt, & quasi

prote-

protegere tam præſtantem virum voluerunt. Sed quomodo is mortem tulit? cum in Græciam nauigaturus eſſet, fugiens Antonij tyrannidem, reflantibus ventis reiectus eſt, & paſsis velis ad Antonij ſicarios peruenit. Quos vbi vidit, vltro iugulum illis porrexit, & ſeſe trucidandum præbuit, ferendum eſſe quòd fortuna iniqua ferret dictitans.

Moriuntur porrò etiam Turci, Iudæi & alij veræ ad ſalutem viæ ignari, ſic, vt in multis nullum ſenſum mortis acerbum deprehendas. An non igitur hi artem moriendi tenent? Moriuntut certè, ſed neq; piè neq; beatè. Turci enim, ſpreta via à Deo ordinata, Mahumetam quærunt ducem ad Paradiſum, hominem impurum, ſceleratum & nefarium. Iudæi verò repudiantes cœlum à Principe vitæ credentibus peccatoribus patefactum & adornatum, in tartarum malunt abijci, quàm cum Domino gloriæ à ſe crucifixo lætitia æterna frui. Vtrique ſanè Turci & Iudæi paradiſum ſibi ingenti opinionis errore fingunt, omnibus lætitijs & voluptatibus corporis affluentem, quo igitur animo, quáque ſpe aduentantē mortem excipere,
& ex

ex hac luce in Paradisum illũ, quem neq; cœlum neq; terra capit, discedere possunt? ô discessum æternis lacrymis deplorandum, ô exitum perpetuo squalore & gemitibus lugendum, ô cæcitatem nunquã finiendis supplicijs luendam, siue igitur morte placida, (quemadmodũ Augustus Cæsar, & Vespasianus quasi ludibundi dicuntur esse mortui) siue tragica extinguãtur Turci, Iudæi & alij veræ viæ in cœlum ignari: mortem profectò miserandam obeunt, nec salutis æternæ participes vnquam fiunt. Non enim est alia via nisi vna à Deo ipso proposita & ordinata, quæ est Iesus Christus, via, veritas, iustitia, vita, resurrectio & salus, qui hunc ignorat, contemnit vel ab eo aberrat, rectà hinc in profundum tartarum, ad ignem & sempiternos cruciatus Diabolo & Angelis eius paratos emigrat.

Quod verò ignari veræ religionis sæpè numero securis animis moriuntur, inde fieri existimandum est, quòd nullũ iudicium Dei esse credunt, sed mortem duntaxat naturalem hominis finem esse opinãtur. Quò pertinere videtur illud Mosonij responsum, quod, vt scribit Maximus, dedit cuidam interroganti, quis optimè ex-

tremum diem claudere posset? Qui sibi, inquit, semper extremum vitæ diem impendere statuit. Si quæris igitur cur Socratem, Cyrum, Turcos, Iudæos & Ethnicos bene beateq; mori negem: à via ad beatitatem eos aberrare respondeo. Si artẽ moriendi veram & salutarẽ scire expetis: eam esse dico, quam solum Dei sanctum verbũ docet, per fidem scilicet Mediatoris Iesu Christi. Bene igitur feliciterq; ex his tenebris excedere in lucem vis? Christum viam & ducem ad veram felicitatẽ & cœlestem lætitiam amplectere, cum eóq; sic te coniunge, vt ab illo pẽdeas totus, nec vi aut terrore vllo diuelli te patiaris. Non is te reijcit amplexantem, sed ad se inuitat: non deserit adhærentem, sed fulcit, immo fratrem suum appellat, cohæredem bonorum suorum expetit, & ex hac vita exeuntem per ministros suos Angelos ad se in cœlestem consuetudinem transfert. Hoc scilicet moriendi est artificium, certum, firmum, ratum, tutum, & optatum. Hoc qui vtitur, malè mori non potest.

Artifex huius summus & præstantissimus est ipsemet Christus, qui mortem pro peccatis nostris oppetens in manus patris sui Spiritum suum commendauit. Iam

cogita, & vim pondusq; verborum accuratè meditare. Spiritus equidẽ quid est nisi anima? Est autem tanta coniunctio atq; consortium animæ & corporis, vt etiamsi separentur in morte, tamẽ copulari denuo oporteat. Non .n. ea conditione sunt condita, vt seiungantur, sed vt vinculo societateque æterna contineantur. Etsi igitur in morte anima domiciliũ corporis ad tẽpus deserit: tandem tamen ex pacto Dei in idem redit, & cum eo communem fortunã, vel in cœlesti consuetudine, vel in igne æterno experitur. Ante verò quàm sit talis reconciliatio atq; copulatio animæ cũ socia corporis massa, Spiritum, putrescente in terra corpore alicubi morari atq; custodiri necesse est. Quis verò locus in *cœli* & terræ totius machina commodior, tutior, certior & optabilior est, quàm manus Dei? Ea enim sola fidei potentia tanta est, vt depositum apud se spiritum probè custodiat, curet & beet. Vide verò emphasin & suauitatẽ Metaphoræ. Manus Deo patri tribuit Christus filius verus Deus & homo; vt illustri & familiari exemplo ab homine sumto demonstret atq; declaret locum, in quo anima corporis compage soluta, custoditur, qui est manus Dei. Sunt igitur

duæ

duæ in hoc actu personæ cõcurrentes. Vna commendantis seu deponentis Spiritum, altera amplectentis & custodientis. Commendat Spiritum suum Christus, suscipit verò eum Deus pater. Sic nos singuli etiam ad exitum vitæ vocati deponimus Spiritum in manu, hoc est, fide & religione Dei patris, reconciliati per filium, tanquam de manu nostra in manum Dei certæ exploratæq; fidei tradentes.

Iam etiam ipsum verbum cõmendandi quantum ponderis in se habet? Est enim in Græco textu παρατίθημι quod significationem deponendi habet: Vt omnino idem sit quod ad custodiendum aliquid alicui do, & veluti totum alterius fidei cõmitto. Quod si hominum ordinatio & legum sanctio hoc postulat, vt cura, diligentia, fideq; bona depositum custodiatur: quid facere Deum ipsum Iuris omnis autorem existimabim⁹? An nõ is multò studiosius & fidelius depositam apud se animã nostram tuebitur? Certi igitur sumus idq; exploratum omnino ducimus, hanc esse viam moriendi tutissimam, quã Christus ipse suo exemplo nobis cõmonstrauit: vt excedentes è vita Spiritũ in manus Dei cõmendemus, & sic recta ex hoc corporis domi-

domicilio in cœlum ad Deum cœlestē patrem, ad filium Iesum Christum, fratrem, euolemus. Idem artificium moriendi tenuit etiam Propheta Dauid, qui in Psal. 31. verbis ijsdem animam suam apud Deum deponit, in manus tuas, inquiens, cōmendo Spiritum meum: redemisti me Domine, Deus veritatis. Vbi causam etiam exponit duplicem, cur ea conditione deponat, quarum prima est redemtio siue recōciliatio facta per filium Mediatorem. Altera verò fides Dei, cuius tanta vis est, & certitudo, vt fallere neminem posſit. Iccirco πιστὸς appellatur à Paulo, quòd fidem datam certiſsimè seruet, nec promissum atq; receptum vnquam interuertat.

Familiariter etiam nota fuit eadē ars Simeoni sancto, cui oraculum à Spiritu sancto datum erat, nō visurum esse eum mortem, nisi Mesſiam in carne vidisset. Hunc ergo cum iam natū in templo conspexisset, Deus bone, quantam lætitiæ voluptatem cœpit? Neq; temere, vidit enim oculis suis patefactam ad cœlos viam, amplexus est brachijs suis ducem ad vitam, & animo comprehendit promissam in eo iustitiam & salutem. Ita ergo sese penitus in illius consortium atq; societatem

insinu-

insinuauit, vt acquiescere & mori etiam in ipsius salute cuperet. Vtitur autem ob eam rem verbo prorsus nouo & conueniente, cùm ait: Nunc dimittis Domine seruum tuum. Quo declarat carceri opaco & tristi similem esse hanc ærumnosam vitam, in quo manendum nobis sit ad illud tempus vsque, quod Dominus vitæ vnicuique assignauit. Ex hoc, inquit Simeon, carcere nunc me dimittis Domine, quemadmodum captiuum è vinculis demittitis, qui potestatem vitæ & necis in eum habet. Addit autem, in pace, vt cuiusmodi genus mortis hoc sit ostendat, nempe placidum, tranquillum & tutum, non directum vlla dignitate aut virtute propria, sed totum in Dei misericordia, clementia, & bonitate per Christum conciliata ac parta fixum atque locatum. En dimisionem suauem, en mortem quietam, en discessum optatum, quam hic audis acerbitatem? quem doloris sensum? quod luctus aut indignationis signum animaduertis? Composita sunt ad pacem omnia. Vbi autem pacis regnum est, ibi hostili insectationi, molestiæ, mœrori, squalori, diffidentiæ, aut dubitationi nullus relictus est locus. Ex quo sanè conuenienti admodum nomine somnus

appellatur mors à Christo & sancto Paulo, vtpote quæ dulcem laborum atque miseriarum quietem afferat.

Addit verò causam tam lætæ placidæque ex hac vita migrationis, quia inquiens, viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti omnibus populis. Coram, ait, se iam vidisse, quod iam diu expectarat credideratque, in quo spem salutis omnem posuerat, videlicet Iesum Christum, saluatorem mundi, qui peccata nostra suo sanguine deleturus sit, sua morte expiaturus, & salutem æternam omnibus in se credentibus paraturus. Vbi autem salus est aut saluator, ibi peccati labes nulla nocere potest, nec crimen vllum damnare. Vocat eundem etiam lumen gentium. Qui autem in lumine versatur, is errare in tenebris haud potest. Luce enim quid optabilius, quid gratius? Huius igitur ductum quicunque sequitur, is rectà in cœlestem consuetudinem, luce & vita affluentem emigrat. Appellat quoque gloriam plebis Israëliticæ iccirco quia sortes peccatorum nostrorum eluit, & veste noua nos ornat, qua induti venire in cõspectum Dei posimus, & ritè ei placere. Si igitur amicti, cœlesti scilicet indumento, ecquid ad Deum Patrem euolare in cœlum verebimur?

bimur? Memini ad exitum vitæ vocatam adoleſcentulam mirificè delectari Eſaiæ verbis, quibus hunc glorioſum ornatum, quo ſuos induit Chriſtus, magnificè & ſplēdidè exponit. Induit me, inquit, veſtimentis ſalutis, & indumentũ iuſtitiæ circumdedit mihi. Quod quidem veſtimentum ſic ad ſe applicabat illa, vt totam ſeſe nouam factam iam tum crederet, & induta Chriſti veſte rectà ad Chriſtum ſponſum, dominum & fratrem proficiſci in animo haberet. Quid inquiens, moror in his terris? veſte Chriſti ornata ſum, qua venire in conſpectum Dei geſtio, ſtareq; in cœlitum cœtu lucidiſsimo. Iam ſatis parata ſum, iam tota pulcra, iam me iter ingredi ad ſe ſponſus Ieſus Chriſtus iubet. Video aſtantem eum tanta benignitate & humanitate, vt nihil mihi prius aut optatius ſit, quàm in amplexibus eius hærere ſemper. Adſunt Angeli eius miniſtri tãta comitate, vt ſociã me ſuã vnicè expetant. Quid .n.? An non hoc ingens ornamentũ eſt, ꝙ Chriſti veſtimentum gero? Cuius .n. eſt ſalus? cuius eſt iuſtitia niſi Ieſu mei ſolius? Hac veſte regitur omnis deformitas mea, munita ſum aduerſus æſtũ & frigus, vt nihil pertimeſcã amplius, nihil horreã. Hæc me Deo patri cõciliat,

Christo sponso adiungit, et vitæ salutisq; sempiternæ hæredem facit. Toto igitur quanta sunt, gaudio completa atque perfusa sum, in Domino meo Iesu Christo tam benefico, tam comi, tam blando, vt cum faciem videris, in cœlo iam tum esse te prorsus tibi persuadeas. Quid verò an non hæc vera & recta tibi videtur esse moriendi ars? num aliud artificium requiremus? quod vel lætius sit, vel certius & exploratius ex his tenebris in lucem cœlestem ducat? O diuinam mortem, omnibus votis & desiderijs expetendam, quam sanctus Simeon demonstrauit, & tot pij Christiani sua morte confirmant & quasi obsignant.

Sed nihil impedit eiusdem artis testem S. Stephanum verissimo præconio producere, quomodo is mortem oppetijt? quàm plenus Spiritu, quam ardens fide hinc decessit? Oculis sublatis cœlum vidit apertum, ipsumque adeo filium Dei stantem à dextris Dei, forma omnium maximè placida & ad humanitatem composita. Quo spectaculo sic incensus fuit, vt oblitus omnium iniuriarum, et dolorem mortis in cœlum vnicè mentem & oculos retulerit, ac in Christi numine atque suauitate se suaque

æque omnia depoſuerit, & conſecrarit. Suſcipe, inquiens, Domine Ieſu, ſpiritum meum. Hæc demum eſt vera dulcis & perpetuo deſidero expectanda mors: cùm cœlum ipſum morientibus ſeſe pandit, & Chriſtus ſtans ad dexteram Patris tantum non extenſis brachijs euolantem è corpore animam ad ſe vocat, excipit, & in cœlitum cœtu collocat. Hanc viam ſi nouiſſet Socrates tum demum benè mortuum eſſe dicerem. Veram igitur maximeq; ſalutarem artem moriendi eam eſſe liquet, quam ſanctus martyr Stephanus in agone ſuo profeſſus eſt. Eandem tenent Chriſtiani, quotquot luce & Spiritu repleti in vera minimeque dubia fide Ieſu Chriſti ex hac vita exeunt. Nam & his cœlum patet Chriſtusque ſeſe videndũ præbet, dum dulcem guſtũ ſuæ præſentiæ opis & lætitiæ cæleſtis infundit, vt quamuis angore corpus afficiatur, animus tamen ſeſe erigat, & in Chriſto ſaluatore ſuauiter acquieſcat. Immo Chriſtum ſæpenumero præſentem, viuum, blandientem & amplexantem vident Chriſtiani, non minùs quàm Stephanus martyr in cœlis ſtantem eum apud Patrem conſpexit.

Inclytus Saxoniæ dux & imperij Ro-

mani Septemuir Fridericus in agone mortis interrogatus, quomodo se habet? Respondit: Habeo cor tranquillum, sed in carne sentio dolorem acerbum, quē fero propter Christum. Audis cor tranquillū fuisse, hoc est pacatum in Christo Mediatore, etiamsi corpus dolore non vacârit. Quanta verò vis est in verbo suscipiendi, quo Stephanus vtitur? Profectò qui sese applicat ad Christum tam comem & humanum, dubitare nihil quicquam debet, quin Spiritus eius verè à Christo suscipiatur. Verum est enim, & omnium piorum vsu & experientia comprobatum symbolum, quod in animo & ore habent Christiani:

*Viuo tibi morior*q; *tibi, dulcißime Iesu:*
*Mortuus & viuus sum maneo*q; *tuus.*

Vides igitur iter quod ingredi morientes decet. quorsum? In cœlum apertum, per eum, qui nos præcessit, iter & mansionem præparaturus in cœlis: & dixit, Pater volo, vt vbi ego sum, & hi sint quos dedisti mihi. Cùm ergo in cœlis sit Christus noster, quo ire nisi in cœlum morientes in fide Christi possumus? Salua res est, plana, tuta, & certa sunt omnia. Verax est qui dixit, potens est adeo vt de officiendi facultate nihil

fidu

ſit quòd dubitemus. Accedit locuples teſtis Stephanus, qui viuus in terris ita rem prorſus ſe habere cognouit. Et vt dubitandi occaſio omnis amoueatur, inſtruimur, & confirmamur ipſo corpore & ſanguine fratris noſtri Ieſu Chriſti, quo velut ſigillo certo & perpetuo hanc in ſe fiduciam noſtram, munit, alit & corroborat, vt ne fieri quidem poſſe ſtatuamus, quin cum ipſo vnum ſimus & maneamus. Ad quem verò itur? Ad eum cui nos noſtrumque ſpiritum commendamus & conſecramus: vtpote quem ſtare omni tempore certum eſt, extentisque brachijs cum deſiderio gaudioque magno aduenientem ſpiritum noſtrum ſuſcipere atque fouere. Hoc quanti tandem eſt, ſpiritum è corpore diſcedentem tam benignè à Chriſto accipi, tantaque fide & bonitate foueri? Sed non minoris æſtimemus id quòd in corpore adhuc hærens animus tanta ſpe ac fiducia incenditur, vt gloriam Dei ſpectet cum Stephano, & ſuſcipi ſeſe à Chriſto penitus geſtiat. Quod S. Paulo etiam accidiſſe credo, cùm in tertium cœlum ſiue Paradiſum abreptus dulciſsimæ conſuetudinis cœleſtis guſtum aliquem percepit. Ex quo tantum deſideriũ moriẽdi eum tenuit, vt lucrũ appel-

larit mortem, & cum Christo esse ex animo optarit.

Dicerem idem de Basilio, qui eadem voce vitam suam in his tetris clausit: Domine, inquiens, in manus tuas commendo Spiritum meum, si propositum mihi esset longiorem facere orationem. In Martino autem sancto quanta fuerit animi verè Christianæ magnitudo, quantumque fidei robur, vel ex hoc saltem cognosci potest, quod ad vitæ exitum vocatus extrema minantem atque tentantem Sathanam his verbis à se propulsauit: quid tu hîc stas inquiens, horrenda bestia, nihil habes in me. Profectò qui sic repellere hiantem & rugientem bestiam infernalem audet, huic viam ad salutem per mortem satis perspectam esse necesse est. Sed non hoc ago, vt testes colligam aut exempla plura persequar. Satis sit artem hanc verè diuinam & solis Christianis veris propriam in artifice summo, Iesu Christo, & eius membris sanctis Simeone Stephano, & paucis alijs demonstrasse. Non enim tam rara est hæc ars, neque inusitata, sed benè familiariterque pijs omnibus nota: quippe qui nulla re alia in tanta ærumnarum & angorum mole solari sese possunt, quam spe & fidu-

fiducia placidè moriendi, & ad Christum veniendi. Mortem igitur tantum abest vt reformident, vt quo ꝓpius ab ea absunt, eò impensius lætentur. Quis enim piorum non gestiat ad eum venire, qui cum desiderio tanto nos expectat, venientesque tanto gaudio suscipit, vt dum in corpore adhuc sumus, sensum & gustum dulcissimæ consuetudinis suæ impertiat? Quis non ex animo cupiat cum eo esse qui se absque nobis esse nolle affirmat? Quis non coniungi sese cum eo cœtu expetat, cuius caput ipse Christus est factus? quis non vti fruique tandem aliquando velit eorum bonorum copia, quæ Christus in cœlesti suo regno nobis parauit, & impertire constituit? Rectè ergo dixit Hugo mortem esse exitum de carcere, finem exilij, consummationem laboris, onerum omnium depositionem, debiti naturalis solutionem, omnium periculorum euasionem, reditum ad patriam, ianuam ad veram vitam, ingressum ad gloriam.

Verùm vt Ethnicis, sic & nobis fas non est & iniussu Domini vitæ nostræ de præsidio, statione que vitæ ab ipso nobis assignata decedere; sed manendum est in corporis custodia tantisper, donec pro sua be-

nigna & paterna voluntate nos reuocarit ad sese in cœlestem patriam translaturus. Vult enim nos Christus ductu & auspicijs suis militare in Ecclesia sua, cum obedientia & patientia laborum & ærumnarum, tum constantia etiam & præclarè omnia mandata officij munera obeundi studio, vt luceamus in hoc peruerso mundo tanquam luminaria, retinentes fidem & bonam conscientiam. Tum vult nos corona vitæ ornare, & bonis suis cœlestibus cumulare.

Hæc est sobria, & vt mihi quidem videtur, admodum frugifera collatio Philosophiæ & religionis Christianæ in hac grauissima arte, quæ exitum è vita salutarem maximeque optatam explicat. Complecti autem conatus sum in hac quamuis breui antithesi succum & medullam Philosophiæ, quæ tamen cùm leuior multò sit, quàm vt medicinam morti afferat, resipsa cogit ad aliud artificium confugere, quòd aliud ad cœlum per viam certam doceat nempe per filium Dei Iesum Christum, victorem mortis, ducem verò vitæ & omnium cœlestium bonorum largitorem. In hoc quicunque animam suam moriens deponit & consecrat, is bene moritur, & rectà in templum

plũ cœleste penetrat, vbi æuo sempiterno fruitur. Dixi.

Oratio XI.

DE QVATVOR MONARchijs, siue summis imperijs, à Daniele Propheta expositis: contra veterem Iudæorum errorem, hoc tempore à Ioanne Bodino Gallo, in methodo historica renouatum.

PEtulantia est & libido ingenij, non sapientia, conuellere & labefactare ea, quæ veris fundamentis nixa magno consensu multis seculorum ætatibus comprobata sunt. Etsi enim præclarum est, & liberale, Socratis more, εἰς ἑκάτερον, in vtramque partem disserere, & collatis sententijs, quid in quaque re verum sit, inquirere: tamen finis & modus cuiusque disputationis hic esse debet, vt tandem inuenta & cognita veritate, mentes acquiescant. Verùm difficilis, & perardua quæstio videtur, quidnam, verum, certum & sequendum sit in vnoquoque doctrinæ genere, in tam ancipiti præsertim contentione, tantaq; opinionum varietate? Quod

Quod enim vni rectum, id alteri falsum videtur: quod præcedens ætas probauit, id sequens reprobandum censet. Hæc dissimilitudo iudiciorum plurimos adeo offendit atque turbat, vt quo se inclinent, vehementer dubitent. Agnosco autem & quidem iure omni deploro nostra vulnera, fateorque multa esse, quæ non satis peruestigari atq; cognosci à nobis possunt: sed tamen via est ad certitudinem perueniendi, in præcipuis dogmatibus atque disciplinis, expedita & recta: quam qui sequitur, animo certo & confirmato esse potest, vt labi per errorem non sit necesse. Talis via in Theologicis dogmatibus est verbum Dei quod Psalmus vocat lucernam pedum & lumen semitæ. Et Petrus appellat firmum sermonem, cui qui attendit ceu lucernæ apparenti in loco obscuro, rectè facit, nec errare potest. Hoc itaque verbum in Theologia fundamentum & norma sit certitudinis, quæ nec hallucinari nec vagari huc & illuc mentem patitur. Neq; sanè medicina vlla ad salutem reduci possumus, nisi de Dei voluntate in nos certi aliquid habeamus, quo nixi ex hoc visibili mundo in alium inuisibilem migrare possimus.

In Philoſophicis verò materijs via triplex eſt certitudinis conſequandæ: ἄισθησισ, πρόληψις, καὶ γνῶσις. Quis enim adeò vel ſtupidus eſt, vel demens, vt id certum eſſe neget, quod vniuerſalis experientiæ teſtimonium comprobat & ſtabilit? Quis niſi inſanus contra principia diſputare audet? Quis denique iudicio aliquo præditus rectæ connexioni omnium partium in argumento non aſſentitur? Hæ itaque viæ ſiue faciles, ſiue difficiles, tritæ ſunt, & rectè nos ducere poſſunt ad veri in quaque ſententia & arte cognitionem, vt vagari aut hærere in ſalebris minimè cogamur. Si qua etiam dubitatio de dogmate, aut quacunque alia materia inciderit, ad hæc κριτήρια. ſiue ad has certitudinis normas deliberatio & iudicium omne referendum eſt.

Ex eodem itaque fonte iudicari etiam peruulgata illa de quatuor ſummis imperijs ſententia iure debet, & vt mihi quidem videtur, negocio non magno poterit. Hanc vocat Ioannnes Bodinus inueteratum errorem. Ego verò vaticinium Propheticum reeuentuque probatum appello. Et habet quidem Bodinus rationes præclaras in ſpecie atque plauſibiles, ſed exiles prorſus, &

ad

ad tenue elimatas. His itaque ego fundamenta solida opponam, ex ipsis verbis Propheticis expressa, & omniũ consequentium ætatum historia confirmata. Quod nisi fecero, incepti me mei audacis, atque inanis pœnitere fatebor: Sin verò perfecero consilium atque cupiditatem temerariam corrigere Bodinus non grauabitur.
Primùm omnium Monarchiæ definitionem quærit Bodinus, & meritò quidem, vtpote à qua omnis disputatio proficisci tanquam ex fonte debet. Fatendum est autem vocem Monarchiæ, aut Imperij in Daniele, quem caput & autorem vaticinij de Monarchijs constituo, non inueniri. Quid ergo? Non est quòd quisquam isto nomine laboret: salua res est. Daniel vniuersalia orbis terræ regna quatuor nominat, aureum, argenteum, æreum, & ferreum. Iam quid est regnum omnia complectens: nisi Monarchia? Si ergo planum ex ipsis verbis Danielis fecero, quatuor ista regna eiusmodi planè esse, vt õnia complexu suo coërceant atque contineant, tunc neque de vocabulo neque de definitione querendum amplius videbitur.

Sic autem de primo regno disertè ait Propheta ad Nabgodonosorem: Deus in

pote-

potestate tua omnia posuit. Est ergo primū regnum Assyriorum, siue Chaldæorū verè Monarchia, siue καθολικὸν imperium. quod totum terrarum orbem complexum est. De secundo regno idem inquit capite eodem: Postea aliud regnum argenteum, minus primo consurget, vbi minus, interprete Theodoreto, non imbecillius, sed secundum significat. Et ista si parum commoda fortè videtur interpretatio: in medio sunt verba Prophetica, cap. 5. Diuisum est regnum tuū, & datum Medis atq; Persis. Ex quo sanè intelligitur, Assyriorum regnū diuina potentia à Babylonicis Regibus ad Persas translatum esse, secundum regulam: Regnum à gente in gētem transfertur, propter iniusticiā. Cap. 8. idem Propheta ait: Vidi arietem cornu ferientem Occasum, Septentrionem, & Meridiem, nec vlla bestia poterat resistere ei, aut liberari de manu eius. Hîc in omnes mundi plagas diffusum esse Persicum imperium expresse dicitur. Nam ex Oriente mouit castra & sceptra ad Aquilonem, Austrum, & Occidentem, vsq; ad ipsum mare. Cumq; nulla bestia, id est, singulare regnum, vt Thedoretus interpreta-

tur, huic Persico imperio obsistere potuerit: ecquid illi ad Monarchiam defuit? De tertio autem regno æreo verba Prophetæ perspicua sunt, quæ asseuerant in vniuersa terra illud esse imperaturum. Nec de quarto dubium esse potest, quin καθολικὸν omni iure habeatur, cum clarè de eo affirmetur, quòd sit contriturum & comminuturum omnia. Quod si omnia comminuit aut contetit, non video cur vniuersalis imperij nomen illi denegetur.

At nondum fortasse satisfactum est Bodino, qui definiri Monarchiam certis regionibus atque terminis, tum Principis alicuius aut populi origine clara cupit. Cui respondeo. Monarchiam non regionum spacijs, aut populorum numero, nec vlla Principis origine, illustri metiendam esse, sed ex natiuo fonte, hoc est, Prophetæ ipsius verbis, & sententia æstimandam. Non enim in vaticinijs diuinis humanum adhibendum est iudicium, neque consulenda ratio, sed solius verbi ductum sequi oportet. Quod nisi fecerimus, labefactare facilè poterimus Danielis prophetiam, & omnia eius regna euertere. Age enim si locorum aut regionum multitudine atque amplitudine metiri voluerimus Monarchiam:

ec-

ecquid stabit Assyriorum, Persarum, aut Græcorum Monarchia? quippe qui neque Europæ, neque Africæ, neque Orientis omnes partes complexi sunt. Quotus enim quisque eorum populis Septentrionalibus? quis Africanis? quis Indianis omnibus imperauit? Ergo nihil efficies, si hoc modo argumentari voles: Monarchia dominatum totius terrarum orbis continet. Talem verò nemo ab initio mundi consecutus est, aut tenuit. Non itaque vllus Monarcha in terris fuit. Non, inquam, tolerari potest hæc consequentia, iccirco quia ex definitione vitiosa conficitur. Alia multò est lingua Prophetica, quæ in rationis ordinem non planè se patitur redigi. Hanc itaque nos cum reuerentia & admiratione discere, ducente Spiritu cœlesti, non rationis iudicio prorsus ponderare conuenit.

Quid igitur nominat Propheta Monarchiam? Vocat regnum κατ' ἐξοχὴν quod Deus potentia, fortitudine, & gloria præter cætera regna armauit, & in omnes dominari vult. Hæc siue inepta, siue absurda videatur, est Monarchiæ definitio, contexta nimirum ex verbis Prophetæ, omni exceptione maioribus. Tale regnum qui tenet, Monarcha iure appellatur, voce à

Græcis ſcriptoribus, Herodoto, Platone, Ariſtotele, Iſocrate vſurpata. Nec plura fingenda ſunt, quàm quatuor hæc à Daniele expreſſa. Non enim decet nos recedere à vaticinij Prophetici verbis, aut affingere aliquid præter genuinam eius ſententiam. Eſtque autor, fundator & gubernator talium regnorum Deus ipſe, qui regna conferendi & transferendi poteſtatem ſolus habet. Etſi itaque multò plura ſunt in orbe terrarum regna, tamen hæc quatuor ſola appellantur à Daniele regna, excellenti nomine & titulo, tanquam capita, quibus reliqua ceu membra ſubiecta eſſe debent. Ex quo ipſi etiam Græci cum βασιλέα nominant, alium regem nullum, niſi Perſicum intelligunt, κατ' ἐξοχὴν Demoſt. Phil. 1. πρέσβεις πέπομφεν ὡς βασιλέα: Legatos mittit ad Regem.

Iudæi, quamuis populus Dei electus & charus, regnum tamen eiuſmodi, quod Monarchia dicitur, conſecuti non ſunt. Quia Deus hoc decus & nomen ad eos non tranſtulit, ſed ſub Catholicis ſiue Cardinalibus hiſce regnis ſemper latere illos voluit. Iccirco Aſſyrijs etiam, quando libuit, tanquã flagello ad caſtigandũ ſuum populum vſus eſt, donec eum penitus ex Iudæa in Aſſy-

ſyriam traducendũ curauit. Nec poſt Aſſyriorum imperium ſecreti ac liberi eſſe Iudæi à Perſarũ, Græcorum, & Romanorũ potentia atq; imperio potuerunt: quo agnoſcerent hanc Dei ordinationem in terris, & ad peccandum tardiores eſſent. Hinc intelligit Bodinus, non ſolùm non regionis finibus, & populi origine præclara, ſed ne religione quidem ipſa, qua ſanctius tamen & precioſius in terris nihil eſt, Monarchiam definiri. Etenim ſi religio Monarchiam conſtitueret, ecqua gens aut natio anteponi Iudæis poſſet? Verùm non contigit hic honos ne Salomoni quidem ipſi, quo nullus Rex ſapientior & florentior, nedum tyranno Turcico, aut Regi Æthiopum, Tartarorum, aut Americarum regionum, quãtumuis triplo totã Europam ſuperantium. Ratio alia non eſt, niſi quòd Deus illis titulũ tantæ dignitatis nõ tribuit. Atq; hæc eſt prima differentia ſiue nota, per quã quatuor Monarchiæ Danielis, à reliquis orbis terræ regnis diſcernitur, nempe fundamentum certum, nomen & teſtimonium in verbo Dei, quòd ſint regna regnorum vſq; ad filij Dei aduentum, & nouum regnum ſpirituale in cœlis.

Altera nota eſt potentia, fortuna, & gloria eximia, qua diuinitus circũdantur Monarchiæ. Id quod verba Danielis apertè con-

firmant: tu Rex Regum es, & Deus cœli regnum potens, forte, & gloriosum tibi dedit. Quod autem de vna Monarchia dicitur, id de omnibus consequentibus in hoc officij munere intelligi debet: adeò vt de Cyro, de Alexandro, de Augusto, de Carolo, de Maximiliano æquè atque de Nabogdonosore dictũ putemus. Quemadmodum verba ad Adamum & Euam semel facta à Deo in paradiso, ad omnes consequentes ætates atque homines sine vlla dubitatione pertinent. Neque verò potentia, autoritas, & gloria ista rationis iudicio prorsus ponderãda est, sed ex verbo Dei tota iudicanda. Non enim, si quod regnũ fortè potentius, maius aut robustius in terris inuenietur, propterea Monarchiæ nomen merebitur. Nec id quod mundus admiratur & magnifacit, semper coram Deo excelsum est, & gloriosum. Est igitur ab hisce spectaculis abducendus animus, & in solo Dei verbo acquiescendum, quod asseuerat, virtutem Dei etiã in infirmitate perfici. Non statim omnes Reges terræ subigebat Nimrod, & tamen Rex Regũ erat. Dominus erat terræ sanctæ Patriarcha Abraham ex pacto Dei: & in eius tamen possessionem vestigium nunquam fecit. Benedictio diuina pronun-

nunciata primis coniugibus: Crescite & multiplicamini, communis est omnibus posteris: & tamen multi in coniugio inueniuntur steriles. Hic si quis propter nõnullorum coniugum sterilitatem negare aut minuere velit diuinæ benedictionis vim, audiendus planè non erit. Manet enim Dei benedictio, tametsi non omnibus contingat indiuiduis. Ad eundem sanè modum sua est Monarchijs potentia, fortitudo & gloria, qua diuinitus ornatæ sunt: quamuis interim imbecillitas, aut debilitas atq; deformitas aliqua accedat. Mirabiliter.n. Deus suũ imperiũ administrat, & penè omnia eius opera fiunt in cõtrarijs medijs. Quãobrem mirum non est, si ratio absq; verbo Dei iudicans, confusa & conturbata sæpe erret, & velut ad vadum, scopulumque appulsa, expedire se non satis possit.

Eadem est ratio postremæ particulæ in definitione Monarchiæ, quòd scilicet in omnes dominetur. Hic enim si exiliter nimis ad calculum reuocare vocabulum fortè velles, facilè efficerẽtur, nullam Monarchiam in terris vnquam extitisse. Cuius enim imperij potestas tanta fuit, vt absque vlla exceptione omnib. hominibus in tam dissitis & latè diffusis regionibus domina-

rè non Græcorũ Monarchia ſtabit aut nomen ſuum tuebitur. At nihilominus ſic loquitur & affirmat ſcriptura. Quid ergo? Deficiendum ne propterea eſſe à verbo Dei existimabimus? Minimè, nõ enim humano iudicio æſtimandum eſt Dei verbũ, ſed contra verbo Dei confirmandum iudiciũ humanum. Propheta ait, omnes de Saba venient, & laudes Domini annunciabunt. Vbi de collectione Eccleſiæ ex gentib. vaticinatur. Sed num ptopterea credimus eius regionis trans Arabiá incolas omnes Chriſtianos eſſe factos? Alibi Propheta ait: Omnes erunt docti à Deo. Hoc experientia certè reprobat, & clamat res ipſa, prorſus exiguum eſſe cœtum eorum, qui Euangelio obtemperant, & à Deo ſe doceri atque regi patiuntur. Quare cedat hî ratio, valeat verò verbũ eius, cuius inuicta eſt fides, & tremenda autoritas: maneatque Monarchiam eſſe poſſe, tametſi non cunctis, ſine exceptione, imperat in terris. Sic enim ſcriptura ſolèt ſæpenumero omnia nominando præcipua complecti vel ex omnibus aliqua, per figurá in alijs etiam linguis vſitatam. Nam & Cicero de Romana Rep. loquens, Orbis terræ imperium appellitat: cùm tamen neq; Aſiæ, neque, Africæ neq; Europæ vniuerſæ

vnquam imperârit. Nihilominus vniuersale totius orbis terrarum imperium nominauit etiam Ouidius 2. Fastorum, cùm ait:

Gentibus est alijs tellus data limite certo:
Romanæ spacium est vrbis & orbis idem.

Et Alexander Magnus regnum suum orbis terræ imperium complecti existimauit, cum Dario offerenti filiam suam vxorem, dimidium regni Persici, & decem millia talentorum, hoc est, sexagies centena millia coronatorum, respondit: Mundus non potest ferre duos soles, sic nec orbis terræ duos Reges. Cyrus verò in sepulcro inscriptum habuit versum: ἔνθα δ᾽ ἐγὼ κεῖμαι κῦρος βασιλεὺς βασιλήων; autore Strabone. Satis igitur fuerit de præcipuis gentibus & nationibus tale orbis imperium intellexisse: quamuis interim plurimi populi terra marique excludantur.

Iam hisce notis Monarchiarum expositis, sequitur vt quænam illa quatuor regna vniuersalia in mundo sint, explanetur: tum vt quomodo ornamenta hæc, siue, vt ita

picam, requiſita ſingulis earum congru-ant, oſtendatur. Niſi enim definitio ijs ex omni parte conuenerit, fruſtra nomine iſto hactenus appellaſſe videbimur.

Primæ mundi Monarchiæ initium poſuit Nimrodus Noami pronepos, anno 1788: cùm iam poſt diluuium humana gens multifariam aucta eſſet, & in plures prouincias atque regiones diſperſa. Conſedit autem is in terra Chaldæorum, ex quo Chaldæorum Monarchia vel etiam Aſſyriorum & Babyloniorum appellatur. Durauitque annis, Diodoro quidem teſte, 1360. Hunc robuſtum venatorem coram Domino vocat Moſes, quòd exercitus duxerit, & armis homines ad legitimam obedientiam coëgerit. Additur autem coram Domino, vt ſignificetur, diuinitus illum fuiſſe armatum, atque donatum potentia, robore, ſuceſſu & victoria; in conſtituendo & retinendo imperio. De Nabogdonoſore autem & ſucceſſoribus eius Ieremias Propheta cap. 27. Seruant Nabogdonoſori, ait, omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius. Ac ne quid in obſcuro aut dubio relinquatur, diſertè appellat Daniel Nabogdonoſorem, cùm inquit: Tu Rex Regum es. Item, tu caput aureum es. Cùm

itaque

itaque absque vlla controuersia Nabogdonosor Rex Assyriorum fuerit: quis de Assyriorum Monarchia dubitare potest, quin ea prima sit inter quatuor prædicta à Daniele regna?

Secunda Monarchia cepit anno mundi 3148. durauitq; annos 207. Huius ἔξαρχος siue caput fuit Darius, qui extincto propter superbiam & idolorum cultum Balthasare, Nabogdonosoris nepote, captaque Babylone, Assyriorum Regum ad Medos transtulit. Ex quo Medorum regnum siue Monarchia appellatur. Et quoniam Darius Cyrum Persam, sororis filium, belli socium contra Assyrios fecerat, factum est, vt vno anno post captam Babylonem, Cyrus summã imperij adeptus sit. Ex quo etiam Persarum Monarchia hæc ipsa nominata est. Ex quo bellè admodum Theodoretus: Medi etiam Persæ, inquit, simul nominantur, quòd Cyrus à Patre Medo, & matre Persa, originem duxerit & quia primus ipsorum Rex fuerit. At dixeris, sucundum quidem regnum nominat Daniel argenteum, sed quomodo sciri potest, Persicum siue Medorum illud esse regnum cùm nominatim nõ exprimat Propheta? Hic audiatur optimus suorum verborum interpres ipse Da-

niel, qui cap. 5. ait de Balthasare: Diuisum est regnum tuum, & datum Medis atque Persis. Hic expresse poni intelligis Medorum atque Persarum nomen & regnum. Et cap. 8. disertè ait: Aries quem vidisti, Rex Medorum atque Persarum est. Vbi iterum expressè Medorum atq; Persarum regnum nominatur, vt de nomine secundæ Monarchiæ nullum dubium sit reliquum.

Sed rursum obijcies de successoribus Balthasari in regno Babylonico hæc verba esse accipienda, non de translatione siue vniuersali mutatione regni: præsertim cùm ipse Daniel mox dicat: Eadem nocte interfectus est Balthasar, Rex Chaldæorum & Darius Medus successit in regno. Quod si de successione sola intelligi verba debet; haud sanè video, cur nouum regnum siue secundam Monarchiam introducamus. Sed est quod respondeam. Solutio enim præsto est. Daniel ipse interpretationē suggerit, cùm ait ad Balthasarem: Deus regnum tuum cōpleuit. Quo verbo absq; vlla dubitatione circumactam esse periodum regni Babylonici indicat, & fato iam distrahi illud, & aliò transferri. Id quod res etiam atque euentus declarauit. Capta est enim Babylon, quo finis eius Monarchiæ conspectior esset, &

ad

ad gentem aliam imperij summa deuoluta est: Vt iam dubium nullum esse posit quin alia etiam Monarchia noua constituta sit. Nec aliud Esaias voluit, cum Persas & Medos vastatores Babylonis cap. 21. appellat inquiens: Ascende Elam: obside Mede: nisi vt destructionem regni Babylonici, & constitutionem Persici nobis demonstraret. Cùmque Daniel aliud hoc regnum dicat, non fas est dubitare, quin diuersum à superiore intelligi velit.

Hæc autem cur argentea nominetur, non est quòd multis declarem, cùm manifestum sit omnibus, regna mundi æquè ac alias res omnes in mundo paulatim deficere, in deterius ruere, diminui, & quo propius à fine absunt, eò languidiora & asperiora fieri. Inde argentea hæc secunda ab aurea nominatur, quod nimirum vt aurum præstantius est argento, sic secundum regnum inferius est primo, robore, virtute, & durabilitate. Iccirco tamē nō est existimandū, nō satis roboris huic regno fuisse ad Monarchiā, minus. n. à Propheta dicitur, vt quidē Theodor. interpretatur, nō vt infirmū, sed vt secundū. Quod. n. potentia eius lōgè lateq; in omnes mūdi partes patuerit, supra ex Danielis cap. 7. ostēsum est partim ex historia

ſtoria ſecundi libri Paralip.cap. 36. cognoſci poteſt: ſic dicit Cyrus Rex Perſarum, Dominus Deus cœli dedit mihi omnia regna. Ex quibus ſanè efficitur, & initium huius Monarchiæ certum & definitum eſſe in ſacris Biblijs, & nomen expreſſum atque diſtinctum à ſuperiori Monarchia, tum potentiam etiam tanto imperio dignam à Prophetis aſsignatam: vt qui iam dubitare de ſecunda Monarchia amplius velit, is manifeſtis atque illuſtribus Prophetarum conſentientibus teſtimonijs contradicere videatur.

De tertia igitur Monarchia, vt deinceps eodem ordine & euidentia explicem, atq; in oculis conſpectuque omnium ponam neceſſe eſt. Hæc itaque initium ſuum duxit à victoria ad Arbela, qua Alexander Magnus copias Darij vltimi Perſarum Regis fudit, & Aſiæ imperio potitus. Monarchiam à Perſis ad Græcos tranſtulit, anno mundi, 3642. durauitque annos 282. donec Iulius Cæſar victo Pompeio, primus Monarcha & Imperator Romanus appellatus eſt. De hac Daniel Propheta inquit: Conſurget regnum tertium aliud. Vbi iterum ordinem & diuerſitatem audimus. Cùm enim tertium nominat de numero nos certio-

tiores facit. Cùm aliud dicit, à præcedente discernit, vt iam tertiam Monarchiam mundi planè definierit. Sed inde inquies, Græcorum eam esse propriam cognosci potest? Hîc iterum Prophetam propheticis verbis interpretabimur. Sic enim cap. 8. ait: Hircus caprarum, Rex Græcorum est, & cornu grande, quod erat, inter oculos eius est Rex primus. Vbi disertè nomen Græci Regis ponitur, vt dubium nullum esse possit, quin Monarchia Græcorum notetur. Quod autem hircus iste Danieli visus non aliò nisi ad Regem Græcorum referri posit aut debeat, confirmat etiam Iosephi testimonium, quo libro vndecimo, capite vltimo scribit, Sacerdotes Iudaicos narrasse Alexandro hoc Danielis vaticinium, quòd ante annos ducentos ediderat, fore nimirum, vt Rex Græcorum Imperio Persico potiretur. Vnde haud dubiè motus Alexander, Pontificem summū reuerenter tractauit, & Hierosolymam ingressus Deo Israëlis supplex factus est, & sacrificium obtulit.

Etsi autem Alexander nec totum terrarum orbem domuit, nec imperium diuturnum habuit: tamen verè factus est Monarcha, hoc est, dominus & victor orbis, &

terror

error omnium gentium: Vel vt Daniel ait, mperauit vniuersæ terræ. Nec æreum propterea nominatur à Propheta ipsius regnum, quòd infirmius aut angustius fuerit uperioribus, sed siquidem Hieronymo credimus, quod vt æs inter omnia metalla vocalius est, & clariùs tinnit, sonitusq; eius longè lateque diffunditur: sic non tam fama, potentia, & celeritate, quàm eloquentia sermonis Græci Alexandri Monarchia antecellit. Ex quo aui comparatur ille cap. 7. Danielis, quod alis quasi quibusdam subnixus ab Adriatico mari vsque ad Indicum Oceanum & Gangem fluuium, non tam prælijs, quàm victorijs percurrerit, & in sex annis partem Europæ, & omnem Asiam sibi subiugârit, vt idem Hieron. scribit.

Cæterùm, quòd mortuo Alexandro, regnum eius in quatuor partes distinctum est, nequaquam Monarchiam Græcam tollit aut minuit. Retinet enim atque tuetur nihilominus nomen suum, nec sedem aut locum mutat. Estque hæc distractio iam ante prædicta à Daniele cap. 7. cùm Pardo Alexandrum capita quatuor habenti similem facit: vt euentus cum vaticinio omni è parte cõgruat. Non igitur nouũ regnũ incoarunt sucessores Alexandri, nec nomen impe-

imperij mutarunt, neq; sedem regni transtulerunt, sed in vno eodemq; imperio duci suo successerunt, Seleucus in Syria, Ptolomæus in Ægypto, Antigonus in Asia minori, Antipater in Macedonia. Idque ipsum etiam in cap. 8. vaticinatus est Daniel, cùm inquit: Hircus caprarum res maximas gessit, cumque creuisset, fractum est cornu insigne, & orta sunt quatuor cornua in loco illius, versus quatuor ventos cœli. Vbi valdè concinna est Theodoreti interpretatio, qui ait Alexandrum propter celeritatem agilitatemq; appellari hircum. Apertum est autem manifestumq;, conuenientiam vaticinij & rei siue euentus firmam, fixam, & in perpetuum ratam esse habendam. Non igitur video, quomodo, aut cur de tertia Monarchia Alexandri & successorum eius quisquam dubitare posit.

Superest de quarta Monarchia Romanorum, & quæ nunc Germanorum est propria, difficilior magisq; operosa explicatio: vt vadũ scopulumq; iam appulsa omnino videatur oratio, vnde vix posit emergere. Intelligo enim non nunc primùm hanc à Ioanne Bodino in contentione poni, sed iam olim quoque à Iudæis ipsis in controuersiam disceptationemq; vocatam esse.

Sic

Sic enim scribit Theodoretus oratione septima in Danielem: Ego, in præsenti omissa Iudæorum accusatione, vehementer admiror quosdam pietatis magistros quartam bestiam vocasse regnum Macedonicum. Oportuit enim ipsos primùm considerare tertiam bestiam quatuor habuisse capita, quod apertè indicabat post Alexandri obitum quadripartitam regni diuisionem. Iccirco non tam Ioanni Bodino oculato, quàm cæcis & pertinacibus Iudæis satisfaciendum mihi hoc loco perspicio. Verùm benè se res habet: iacta sunt iam tum fundamenta confirmationis in Daniele, quæ si tenuero & explicauero, nihil erit quod desideretur amplius. Sic, ergo ait Daniel, regnum quartum erit forte sicut ferrum. Et in capite 7. Bestia quarta erat terribilis & horrenda. Vtrobique audis quidem de numero, sed nomen tamen nullum exprimitur. Quod si vel in hoc cõtextu, vel in alio quodã loco scripturæ extaret, minùs laborarẽ. Vnde igitur constat, quartũ regnum esse Romanũ? Hic inprimis cũ Theodoreto respondeo, nomen Romanorum iccirco reticeri, quòd hæc Monarchia non ex vna, sed ex plurimis nationibus constituta est. Non enim Imperatores Romani, vt in superio-

perioribus Monarchijs, ex vna natione, gente aut familia orti sunt, sed augustum illud Imperij decus, ad homines dispari conditione, ex diuersissimis nationibus, admirabili commutatione atque vicissitudine translatum est. Cúm vix sexaginta nouem annos stetisset Romana Monarchia, deficiebat Cæsarum progenies, & extincto Nerone, succesio Imperij in alias familias transferebatur. Ac Traianus quidẽ primus ex peregrinis extra Italiam, in Hispania natus, Imperij dignitatem consecutus est. Post eum nunc ex Pannonia, nunc ex Dacia, nunc ex Dardania, nunc ex Dalmatia, nunc ex Gallia, nunc ex Thracia, nunc ex Cappadocia Imperatores delecti sunt, donec tandem ad Germanos hoc tantum Imperij fastigium peruenit. Non ergo nominis Romani neglectio, aut prætermisio in Danielis vaticinio tantum obest, vt propterea res ipsa, hoc est, Imperium siue Monarchia Romana negari possit. Solent enim Prophetæ sæpenumero vocabula rerum propria supprimere, & imaginibus quibusdam pingere, aut periphrasi ita describere aliquid, vt nihil ominus, quid velint, cognosci certò posit.

Videamus igitur, si placet, singulas

huius περιφράσεως regni quarti partes, vt quam aptè ad imperium Romanum conueniant, liquidò iudicari posſit.

Primùm ait, regnum quartum eſſe forte vt ferrum. Deinde pedes & digitos pedum eſſe mixtos ſiue conflatos ex luto & ferro. Tum venturum in hoc ipſo regno Meſsiam in carnem ad incoandum ſpiritaule regnum æternum, tandemq́ue aduentu ſuo glorioſo ad iudicium in extremo die, deleturum eſſe omnia regna mundi.

Iam cùm ferro quonam modo Romanum Imperium congruit? Ferrum equidem robore & duricie omnia metalla ſuperat. Sic Monarchiæ Romanæ robur & maieſtas inuicta hactenus, inde vſq; à Græcorum Imperio manet, ſuperioraq́; regna firmitudine & perpetuitate longè vincit. Anteuertit enim & anticipauit natiuitatē Chriſti, & nunc in ſenecta mundi ad ruinam inclinati eiuſdē expectat ad iudicandum mortuos & viuos reditum. Nec profectò alia cauſa eſt, cur veteres Romani ferreos annulos in manibus geſtârint, & in hodiernum vſque diem Cæſaribus ferrea corona imponatur, niſi vt ferrei regni prædicti, à Daniele, nomen decusque retineatur. Eſt igitur ferrea hæc Monarchia, quia

tanto tempore ſtetit, nec frangi aut tolli penitus ab vllo hactenus potuit, nec abolebitur etiam in poſterum. Id enim rectè ferreum dicimus, quod robuſtum, durum, ſolidum, inuictumq́; eſt. Ex quo etiam ferreos & Adamantinos dicimus eos, quorum infractæ vires ad tempus longiùs perſeuerant.

Si cui verò inconueniens eſſe videtur, poſtremæ Monarchiæ longius tẽporis aut durationis ſpacium tribuere, quàm ſuperioribus, aureæ, argenteæ & æreæ: Iccirco quia naturale eſt, vt quo quidque ab origine abeſt propius, eò ſit melius, conſtantius & durabilius: is non tam quid ratio probet, quàm quid ſanctum Dei verbum pronunciet, ſpectet. Sic eſt patefactum per Danielem Dei decretum, vt quarta Monarchia hoſpitium naſcenti Meſsiæ præbeat, eumq́; venientem in nubibus ad iudicandum viuos & mortuos excipiat. Vtrumq; igitur cõpleri oportet, & cũ initio huius Monarchiæ natus ſit noſter Meſsias, certũ eſt ſtare eã vſq; ad reditum eius ad vniuerſale iudiciũ oportere.

Eſtque dulcis harmonia ſiue conſenſus vaticinij Danielis & Epiſtolæ ad Hebræos. Quod enim de quarta Monarchia

vaticinatus est Daniel, quòd in ea nasciturus esset Christus, & æternum regnum incoaturus: id eodem modo de his vltimis temporibus affirmat Epistola ad Hebræos, cum ait: In extremis diebus hisce locutus est nobis Deus per filium. Eandem phrasin imitatus est Gregorius Nazianzenus oratione secunda in Pascha, inquiens: In fine seculorum Christi passio contigit. Idem igitur sunt prorsus quartum Danielis regnum, & extrema tempora Epistolæ ad Ebræos. Nec possumus saltem fingere alia tēpora extrema, quàm quæ suppeditat hæc ipsa nobis quarta Monarchia, vtpote in qua verè locutus est Deus nobis per filium, hominem factum. Cumque hæc ipsa tempora adhuc durent, & duratura sint vsq; ad reditum Christi Iudicis gloriosum: dubium nullum est, quin etiam quarta Monarchia maneat, & mansura sit vsque ad destructionem vniuersalem omnium regnorum mundi per aduentum filij Dei ad iudicium.

Altera pars periphraseos Romanæ Monarchiæ de pedibus & digitis ex ferro & luto mixtis, etsi difficultatis aliquid habere videtur: tamē ex interpretatione ipsius Prophætæ, & collatione euentus, cognosci

liqui-

liquidò poterit. Interpretatur autem Daniel diuersitatem pedum & digitorum de diuisione regni: & lutum quidem de imbecillitate, ferrum verò de robore seu potentia. Non igitur vniusmodi, aut eiusdem potentiæ perpetuò debuit esse quarta Monarchia, sed diuisa, ita vt aliàs plus, aliàs minus virium haberet. Idq; ipsa etiam ferri natura nos docet, vtpote quòd rubigine scabra alicubi eroditur, & exeditur. Lutum verò inprimis fragile est & caducum. Quocirca minimè ex æquabilitate, aut constantia fortunæ, seu virium hoc quartum regnum est æstimandum: sed diuisum est, distractum, & vix cohæret, sicut difficulter cohærent omnia, quæ ex diuersus rebus, οὐκ εὐδιαφέτοις, secundum Aristotelem, miscentur. Perinde ac si ollam quis ex ferri & luti massa fingere velit, opus haud stabile aut firmum efficit.

Interim tamen hoc non est negligendum, quod Daniel addit: Regnum hoc, quantumuis diuisum, & ex ferro lutoque conflatũ, de ferri robore oriri. Quod cùm ita sit, satis manifestum est, fundamentum siue radicem, vt sic dicam, regni huius esse firmam ac solidã, ita vt euelli aut extirpare penit⁹ nõ posſit, ante πανολεθείαν

illam siue vniuersalem regnorum mundi deletionem. Ex hac Prophetæ ipsius interpretatione elucet inprimis illud, quòd gemina sit forma seu facies Imperij Romani, ferrea & lutea, siue potens, & contrita seu infirma. Id cùm res euentusque clarissimè demonstret, nemo de veritate & conuenientia Imperij Romani & prædictionis Danielis dubitare potest. Ac nisi historiæ in medio essent, & notæ omnibus, longa narratione nunc planum hoc faciendum mihi putarem, quomodo diuisum siue distractum sit Imperium Romanum, & quomodo aliâs floruerit armatum potentia, & Maiestate magna, aliâs ita debilitatum sit, vt nisi à planta ferrea pependisset, vniuersum iamdudum concidisset & euanuisset.

Estque admiratione omnium hominum dignissima vicissitudo ista in regno quarto, qualis non in vlla alia historia reperitur. Nam præterquam, quòd Imperatores plurimi nefariè trucidati sunt, vt sanguine penè maduisse videatur Imperium Romanum: varijs etiam casibus siue telis fortunæ propositum fuit. Vix anni abierant à Christo nato 162. cum duos Augustos simul habere cœpit Imperium Romanum

manum, Antoninum Philosophum, & Lucium Aurelium Verum. Deinde interfecto Maximino, peste & horribili bestia Reipublicæ, duo Gordiani, pater & filius simul imperarunt, & post eos satis longo tempore duo identidem Imperij consortes exiterunt. Sub Gallo verò & Volusiano Imperatore exteris & barbaris gentibus, tributum etiam annuum populus Romanus pendere coactus est. Non multò post Valerianus à Sapore Persarum Rege victus, in seruitutem perpetuam datus est, & scabelli locus habitus, quo nixus Sapores equum conscendit. Mox sub Gallieno inuenti sunt tyranni triginta, qui Imperium inuaserunt, & pro Imperatoribus sese gesserunt. Sic miserè scissum & laceratum est Imperium, & de gradu fastigioq; Maiestatis deiectum: vt veritas vaticinij Danielis omnie parte comprobetur, & lutum cum ferro mixtum palam conspiciatur.

Ferreum erat verè Imperium Romanũ, cum Augustus totius orbis censum ageret. Ex quo satis fuit perspicuũ, esse illum orbis terrę dominum & Monarchã, cui omnes populi nationesq; parerent. Sed interuallo nõ longo post cœpit esse luteũ, dũ vires eius paulatim fractæ sunt, & diminuta potẽtia.

Ac si quis fortè ex Imperatorum hactenus enumeratorum historia minùs respicit, quàm miserè & crudeliter laceratum sit, siue vt verbo Prophetico vtar, diuisum Romanum regnum, is vel ex solius Constantini Magni rebus cognoscere poterit. Fuit enim ille potens quidem, felix, & augustus Imperator, victor & triumphator, vt tanquam lumen aliquod Imperij Romani eluxerit, & tamen sub hoc ipso Imperium Romanum inter quatuor Principes diuisum est. Nec multò post extinctis collegis atque hostibus, solus Constantinus Imperium obtinuit. Post eum tres filij rerum summa potiti sunt, Constantinus, Constantius, & Constans: tandemq; ad vnum Constantium iterum imperatoria Maiestas delata est. Neq; id solum *in historia* Constantini Magni admiratione dignum est, quod vnum idemq; imperium in Imperatores, tanquam in membra distractum est, sed admirabilius est multò, quod sedem ipsam huius regni ab Occidente in Orientē ille transtulit: dum Roma relicta, Constantinopolim Imperij sedem & domicilium constituit, quam nouam Romam etiam vocauit. Hîc si diuisum regnū neges, haud sanè scio, quid-

nam

nam diuisum esse dicas. Non solùm inter ipsos Imperatores tot, vno tempore distractum est regnum, sed loci etiam ipsius mutatio facta, vt penè euanuisse præclarã illam orbis terræ dominam Romam, cum suo Imperio Romano existimes. A qua quidem opinione nec ipse prorsus alienum animum haberem, nisi prædictionis Propheticæ autoritas me retraheret. Cum enim nominet diuisum regnum, non aliud fingere vllum nobis licet, præter vnicum illud, quod quartum appellauit: quantumuis etiam in partes multò plures scinderetur. Cohærent enim natura partes cum suo toto, & membra pendent à corpore. Quapropter diuisio nulla tanta potest, vt Imperij Romani corpus penitus adimat.

Videas eiusdem diuisionis viua etiam exempla in consequentibus Imperatoribus, quorum alij Occidenti, alij verò Orienti præfuerunt, non obstante vllo propinquitatis aut cognationis iure. Sed mãsit nihil ominus Imperij robur sub Theodosio, quod omnibus gentibus formidini atque terrori fuit. Post illum verò mox imperante Theodosio iuniore, debilitari eius potentia cepit, cum annis 400. totis

Italia partim hostium metu perculsa est, partim armis externis oppressa: ac Roma ipsa victrix & domina orbis à Gothis, duce Alaricho, capta est. Steterat autem Monarchia Romana annos 456. cum in hostium potestatem vrbs redacta est, & seruitutem miseram seruire coacta. Hîc iterum vides lutum ex altera Imperij Romani parte, dum nihilominus ex altera, nimirum in Oriente, ferrum eminuit.

Sed hæc ipsa facies imperij Occidentalis, quamuis squalida sit & lutosa siue luctuosa penitus, tamen deformior & tristior multò redditur sub sequentibus quibusdam Imperatoribus. Nam Maximo imperante, Gensericus Vandalorum Rex precibus & promissis multis inuitatus ab Eudoxia, Romam non solùm opibus, sed etiam ornamentis Imperialibus omnibus spoliauit, eaq; secum in Africam abduxit. Hîc siquidem Onuphrium audimus, parum abfuit, quin Occidentis Imperij nomen & Maiestas omnis extincta sit, & tamen in hoc ipso luto de robore ferri aliquid reliquum Deus fecit. Quamuis tandem Occidentale Imperium prorsus desierit, dum barbaris & peregrinis diripiendum & inflammandum est relictum.

Quo

Quo sanè mirari magis fatum conuenit, quod nomen etiam ipsum Augusti quasi exaruerit, dum nō amplius Augustum sed Augustulum Imperatorem Occidens habuit, & nō solùm in Italia, sed in Gallia etiam Romanum Imperium defecit, vt iam neq; rem, neq; nomen Imperij Occidentalis agnoscas. Verè igitur tūc in luto adhæsit hoc præclarum Imperium, & re euentuq; vaticinium Danielis comprobauit. Nec tamen interea ferrum planè desijt, sed in Oriente clarè emicuit. Vnde etiam Imperante Iustiniano, anno 537. à Monarchiæ Romanæ initio, iterum erupit, & vim suam potentiamq; longè lateq; diffudit. Nam & Carthago Vandalis erepta in Romanorum potestatem redacta est. Et Roma ipsa depulsis Gothis recuperata, & Romanis denuò subiecta est. Quo facto respirare atque colligere sese Imperium Romanum insigniter cœpit, adeò, vt ipsemet Iustinianus scribat, tertiā partem totius orbis tunc sibi accreuisse.

Etsi autem verè ferreum tunc Imperium Romanum videri potuit, cum deuictis omnib9 exteris & peregrinis, suum decus & robur recuperauit: tamē nō longè post iterū Italia à Lōgobardis occupata est, excusso

omni

omni Orientalis Imperij præsidio, mansitq; in eorum potestate annis 206. sed Roma tamen potiti non sunt Longobardi. Quo tempore iterum Occidentis Imperium luto quàm ferro fuit similis, donec anno Christi 800. Monarchiæ verò Romanæ 846. Carolus Magnus Rex Francicus, Imperator Romanus & augustus Romæ certis plausibus, & approbatione insigni totius populi salutatus est. Hoc enim duce & autore Romani imperij robur reparatum est; & lutum denuò in ferrum mutatum, vt hac ipsa vicissitudine veritas prædictionis Propheticæ palàm confirmaretur.

Quanquam autem à Germano Francorum sanguine, vt Meyerus ait, ortus est hic Carolus: tamen Imperator & augustus dicitur, non ob Francicum regnum, sed ob Romanum imperium, quod legitimo consensu Pontificis Romani, & Imperij Græci ad eum translatum est. Hîc iterum fortunæ conuersio, vel potius vicissitudo magna conspicitur. Dum enim imperium Occidentis instauratur, & ferri vim recipit, ex altera parte, Orientis scilicet, inclinatio ingens fieri incipit: dum in Asia incredibili penè successu Sarracenorum

tum aucta est potentia, adeò vt Palæstinã, Syriam, Arabiam, Mesopotamiam, & bonam Asiæ partem, tum Africam etiam ipsam littoralem ad montem Atlantẽ vsq; occupârunt, & duobus regnis constituis, vno in Ægypto, altero in Babylone, Monarchiam quasi quandam nouam introducere conati sunt. Quod sanè quid aliud est, quàm idipsum quod Daniel ait, regnum quartum ex parte contritum fore? quid enim est conteri siue atteri, si hoc non est, quando de corpore tot membra auelluntur, atq; adeò in corpus ipsum sæuitur?

Est etiam cap. 7. Danielis hoc ipsum vaticinium, quamuis commutatis verbis atque figuris repetitum. Cum enim dixisset Propheta, decem cornua esse quartæ bestiæ, hoc est, regna complecti multa; vt mos est scripturę sanctæ, decimum numerum pro magno vsurpare: mox addit prophetiam de hoc Mahometico regno, quod sub Heraclio auspicijs non bonis cœptum est, & Romanum regnum, Ecclesiamque affligit, donec ad iudiciũ venerit Christus.

Vt autem in Orientis imperio inclinatio ad lutum ingens facta est hoc tempore: sic contra in Occidente ferri instar inuictum fuit imperium. Nam Henricus & Otto-

Ottones Imperatores atq; Augusti, translatum à Francis ad se Imperij decus, nõ solùm retinuerunt, sed strenuè etiam auxerunt, fueruntq; verè ferrei, hoc est, inuicti custodes & propugnatores pacis, iustitiæ, atq; etiam religionis. De Henrico .n. memorant Historici, quòd omnes gentes & Reges illum venerati sint. Ottonum verò virtutem & felicitatẽ diuinam quis ignorat? Quid dicam de Henrico quarto, q̊ nemo cum hostè sæpius collatis signis conflixit, vtpote qui bis & sexagies cùm gentib' ferocißimis dimicauit? Neq; verò translatio ista Imperij à Francis ad Saxones dignitatem Imperii vllo modo mutauit aut minuit. Mansit .n. immota Imperij Maiestas, nomen & sceptrum, quamuis ad alias familias peruenerit. Cunradus Franconiæ dux moriturus misit Henrico Saxoni omnia Imperij insignia, sceptrũ, coronã, & cætera ornamenta, autorq; fuit Imperij ꝓceribus, vt per legitima sua suffragia illum Imperatorẽ eligerent. Ottonẽ Magnum coronauit Hildebertus Archiepis. Mogunt. tradito illi gladio Imperiali & baltheo, vt de natiuo & genuino Imp. Rom. dubitare fas non sit, quin illud ipsum fuerit, quod hi Imperatores heroici gesserunt.

Vt

Vt autem nulla felicitas humana est perpetua: sic nec ista Occidentis potentia fuit diuturna. Nam Vuenceslao imperante penè omnis eius gloria tanquã flos decidit. Ex quo querelæ graues natæ sunt, quod de potente illo & venerando quondam gentibus & Regibus Rom. Imp. præfigurato in tibijs ferreis, cui olim nihil defuerit, nisi modicum Orientis, tunc nihil relictum sit, nisi modicum Occidentis.

Spero cognosci ex hac commonefactione vices illas regni quarti, quas imagine ferri & luti Propheta prædicit: nec dubito diuisionem regni huius, omnemque eius fortunam florentem pariter atq; inclinatam sic esse demonstratam, vt vberiore aut euidentiori declaratione minimè sit opus. Cùm itaque & hæc secunda nota quartæ Monarchiæ à Daniele posita, ad Romanum Imperium omni ex parte congruat: nemo negare potest, quin verè hoc ipsum regnum, cuius reliquias miseras & afflictas persequimur, quartum regnum à Propheta nominetur.

Sed superest nota tertia, quæ clarissimè omnium Romanũ Imperium nobis cõfirmabit. Sic .n. inquit Daniel: In dieb⁹ illis, scilicet quartæ Monarchię, suscitabit Deus

coeli

cœli regnum, quod in æternum non destruetur, & regnum hoc alteri populo non tradetur. Comminuet autem & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Quid aliud hæc verba volunt, quàm Christi æternum regnum innuere? Est autem duplex huius regni tempus notatum. Prius quidem in his terris, stante imperio mundi vltimo, quando scilicet Christus in carnem venit, & regnum suum per verbi ministerium ac donũ Spiritus sancti palàm incoauit. Id enim vocat Daniel suscitare regnum æternum. Posterius verò in finali iudicio incipiet, cùm venerit filius Dei cum potestate magna, & omnia regna mundi abolebit, nouumq; regnum cœleste instituet. De hoc enim regno ait Propheta, quòd comminuturum sit & consumturum vniuersa regna mundi. Itaq; aliter quàm de iudicio extremo filij Dei intelligi non potest. Iam in memoriam redi, & principium connecte cum fine: In diebus illis, inquit, istud regnum æternum suscitabitur: & sequi inde sine cuiusquã contradictione intelliges, quòd & vltima hæc sit Monarchia quarta, & quòd in nullum aliud regnum in terris, quàm in Romanum hæc prædictio con-

ueniat. In hoc enim æternum Christi regnũ cepit, & in eodem etiam nunc finem mundi, per gloriosum Christi aduentum ad iudicium assiduis votis expectamus. Fuit enim verè hoc consiliũ Dei, vt per hæc quatuor regna tempus Messiæ nascituri, & eiusdem ad iudicium redituri nobis prædiceret. Vt igitur nascentem Christũ monstrauit. Augusti census per totum terrarum orbem in initio Monarchiæ quartæ: ita aduentum Christi ad iudicium nunc ostendit vel potius portendit eiusdẽ imperij ad præcipitem ruinam inclinatio, vt dubium nobis esse nullum posit, quin breui consumturus sit Christus omnia mundana regna per illustrem & lætum suum ad nos in gloria & maiestate summa reditum. Est enim ita eneruatum, accisum, attritũ, debilitatum, & in angustias tantas redactum hoc Imperium Romanũ, vt vix modicum Occidentis retineat. Veni ergo IESV CHRISTE, & abolitis hisce mundanis omnibus ex hoc luto siue luctu & squalore in cœleste tuum & æternum regnum, luce, læticia & beatitudine affluens nos recipe.

HÆC ad euertendum interpolatum Ioannis Bodini errorem satis esse existimo,

nec rationibus aut argumentis alijs opus esse. Non enim argumentis contendendum est, humano ingenio excogitatis, vbi diuina dominatur & sufficit autoritas, & rei ipsius siue euentus adstipulatur veritas. Possem quidem autoribus adhoc confirmandum vti grauissimis, Hieronymo, Augustino, Theodoreto, Lyra, atque adeo totius antiquitatis consensu, sed plus valeat apud nos Prophetæ non ambiguum neque obscurum, sed expressum & experiẽtia ipsa stabilitum testimonium. Quod si secutus esset in sua methodo historica Ioannes Bodinus, minùs in dubitationem atque errorem raptus esset. Sed dum relictis vel certè non satis consideratis scripturæ verbis, cæcorum Magistrorum Iudæorum interpretationi assentiri mauult, fieri non potest, quin in easdem erroris tenebras cũ illis incidat. Non. n. defuerunt ante Theodoretũ etiam, qui regnum ferreũ ad Alexandrum Macedonem accõmodarunt & pedes pedumq; digitos ex ferro & testa compositos, ad eius successores. Sed hi inquit Theodor. ne numerũ quidẽ regnorũ & tẽpora à Daniele mõstrata assecuti sunt, sed toto cœlo, quod aiunt, aberrarunt.

Vetus est hoc artificium Iudæorum, vel poti-


potius elusio, atq; deprauatio scripturæ, vt omnia quæ de Christo, aut eius spirituali regno dicuntur, in politicũ sensum transforment: quia aliud sentire aut scribere de Christi regno æterno non possunt: dum conceptis opinionibus suis. & iam penitus inueterato errori indulgent, nullũ alium Christum præter politicum fingentes. Iccirco malunt omnia testimonia de spirituali regno Mesiæ eludere & peruertere, quàm vt hoc perniciosum somnium sibi patiantur eripi. Etiam Hieron. ait, Iudæi & impius Porphyrius, omnia hæc Danielis verba ad populũ Israêlis malè referunt. Valeant igitur cũ impio suo somnio Iudæi nec peruersa eorum & nubilosa contradictio, aut scripturæ interpretatio perspicuum doctrinæ Propheticæ sensum obscuret, aut ambiguum reddat.

Absit etiam, vt vel leuitate vel petulantia ingenij, aut plures Monarchias fingamus, quã exprессè ponit Dan. aut ꝓpter infirmitatẽ Imperio Rom titulũ 4. regni aut Monarchiæ denegemus: ne & Deo, autori istius vaticinij, & experiẽtiæ ipsi reclamare videamur. Sit potẽtior Princeps Æthiop. sit Rex Regũ & dñs dominantiũ Geog magnus Tartarus Chã, teneat Rex Hispan. Impe-

rium maius aut amplius Romano siue Germanico: non tamen propterea est Imperator seu Monarcha Romanus à Daniele prædictus. Desinat ergo obijcere nobis Ioannes Bodinus, vel Tartari, vel Æthiopis, vel Arabum, vel Galli etiam imperium, nec tam spectet quid amplum sit aut magnificum in mundo, quàm quid cum vaticinio Prophetico cõgruat. Non .n. fas est nobis, vlli Regi appellationẽ regni aut Monarchiæ quartę tribuere, nisi cui diuina assignat Autoritas. In alijs, quæ rationi aut intelligentiæ subiecta sunt, vti licet humano iudicio, quanto quisque potest: (quanquam ne id quidem extra præscriptas in quaque disciplina aut scientia regulas.) In vaticinio autem isto Prophetico verbum duntaxat valet, præsertim cùm illud omni è parte nunc comprobârit euentus.

Ita error est Ioannis Bodini verus & quidem detestabilis, si seriò, refellendus verò, si, vt quidam opinantur, ingenij, vel vt ego suspicor, Iudæorum causa simulatè contra Monarchias disputauit. Verùm mala & impia consuetudo est contra Deũ aut diuinũ ipsius verbũ disputandi, siue ex animo id sit, siue simulatè. Et oportet nos Christianos non incerta spe duci, aut pendere

dereanimis,cũ de diuino verbo agimus: Sed persuasum hoc penitus nobis habeamus. Christi nostri natiuitatem aptè cum Danielis prophetia congruere, & in quartam Monarchiam incidisse. Cumque hæc pars vaticinij Danielis certò euenerit: certi sumus euenturum etiam alterum, vt in nubibus venientem filium Dei videamus, ad liberandum nos ab omni luto & cœno, in quo miserè hæremus atque luctamur: stante adhuc eo ipso ordine imperiorum, quem prædixit Daniel, nempe in Monarchia quarta & vltima. Idque vt quàm primum fiat, votis, suspirijs & gemitibus asiduis te oramus, fili Dei Iesu Christe, quo in regnum illud tuum æternum & perbeatum, lætitia, & luce abundans traducamur, & re factoq; summa vaticinij atque promissi tui compleatur.




Oratio XII.

DE PONTIFICIIS INSIDIIS PER GERMANIAM: *Anno Christi, 1584.*

IN omnibus bene constitutis Rebuspub. concessa fuit Oratoribus libertas dicendi de rebus ad patriæ vsum salutemque spectantibus: si quando commune aliquod impendere periculum est visum, aut deliberatio grauis incidit. Tantumq́; abest, vt talis libertas Rerumpub. moderatores offenderit, vt etiam cuiuis pecuniæ anteferendam esse cẽsuerit Demosthenes eorum copiam, qui sententias dicant, aut de imminentibus incommodis vtiliter admoneant.

Est autem ea dignitas atque præstantia communis nostræ patriæ Germaniæ, vt summa, ex omnibus in orbe terræ regnis, Resp. iure & meritò omni possit nominari. Retinet enim ornamenta antiqua honoris, monumenta gloriæ, insignia laudis Romani Imperij. Quibus alia accesserunt decora inæstimabili beneficio Dei tributa, legum sanctitas, religionis puritas, artiũ omniũ ac dicendi scribendiq́;

La-

Latinè, Græcè, Hebraicè vis atq; facultas. Quæ certè singula vix olim florentissimis Rebuspub. concessa, nunc vniuersa in Germaniam infusa atque diuinitus ei donata videntur. Talis ergo cùm patria nostra Germania sit: minimè committendum est, vt cum suppeditata ea sint omnia, quæ iusta imperij, præclaraque Reipub. forma requirit, vna libertas Oratoribus conueniens ademta esse aut imminuta videatur.

Mihi verò, qui in Oratorum numero neque me pono, neque in eorum loco duci ab alijs possum, quæ tandem venia excusationis debetur? An non tacentibus tot vsu peritis, doctrina instructis & eloquentia, autoritateque excellentibus, audacissimus sum omnium? Minimè verò. Ingenuitatis enim laudem consector, audaciæ verò, temeritatis, & importunitatis crimen vito. Neque etiam Ciceroni credimus, audaciæ nomen habere potest is, sed fortitudinis potiùs, qui non sua cupiditate, sed communi vtilitate ad suscipiendum aliquid impellitur. Quod autē ego sentiens scribo, idē alij vel potius boni omnes, & communis salutis cupiditate ardentes, tacitè cogitantes sentiunt, ac si liceat, profiteri etiam & voce exprimere gestiunt.

Quid igitur eſt, quod tantopere nos vrget & impellit, vt querelas iuſtas deploremus. Abſit vt Cæſaream Maieſtatem ſuſpiciosè arguamus, nec eſt quod Principes Electores, aut vllos Imperij proceres inſimulemus. Per Cæſaream enim Maieſtatem, & Principum noſtrorum clementiam, pace nobis cōmoda frui licet, nec inſidiarum, fraudis, & violentiæ metu vllo angimur. Sed alius eſt qui procul à finibus Germaniæ ad Tyberim dominatur, & autoritatem tamen, imperiumque aliquod in nos, neſcio quo iure, ſibi arrogat. Etſi enim hebeſcere in Germania retuſam excommunicationis aciem, qua antea promiſcuè in Imperatores, Principes & optimos quoſque vſus eſt, ſatis animaduertit: identidem tamen pontificium ſuum fulmen oſtentat, gladiumque Apoſtolicum vibrat, vt nonnullum in nos periculum ab eo impendere experiamur. At ferre quidem corporis aut fortunarum iacturam graue eſt: ſed grauius multò cœleſtib. bonis Chriſti ſanguine & morte partis ſpoliari. Quomodo enim participes fieri bonorū Chriſti poſſumus, niſi lucem verbi diuini hoc ſeculo oblatam amplectamur, libereque profiteamur? Nec magiſtratus

etiam eſt noſter Pontifex: dum nulla ad eum poteſtas à Deo translata eſt. Non enim caput aliud imperium hoc agnoſcit, præter id cui ſeipſum commiſit, ipſius Dei conceſſu ac munere ſibi tributum eſſe intelligit, nempe Maieſtatem Cæſaream, in cuius ſalute omnia ſua cõmoda, poſt Deum immortalem ſita eſſe fatetur. Cùm itaque ius poteſtatemq́ue imperandi nobis nullã Pontifex habeat: quid eſt, quod vel promiſsionem Euangelij in aliena Repub. impedire conetur, vel ab alijs vim religionis prætextu intentatam probet.

Ac vt excuſatum eſſe Pontificem Romanum maximè cupiamus, vtpote qui nec ſedibus nec fortunis quenquam eijciat, nec dominatum etiam vllum in Germania occupet: tamen Ius põtificium vehementer reclamat, & vim excuſationis omnem redarguit. In medio eſt impia vox & Sathanæ furore plena, quæ affirmat omnes Chriſtianos de ſalutis neceſſitate Romano Pontifici ſubeſſe. Hîc nullus magiſtratus excipitur, quin Papæ imperium agnoſcat, & ſubiectum ſe illi fateatur. Nec veretur gloriari, vtrumque ſibi gladium deberi, adeo vt omnes iudicet, ipſe verò iudicetur à nemine. An non hoc

est extollere sese suprà omnem magistratum, & supremum dominatum sibi vendicare? Cohorresco pectore toto, quoties lego contumeliosissimam illam similitudinem, qua Cæsaream Maiestatem facit serram, quæ per se sit iners & inutile instrumentum, nisi à Papa trahatur. Quæ, obsecro est contumelia magistratus, quem adeo euehit & ornat Deus, vt Deum vocet, si hæc non est? Si vllus hæreticorum vnquam isto pacto Cæsaream Maiestatem extenuasset, & deformasset, an non iure omni explodendum omnes censeremus? Non vtique serram dici Cæsaream Maiestatem patimur, sed vicarium Dei agnoscimus, sanctum & inuiolabilem iudicamus Augustum, hoc est à Deo electum & coronatum putamus. Nec serra simile hoc imperium facimus, sed caput orbis à Deo ordinatum, templum sanctitatis, sedem religionis, aram disciplinarum & artium, asylum iuris, portum nationum & gentium dicimus. Qui itaq; dominatum Pontificis Rom. negare volet, Pontificium ius neget oportet.

Quod verò talis dominatio, quàm ius pontificium ingenti errore fingit, re etiam dies & noctes quæratur ac paretur: faces arden

ardentes quæ in Germaniam, & vicina regna iactantur, satis indicant. Quæ mala, quæ fulmina, quæ clades non struuntur his, qui decretis Pōtificijs parere recusant? Certè Reges Principes, Magistratus ad exequendum religionis pontificiæ dogmata inflammantur, sæuientesq; in sua vi cera contra datam fidem, scelere omni & maleficio soluuntur. An non hoc est tyrannidem vsurpare & religionis sanctitatisque prætextu, veram religionem, sanctitatem, ius fas omne peruertere? Testis est Gallia quæ lanienam tot innocentium & benè meritorum virorum experta est. Hæc quibus alijs autoribus, atque impulsoribus, nisi furijs Pontificijs suscepta atque perfecta est? Testis est locuples inferior Germania: quæ tot annos bella, iniurias, cædes, direptiones, incendia, & omnē mali ideā, vt Thucydides vocat, sustinuit. Nuper verò etiā Antuerpia sæuitiā & immanitatē plus quàm Turcicā, sed frustra tamen tentatā à ceruicib. suis repulit, & vix ingenti Dei benignitate, ꝑtecta euasit. An nō ex eodē fonte perfidia tāta ꝑfecta est? Nullū est scelus, nulla imꝓbitas, nullū periuriū, aut peccatū tantū, cui nō veniā & impunitatē polliceatur ac det Ius pontif. si in Christianos eos,

quos hæreticus Pontifex Rom. appellat, suscipiatur.

Quanquam autem externa hæc sunt quæ attigi, nihilominus tamen quò absunt à nobis propius, eò commouere nos magis debent, ac flectere ad misericordiam: iccirco quia eadem in nos quotidie impendent pericula, nisi Deus pro sua clementia auerterit. In imperio ipso quid geratur oculis nostris cernimus. Sparguntur non obscurè, ciuilium defensionum atq; intestinorum bellorum semina in pluribus Germaniæ locis: dum ciues propter Euangelicæ religionis professionem *vel* sedibus & fortunis pelluntur, vel in periculo vitæ ac bonorum versantur. Testes sunt ita positi in promptu, vt res disputatione non egeat. Alios metus coërcet, & amplecti lucem veritatis atque doctrinæ religionis prohibet. Qui quidem metus quàm sit impius, Deo inuisus, & æterni saluti animæ & corporis inimicus, facilè omnes intelligimus. An non verò tolerabilius est corporis aut bonorum facere iacturam, quàm æternæ salutis spe omni frustrari? Hæc certè vis est & Tyrannis, non Imperij modò Romani libertate indigna, sed Christianis etiam nimis acerba atq; perniciosa. At-

Atque hæc quidem vix tenuia ſunt initia eorum conſiliorum atque conatuum, quæ iam dudum in noſtram perniciem concepta atque meditata ſunt. Non enim in paucis tantùm, & Pontifici Rom. ſubiectis dioceſibus, ducatibus, & regionibus eiuſmodi tyrannis exercetur, ſed omni cura & cogitatione id agiturr, vt per totũ Chriſtianum orbem Tridentini concilij decreta obſeruentur, recuſantesque ijs obſequi, nõ iure aut diſceptatione, ſed vi, impreſsione, cæde, incendijs, bonorumque direptionibus euertantur atque deleantur. Ad quam quidem libidinem explendam via duplex initur. Nam & ad mutua arma Reges, Principes, Epiſcopi & quicunque autoritate aut opibus valent, incitantur, & obtruduntur Principibus & Epiſcopis emiſſarij Pontificij, Ieſuitæ, hominum genus ſanctitatis ſpecie tumeſcens & miro artificio influendi in Magnatum animos, quaſi quodam fuco pigmentisq; eruditum atque illitum. Quod enim apertè cædibus, vaſtationibus, exilij atque ſupplicijs effici minùs poteſt, id per hoſce homines aſtutè, tanquam per Cuniculos petitur. Et quó penetrare cruentus non poteſt gladius, eó peruadere peſtes illæ liber-

tatis

tatis & religionis veræ conantur. Omninò si veritati vllus est relictus locus, affirmauerim, ex inferis esse emissam hanc Pandoram, ad stabiliendã Idolomaniam pontificiam, & euertendam doctrinam Euangelij. Quemadmodum vir quispiam grauis aliquando, quid de noua illa Iesuitarum secta sentiret, interrogatus, respondit: Si licet ingenue dicere mihi quod sentio, cartæ lusoriæ persimilem illam esse dixerim, in qua Sathanas spem vincẽdi extremam collocauit. Adeò celeriter dissemina-ta est, tantoque successu in omnes oras, nationesque peruagata, vt nullum penè regnum, nullus Episcopatus ab eius contagione vacuus atque purus sit. Quin in Respub. ipsis etiam & plerorumq; potentum familiaritatem sese insinuauit. Sic ergo conceptum intra præcordia Pontificum venenum Germania in multis locis continet, & in sinu paratas sibi per tales emissarios insidias fouet. Nec ad perficiendum cædem & cladem Euangelicis iamdudum cogitatam, & tentatam, aliud quicquàm deest quàm facultas.

Quòd viuimus igitur, quòd spiramus, quòd sedes, quòd tecta, quòd Ecclesiam, quòd

quòd Euangelij professionem saluam & liberam in aliquibus partibus Germaniæ habemus, post Deum immortalem, vnicè acceptum referimus Cesariæ Maiestati, & Principibus Electoribus Imperij, qui cruenta eiusmodi consilia partim probare hactenus & exequi noluerunt, partim autoritate, fortitudine, constantia, & diuina quadam felicitate obstiterunt, ne nos tela sicę, & districti gladij iugularent. Inita sunt iamdudum contra nos fœdera, factæ conspirationes, coniectæ faces. Nec desunt classica & crebræ cohortationes, cruentæque conciones, quas non fama solùm & auditione accipimus, sed erũpere etiam in actum cernimus. Hîc si patefacere aures, & adulari se passa fuisset Maiestas Cæsarea, quæ ora, quæ regio Imperij, à tumultibus, cæde & sanguine vacua esset? Hîc profectò inuictam animi magnitudinem non minus, atque haud scio, an non multò magis, quàm in hostis externi insidijs declinandis, atque propulsandis iniurijs ostendere oportet. Talis enim hostis cum bellum minatur, commune est toti imperio periculum, & communis etiam cura defensionis. At pontificiæ furiæ non in Turcas, non in alios externos aut barbaros, sed in

in Imperij viſcera ſuis cohortationibus incitant, & vt Principes, omnesque ordines imperij à pontificia religione abhorrentes, excindantur, & è medio tollantur, laborat.

Ingens malum eſſe putabat Cicero Cõſul cum Reſpub. Romana Catilinam exitium intra mœnia molientem continebat, nec quieſcentem ſibi ducebat, priusquam peſtem illam ciuitas euomuiſſet. Et rectè quidem. Quid enim hoſti domeſtico, verſuto præſertim & callido nocentius eſſe poteſt? Non minus malum eſt, quòd Germania tot Sirenibus vel furijs potius vexatur, quæ Eccleſias, Scholas, Academias occupant, omnesque aditus ad Principes ciuitatesque comparant, vt cunctorum conſiliorum & actorum ſpectatores ſint: tum frigidam etiam aquam ſuffundant, & tanquam hæmorrhoides potentum iracundiam inflamment, vt in Tragœgia dicitur.

Nec nouum hoc eſt Pontificum Romanorum artificium, ſed ex multorum annorum hiſtoria notum. Ac vt maximè comprimatur aliquantiſper, tandem tamen in actum erumpit. Inde tot tamque graues ſunt Hiſtoricorum querelæ de Ponti-

tifi-

tificum ſcelere, fraude, magia & crudelitate, vt faces penè omnium diſsidiorum & bellorum ciuilium in imperio iure habeantur. Mittamus longinqua, videamus tantùm recentia. Teſtes ſunt ſatis locupletes túm alij complures, tum inprimis Imperator Sigiſmundus, cui hortatores & impulſores erant tot Cardinales, Epiſcopi, Monachi, vt innocentem Huſſum cum ſocio Hieronymo, ad ignis ſupplicium damnari pateretur. Paſſus eſt, ne ſchiſma, quod tunc in ore erat cunctis fieret. Crematus eſt vterq;. Sed ita vt pontificia quidem tyrannis ſtabiliretur, horrenda verò diſtractio, tumultus, & clades ingentes paſsim conſequerentur.

Crudelius multò eſt quod Vladislao Vngariæ Regi accidit, cui mortem Iulianus Cardinalis & Eugenius Pontifex ſcientes volentes attulerunt, cladeq; omnibus poſteris lugẽda Chriſtianos affecerunt: dum optimum Regem ad bellum Turcis inferendum crebris & importunis clamoribus, contra fidem iuris iurandi religione ab vtraq; parte firmatam impulerunt. Eſt enim hoc velut ſymbolum Pontificis Romani, quod in animo & ore habet perpetuò: nullam eſſe fidem hæreticis ſeruandam,

dam, nec vllum fœdus cum hostibus religionis suæ, inconsulto se factum, esse ratū. Ex hoc igitur sacro augustoq; iuris Pontificij principio, rumpi etiam & violari decennij inducias cum Turcis tunc oportuit. Etsi enim iurisiurandi seruantissimus erat Rex Vladislaus: plus tamen valuit pontificia autoritas, quæ à iureiurando eū absoluit, & Turcos inuadere coëgit.

Ac si res vlla est, quæ mouere Cæsaream Maiestatem, aliosq; Imperij proceres potest, vt animis totis, tales Pontificium instigationes execrandas & fugiendas censeant: hæc est, quæ exitum tàm tristem & lamentabilem habuit. Cum enim ad arma vtrinq; esset ventum, & ferocibus animis pugnaretur: inclinari & in fugam verti primùm acies Turcica cœpit. Hic cum penè fractus desperatione Amurathes cōspicatus esset in Christianorum exercitu imaginem crucifixi IESV, alta voce exclamauit: Crucifixe si, Deus es, vindica perfidiam istam populi tui, qui iusiurandū nomine tuo datum, tàm scelerate violat. Mox commutata fortuna, exercitus Christianorū cæsus est, Rex ipse in pugna deiectus equo, obtruncatus, & Iulianus à latrunculis in fuga necatus est. Vt documentum

mētum ſtatueretur omnibus poſteris memorabile, quodvelut è ſublimi concionás, contra pontificium Canonem teſtaretur omnibus Regibus & Principibus, non domeſticis ſolùm fidei, ſed hoſtibus etiam fidem eſſe ſeruandam. Quorſum igitur deteſtandum illud pontificium euadet elogium quòd hæreticis fidem omnem datam abnegat?

De Maximiliano I. Imperatore Auguſto quid dicam? An nō is quoq; pontificijs artibus plus quàm Sinonijs vexatus atq; fatigatus, auerſari toto animo impiam Papæ fraudem cœpit? Nec ſanè alienum eſt à vero, quod ad conſiliarium Principis Electoris Saxoniæ Degenhartum Pfeffingerū dixiſſe fertur: Se breui etiam vſurum eſſe Lutheri opera, cupere igitur, vt ſtudioſe cuſtodiretur. Vidit nimirum fortiſsimus Imperator inexplebilem eſſe Pontificum cupiditatē turbandi Eccleſiam & Rempub. nec facilè eſſe, inſidias eorū à ſuo Imperij capite ꝓpulſare. Iccircò lætatus eſt, donatū eſſe aliquādo diuinitus Imperio eiuſmodi virū, qui ad detegendum refellendūq; Pōtificis artes ſatis animi & neruorum haberet.

Venio ad Carolum V. qui fama virtutis & rerum geſtarum, totum penè ter-

rarum orbem compleuit. Quoties ille & quàm acribus scriptis concionibusque ad rumpendum fœdus, quo sanctissimè imperium constrictum tenetur, & ad profundendum Euangelicorum sanguinem incitatus est? An non Classico fuerunt similes illæ voces, quæ hortatæ sunt ad oppugnandum, & extirpandum pestiferum genus hominum, quod Euangelium profitetur? vtpote quos ne Solem quidem intueri diutius fas sit, sed quorũ vmbra ipsa polluatur terra. Nec aliò spectauit concio ea, qua ad Cæsarem conuersa oratione dixit concionator: Non posse Cæsaream Maiestatem sperare vllam salutẽ aut successum in Imperij administratione nisi cubitum totum in sanguine Lutheranorum tinxisset. Quanquam autem inuitus Cæsar laudatissimus istam belli ciuilis tubam audiuit, nec arma facilè contra innocentes sibi indui passus est: effodit tandem tamen moderatissimum illius pectus cõcionum & instigationum assiduitas, vt satisfacturum se officio suo promitteret. Veruntamen omnia prius experiri voluit, quàm ad arma veniret. Aliquoties enim colloquia, componendi causa religionis controuersias, instituit, & executionem

amplius 25. annis distulit. Nec ipsius tamen denique religionis gratia bellum se suscipere ostendit, sed ad speciem & ad vsurpationem legitimæ vindictæ rem totã adumbrauit, ad officium redigendos esse armis, dictitans, nonnullos Principes & fœderatas ciuitates, quæ edictis ipsius minùs paruissent.

Quin etiam multò ante quàm bellum est susceptum, id operam dedit, Carolus V. vt nullo modo is videri aut haberi posset, qui ob decreta in Comitijs Augustanis aduersus Hæreticos facta, vastare Germaniam cuperet. Cum enim Heldo Vicecancellario in responsione, D. Alberro Archiepiscopo Munguntino & D. Palatino Ludouico data, hæc verba excidissent: Velle Cæsarem exequi decreta religionis, etiam cum Germaniæ exitio: interpellans Carolus dixit, nequaquã se velle vastare Germaniam, quæ & patria esset, & honoris summum gradum contulisset. Atq; vtinam, vt in alijs, sic in hoc ipso etiam negotio inuictum sese ab incitationibus Pontificiorum Cæsar ille magnus præstitisset. Nihil illo laudabilius, nihil felicius absq; dubio vsq; ad finem vitæ fuisset. Verùm cum tandẽ ad bellum illud ciuile traduci

se passus esset, quamuis ex sententia confecerit, & victor euaserit: eiusmodi tamen fortuna consecuta est, vt satius fuisse videatur omninò non suscepisse. Adeo conuersis rebus post victoriam spes salutis & successus in rebus gerendis omnis euanuit.

An non illustre hoc est exemplum, ex quo documentum nos capere Deus voluit, vt & infelices esse conatus delendi veram doctrinam credamus, & Christo ipso custode & propugnatore tutam esse Ecclesiam verã, nobis persuadeamus, quantumuis ad euertendam illam omnem vim & potentiã conferant aduersarij? Quid quæso, aliud sperabant fore Pontificij? Quem alium exitum metuebant Euangelici, quàm vt victore Cæsare, victis verò fœderatis Principibus atq; ciuitatibus, ex oppidis & Regionibus, immo ex finibus humanæ naturæ exterminaretur noua religio. Verùm aliter multò visum est Deo, qui in ipsa victoria Cæsaris, & clade Euangelicorum, Euangelij doctrinam in maiorem lucẽ protulit, & planum hoc cunctis mortalibus fecit: non velle se vt armis vel opprimatur, vel defendatur Ecclesia sua. Nec ab illo vsq; tẽpore impediri vlla fraude aut

deaut arte cursus Euangelij satis potuit. Queadmodum nec adhuc retardari eum possibile est: quantumuis conspiratio ad reprimendum illum magna conflata sit: Est enim velut ignis, qui aduersarij manu cohibitus, erumpit indies magis, & in plures regiones atq; vrbes diffunditur.

Quod benè intellexisse sacratissimum Imperatorem Ferdinandum inde apparet, quòd post semel tentatum bellum prætextu politico contra religionem, nihil moliri ampliùs aduersus eandem voluit, sed pacem, spretis clamoribus & incitationibus Pontificijs, coluit. Eadem moderatione & æquitate eximia vsus est Imperator Maximilianus II. & in nostram religionem nunquam durum aut iniquum sese præbuit. Quin absque vlla dubitatione nonnullis statibus & ciuitatibus liberum eius vsum tot precibus & supplicibus literis efflagitantibus concessisset, nisi omni contentione velis, vt ita dicam, remisq; Pontificij obstitissent.

Summam rerum nunc Augustus Cæsar, Rudolphus II. administat, ijsdem vocibus aures eius vndiq; circũsonant: Caue Cæsar, hæreticis fidem serues, caue bene fi-

tij gratiæq; causa quicquam illis cõcedas, caue obsecrantium pro religionis veræ libertatete misereat, sed õnes neruos in delendis illis contende. Nihil agere neque publicè neq; priuatim potes feliciter, non Turcam repellere, nec successum vllum sperare, nisi hæresin hanc inuisam omnibus Pontificijs è medio tollas. Hìc nisi vsu percaluisset diuinitus Maiestati Cæsareæ concessa atq; rributa patientiæ, quid præter bella, cædes, lanienas, & funera reliquũ haberemus? Ab his igitur quòd vacui sumus, & tranquillitate aliqua fruimur, leges, pacta, conuenta integra habemus: is præstat solus, qui custos est Ecclesiæ suæ multò vigilãtior ad propugnandũ, quàm Pontificia cohors ad opprimendum. Is Cæsareæ Maiestatis mentem hactenus gubernauit, consilia moderatus est, & voluntatem ad studium cultumque pacis flexit, ne ad impediendum cursum Euangelij, ad insectandum, spoliandum, trucidandũq; Lutheranos sese incitari sineret. Quòd igitur pacem aliquam trahimus, & dolos, insidias, virulentasq; machinationes Pontificiorum hactenus declinauimus, Cæsareæ Maiestatis Imperij Principum vigilantia atq; virtute post Deum immortalem

lem, perfici gratis animis profitemur. Pōtifici verò Romano vlla ex parte nos ſubiectos eſſe, iure diuino aut humano negamus: Iccirco quia diuinitus accenſam lucem doctrinæ odit, profitentes Euangeliū inſectatur, hæreticos vocat, & è medio ſublatos expetit. Quod ſi iure agendum cùm Pontifice eſſet, næ planum fieri facilè poſſet, vtrum ille an nos hæreſeos crimine iuſtiùs damnari poſſemus. Eſt in medio confeſsio noſtra, quæ cum inuicta hactenus ſteterit, & in extremo iudicio corā Chriſto ſtatura ſit: non eſt quòd hoc impio nomine notemur. Rebelles verò qui eſſe aut nominari poſſunt, qui Imperij legibus modeſtè parant, nec à ſuo magiſtratu deficiunt, ſed eum ſanctè colunt, & pro ſalute eius vitam, fortunas, & quicquid habent periculis obijcere atq; profundere parati ſunt? Habet Imperium hoc antiqua quædam decora, & retinet Germania aliquid roboris & virtutis priſtinæ in hac poſtrema omnium rerum perturbatione atque confuſione. Pontificia verò tyrannis inuidet nobis tanta bona, & labefactare ea omnibus viribus nititur, vt communi hoſti Turco aditus ad nos diſcordia, belliſque inteſtinis eneruatos, patefiat.

Tales conatus omni contentione comprimendi sunt, & pontificiæ insidiæ atque furores, tanquam pestes nefariæ libertatis Germaniæ à ceruicibus Imperij, velis equisque vt aiunt, depellendi. Sic enim placuit, itaque constitutum est in conuentu Imperiali, qui fuit Francoforti ad Mœnum, anno Christi supra millesimum trecentesimum trigesimo octauo: nihil accipere Imperatorem à Papa, nec Iurisdictionem vllam politicam in Imperio habere Pontificem Romanum: in Ecclesiasticis verò concilij generalis autoritatem maiorem esse quàm Pontificis. Hoc decretum semel factum ab Imperatore Ludouico, approbatumque ab Episcopis & Antistitib⁹, firmus est murus, quo arceri possunt & repelli pontificiæ molitiones, quibus vel regnum aut tyrannis in Germania quæritur: vel ius potestasque tuendi aut exequendi pontificia dogmata in Imperio prætexitur. Quin hoc potius statutum ac deliberatum habeatur, tres esse præcipuos, maximeque firmos Imperij neruos, quibus fidere atque niti tutò illud posit, diuinitus Monarchiæ huic postremæ promissum patrocinium vsque ad finem mundi, coniunctionem Principum, & fidem

& fidem ſubditorum. Horum præſidio ſtare oportet Imperium, quoad volet Deus manere rerum humanarum memoriam, abſque Pontificis Romani gladio, quem vſurpare in nos, neſcio qua cupiditate, & dominandi libidine, non veretur.

Quid in his turbulentiſsimis tempeſtatibus, triſtique hoc rerum ſtatu, quo labaſcunt & ruinam minantur penè omnia, efficaciùs ad conſolandum eſſe poteſt, quàm quod per Danielis vaticinium Cæſaream Maieſtatem Deus nomine affatur? Caue putes, Cæſar, collapſurum eſſe penitus Imperium, quod curæ & fidei tuæ cōmiſi. Diminutio quidem magna eſt facta, me ita ante annos 2 0 8 4. per Danielem prædicente, propter peccatum, quod vt mundum totum, ſic omnes eius partes deformat, labefactat, & quò à fine ſuo abeſt propius hæc mundi machina, eò maiores cōfuſiones habet, fragoresq; grauiores edit. Summa tamen rei certo manſura eſt, & habebit Imperium hoc aliquid roboris & dignitatis vſq; ad illum diem, quo, abolito hoc corrupto rerum ſtatu, nouum cœlum & nouam terram conditurus ſum, & Eccleſiam meam militantem cœleſti hoſpitio excepturus.

Princi-

Principum autem Imperij fide, magnitudine animi, potentia, opibus, populis & armis florentium coniunctio atq; societas, quanti tandem æstimanda est? Sceptrum verè hi sunt & robur Imperij verissimum, maximeq; post Deum immortalem tutum. Quamobrem præsidio esse Imperio Romano multò firmiori possunt, quàm Romanus Pontifex. Inprimis conspicua est Principum Electorum & septem Virûm necessitudo, sapientia, virtus, iustitia, magnitudo animi, fides, constantia, robur, cura & studium tuendi Imperij dignitatem, ius & libertatem: tum in præcipuis etiam defendendi religionis Euangelicæ veritatem atque professionem ardor tantus, vt eorum vnum cor, eademq; voluntas esse videatur. Hoc tàm præstanti præsidio thronum Imperij sepsit & fulsit Deus, quod perrumpere aut labefactare nemo hostium facilè poterit, si ita vt est, manserit, & ab externis insidijs satis sibi cauerit.

Fides porrò multitudinis ea est in Imperio, vt in illa omes curæ deponi possint. Quid enim fide Germanica est solidius? quid firmius? quid tutius? Hæc igitur cum parata & expedita sit, non quidem vi

metuue

metuùe extorta, ſed ex amore in patriam nata, quid eſt? quod firmamenta alia Imperij requirantur? Commodè ergo ſe res habet, nec periculum impendet Imperio vllum, niſi à Pontificia ſede, ne illa ſcilicet perſuadeat aut efficiat, vt religionis curſus impediatur. In quo verè ſita eſt omnis noſtra cura, cogitatio & ſollicitudo. Quid enim religione vera antiquius, quid carius nobis eſſe debet? Hanc igitur cùm integram inuiolatamq; eſſe cupiamus, ſalutis ſummæ cupidi ſumus. Ac Magiſtratui quidem quod debemus, damus, & ad dandum omni tempore paratos facilesq; nos eſſe oſtendimus. Quod verò Deo debemus, eidem nos tribuere ipſa verbi diuini cogit autoritas. Magiſtratui honorem, obedientiam, amorem, fidẽ, tributum debemus. Hæc abſq; vlla recuſatione & contumacia præſtamus. Deo autem cultum debemus eum, vt verbo ipſius credamus, & piè obtemperemus. Facere itaq; aliter non poſſumus, quàm vt Idolatriam fugiámus, & non eam religionẽ profiteamur, quam ſcimus, atteſtante nobis conſcientia veram eſſe, ſalutarem, efficacem, è puris fontibus Iſraëlis hauſtam: Non enim hîc quid Papa, quid homo præcipiat, ſed

quid


quid Dei verbum iubeat, nobis attendendum est. Quamobrem nisi scientes offendere Deum velimus, & salutis æternæ iacturam facere: horrendam Idolomaniam Ecclesiæ Romanæ fugiamus necesse est. Quid est enim Papa, homunculus, si se opponat tàm potenti Deo? Et id quod iubet Deus, ipse prohibeat? Aut quod probat verbum Dei, id damnare & abolere Pontificius Canon audeat? Quæ esset impietas, relinquere sanctum Dei præceptũ, & amplecti doctrinam Dæmonum, vt Apostolus vocat, quæ Euangelij professionem prohibet, & idolomaniæ patrocinatur? Quo animo excusationem nostram in extremo iudicio accepturus est filius Dei Iudex, si ita, vt vult Papa, Pontificis Romani decretis nos paruisse dicamus? An non ipsa verbi sui voce & sententia seuerissima nos redarguet, quæ Angelum de cœlo nos audire vetat, si aliud, quàm Paulus aut scriptura sancta, doceat?

Verùm satis sit, ne extra modum prodeat oratio. Hæc autem quæ dixi, ad eam summam referri volo omnia, vt animum inuictum à pontificijs incitationibus & conuicijs Cæsarea Maiestas & Imperij Principes retineant: tum in DEO, Imperij

neruis

neruis,diuinitus ſibi tributo robore,coniunctioneque, fide item ſubditorum ſatis ſe præſidij habere ad tuendam pacem, iuſtitiam, diſciplinam & alia ornamenta Reipublicæ confidant. Religionis verò profeſsionem atque propagationem nullo modo impediri ſinant, ſed adiuuent potius, ſtudium ſuum & officium Chriſto, Eccleſiæ Domino debitum in ea re præſtantes,tùm identidem ad ſuperiorum temporum exempla animos & oculos referant,quæ abundè declarant,inanem eſſe conatum & irritum laborem, cum infelicitate ſumma etiam coniunctum, quicunque in delenda Euangelij doctrina inſumitur. Dixi.

Anno 1584.




Ora-

Oratio XIII.

DE BELLO SACRO IN Asia recuperandi terram sanctam suscepto: Anno Christi 1096.

REgula est iudicij humani, quam & naturalis atq; insita in animis nostris notio, & vsus frequens comprobat: non ex euentu, sed ex proposito susceptoq; consilio facta æstimanda esse. Etsi enim natura fuit, vt ex effectu iudicium de causa fiat: tamen in humanis actionibus sæpe vsu venire videmus, vt quod bene consultum, cogitatumq; est, malè cedat. Quod si consilia euentu ponderare volumus, quod plærique faciunt, cui quidem bene quid processerit, hunc multum prouidisse, cui secus, nihil sensisse iuducabimus. Hoc verò cùm iniquum sit: consequitur sanè, non ex euentu, sed ex voluntate consilia ponderanda esse. Nota sunt consilia summorum Oratorum, Ciceronis, & Demosthenis, quorum ille in Repub. Romana suasit, vt interfecto Iulio Cæsare, Respub. exercitusq; Octauio crederetur. Idq; fecit retinendi causa patriæ libertatem. Hîc verò in Repub. Attica ciuibus consuluit, vt

armis defenderit socios ab insidijs atq; iniurijs Philip. Macedonis. Vtruiusq; cõsilij exitus fuit exitialis. Nam imperium capiente Octauio, Cicero miserabiliter occisus est, & Respub. libertatem perdidit. Demosthenes verò, arma Philippi irritauit, & in Atticam attraxit, communeque periculum patriæ creauit. Hîc audimus dissimilium consiliorum consimilem euentum. Quid igitur? num æquè vituperandum vtrumque consilium censebimus? Minimè verò. Ciceronis enim consilium ad necessariam pacem: Demosthenis verò ad non necessarium bellum fuit directum. Ciceronis igitur factum à sapientibus laudatur, Demosthenis autem vituperatur. Et meritò quidem. Magis enim spectare causas euentorũ, quàm ipsa euẽta cõuenit.

Quod ipsum ad sacrum etiam bellum, quod à Christianis militibus susceptum, & magna contentione in Asia gestum est, accommodari rectè poterit. Euentus enim is fuit, vt ex impetu hostium barbarorum ac faucibus blasphemiæ Mahometicæ erepta sit terra sancta: sed labore ingenti & sanguine Christianorum copioso ea res constitit, nec diu etiam partum ibi imperium durauit. Anno enim à

nato Saluatore 1096. duce Godefrido Bilioneo, expeditio suscepta est, millesimo verò, ducẽtesimo, nonagesimo amissis reb. omnib. fugæ sese mãdarunt, Christiani q̊tquot fortuna & belli vis reliquos in terra sancta fecerat. Hic exitus, quãti æstimãdus facilè intelligitur. Regnum quidem Christiani milites, expulsis Saracenis, in vrbe Hierosolyma constituerunt, & cultum etiam Christianum in eam reduxerunt: Sed sanguinis Christiani nimis magna profusa est copia. Iam vtrumque sanctum & præclarum esse videtur, ex Saracenorum faucibus Christianos liberare, & cultum Dei restituere, quamuis iactura innumerabilis multitudinis Christianorũ facienda fuerit. Verùm ex euentu non decet de facto ipso sine bello iudicare. Sic enim Fridericum Barbarossam Imperatorem planè in consideratum ducere oporteret, qui contra Saracenos monens nauare atq; efficere id non potuit quod propositum sibi habebat: Sed in amne quadam minoris Armeniæ miserè occubuit. De cuius tamen proposito pio dubitare fas non est. Quid ergò? Causæ sunt ex quib. factum quodque æstimari debet. Hæ igitur, quales in hoc bello sacro fuerint, conspiciendum

est.

est. Reperiamus autem, si accuratè cogitauerimus, duplicem belli istius causam extitisse: vnam quidem à Pontificibus Romanis, alteram à militibus Christianis. Primùm enim Pontifex Romanus Vrbanus secundus, consiliũ apud clarum montem in Gallia habuit, in eoque decretum fecit, de expeditione, vltra marina ad recuperandum terram sanctam suscipienda, Anno Christi 1095. Nec deinde incitare Christianos Principes ad illum bellum destitit, donec quod in animo habuit consecutus est.

Quid verò est, quod Papam impulit, vt decretum eius modifaceret, & Christianos tantopere, in Turcos & Saracenos inflammaret? Hîc duas causas ex multis excerpemus, quæ præcipuæ maximeque memorabiles esse videntur. Vna est vindictæ cupiditas, altera regni auiditas. Vtramque rem monumenta rerũ veterum comprobant. Is enim tunc fuit Reipub. Romanæ status, vt nihil tam in optatis esset Pontificibus Romanis, quàm Principum Christianorum opes labefactare, & ex dominatu Imperij in libertatem sese vindicare. Ausus. n. erat tũ Henricus 4. Imp. obsistere conatibus Pontificis Gregorij septimi,

ex quo schisma ortũ est ingens, & miserè concussa atque conturbata est Ecclesia atque Respub. Ibi tum Pontifex diffidens rebus suis fulmen excommunicationis & Anathema Henrico denunciauit. Imperator vicissim Pontificem de gradu & dignitate deiecit, in comitijs Vvormatiæ, ad eamq́ue rem conficiendam mox legationem cum diplomatis Romam misit. Cæsar verò in Italiam iter suscepit, nescio qua religione permotus, vt cum Papa reduci in gratiam posset. At exceptus fuit quidem Cæsar satis honorificè ab Italis, quod plærique sperabant eum iccirco Romam proficisci, vt fastum atque ferociam Papæ comprimeret. Sed longè aliter cedit. Cæsar enim deludi se à Pontifice passus, supplex ad eius pedes sese abiecit, & absolutionem petijt, nulla conditione reconciliationis repudiata. Interea Pontifex persuasit quibusdam Principibus Germaniæ, vt alium Cæsarem, Rudolphum Sueuiæ Ducem designarent. Cui mox coronam misit cum hac inscriptione: Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam: quemadmodum Helmoldus cummemorat. Hic noui motus, nouum bellum in imperio exarsit. Reuersus enim ex Italia Henricus, continuò

tinuò in Rodolphum arma expediuit, ſpes tunc erat non exigua, futurum eſſe, vt per hanc facem ardoremq́; flammæ Germania cõflagraret. Dimicatum certè eſt acriter, & in prima quidẽ pugna fugatus eſt Henricus; ſequente verò & tertia victor euaſit. Inde animus illi acceſsit, hoſti verò timor iniectus eſt. Itaque conſilium conuocauit Henricus in Bauaria, ad quod plurimi Epiſcopi ex Italia, Gallia & Germania venerunt, in eoque Papam Gregorium ſeptimum damnauit, repudiauit, & loco eius Clementem tertium ſubſtituit. Pontifex contra Imperatorem excommunicauit & ſpiritu plenus ad fœderatos ſuos in Germania literas dedit, quibus neſcio qua animi falſa diuinatione permotus, interitum iſto anno prædixit Henrico Imperatori. Sed ſecus longè euenit. Nam eodem anno prælium quartum fuit cõmiſſum, in quo Rodolphus dextram amiſit, & paulo poſt ad exitum vitæ vocatus, de Pontifice & Epiſcopis grauiter queſtus eſt, qui autores defectiones à Cæſare & cladis tantæ extiterint. Poſt hanc victoriam Henricus exercitum duxit in Italiam contra Pontificem, obſedit Romam, partemq́; eius diripuit, & terrorem magnum ciui-

bus iniecit. Papa Gregorius fuga ſeſe ad Normannos recepit. Ciuitas vero in fidem Cæſaris recepta eſt. Cæſar continuò Pontificem deiecit ſede & in eam collocauit Clementem tertium. Normanni autem alium Pontificem deſignarunt, quem Victorem tertium nominarunt. Nec multò poſt Vrbanus ſecundus Papa factus eſt.

Quid verò? an dubitabimus ſatis magnam cauſam tunc fuiſſe Romano Pontifici omnes occaſiones quærendi, quibus hoc ab Imperatore impoſitum iugum à ceruicibus ſuis propulſaret? Quanti enim eſt, quod Cæſar Romanus, Pontificem Romanum ſede ac fortunis priuauit? Vrbem Romam diripuit? & poteſtatem tantam creandi Pontifices ſibi ſumſit? Hæc ſcil. iniuria eſt, quæ penitus inſedit in animis atque memoria Pontificum. Quapropter de ea vindicanda dies & noctes cogitarunt. Cùm autem alia via nulla procederet, quod ſperabat, huc euaſit tandem Vrbanus ſecundus, vt quoniam inteſtinis bellis debilitari potentia Imperij non potuit, expeditionib. externis exhauriendam atque frangendam illam eſſe duceret. Quocirca bellum ſacrum Principibus indixit, & innumerabilem hominũ multitudinem ex

Eu-

Europa in Asiam ablegauit. Ac vt res tota magis adumbrata ad speciem & vsurpationem sanctitatis esset: trecenta hominum milla cruce signauit, & milites crucifixi Christi omni iure haberentur. Hîc siue fucus siue species hæc non dici potest quantam religionem hominibus iniecerit. Etenim tanto numero Christiani in Asiam ad hoc bellum profecti sunt, vt Occidens vniuersus demigrare in Orientem visus sit. Et alter hic modus fuit explendi cupiditatem vindictæ, satiandiq; odium Pontificis. Sic ergo via duplici rem aggressus non parum eneruauit & afflixit Rempub. Nam foris ingentem multitudinem hominum telis hostium, dimicatione capitis & morti denique ipsi obiecit. Scribit Robertus Monachus tantum sanguinis humani in hoc bello effusum esse, vt cæsorum corpora vnda sanguinis impellente, natarint atq; fluitarint.

Non autem suasor tantùm huius expeditionis fuit Pontifex, sed impulsor etiam extitit. Nã Philippo Gallorum Regi mãdant primùm Bonifacius 8. deinde cõtanti & recusanti minatus est, nisi pareret & in Asiã ꝓficisceretur e regnũ eum esse amissurũ. Quod re etiã ꝓbare Pontifex ille

conabatur, & deiecto Philippo alium Regem designari volebat: Sed Philippus contemsit Pontificis conatus insanos, negans se suumque regnum ulla ex parte Pontifici subiectum esse.

Domi verò quid Papa per suos Episcopos non est molitus? Equidem Paschalis secundus Henricum anathematis fulmine percussit ad filium eius Henricum quintum ad sumendum Spiritus & arma aduersus patrem excitauit atque acuit. Tantum enim per organa sua sanctissima Episcopos effecit, vt superbè Henricum quartum ab Imperio remouerint, omnibus insignibus atque ornamentis spoliârint, & filio eius autores fuerint, vt patrem tam de Imperio meritum in custodiam cõiecerit, vbi mœrore animi extinctus est, nec humari cadauer eius toto quinquennio potuit. Ne nunc quidem satis vllus esse videtur Pontifex Romani Imperatoris iniurias? Si modò iniuriæ sunt dicendæ cum Imperij dignitas atque libertas ab ambitione, auaritia, & tyrannide Pontificum Romanorum defenditur.

Sed quid? num ita expleta fuit libido, & satiatum odium Pontificis? Nequaquam. Secuta est non multò post laniena & strages

ges horrenda; cum Saxones Henrico sese opposuerunt, & prælio cum eo commisso, quadraginta quinque millia hominum occubuerunt. Tanta effusi sanguinis copià expleri sitis Papæ meritissimo debuit. Mox idem Pontifex Imperatorem eundem priuilegijs ante concessis de Episcopatibus per annulum & baculum conferendis, spoliatum excommunicauit. Ex quo authoritas Imperatoris pene omnis concidit, & turbæ nouæ, procellæque perniciosissimæ Germaniã obruerunt. Nam Imperator Pontificem à gubernaculis deiecit, Pontifex vicissim Imperatorem excommunicauit & execratus est. Denique nimis longum esset exponere omnes dolos, quibus ad turbandum Imperium & explendam animi sui libidinem Pontifices vsi sunt. Ex his autem quæ attigi strictim, si non penitus, tamen ex parte quadam intelligi potest, quæ causa tantæ cupiditatis vindictæ in Pontificibus fuerit, & quibus artibus vlcisci Imperatores atque adeo Christianos Principes conati sunt.

Sequitur vt quanta regnandi auiditate flagrârint, demonstrem: res erat valde laboriosa, Ecclesiæ primatum & politicum

dominatum simul acquirere atque comparare. Ideoque contendere omnes neruos in ea oportebat Pontifices. Nondum enim potestatem eligendi Episcopos, & tribuendi Prælaturas vt vocant, Pōtifices habebant, sed cum Imperatoribus acriter de illo iure certabant. Satis autem intelligebant, nihil tā sibi obstare, quàm Imperij opes atque potentiam. Quamobrem in eo euigilarunt omnes curæ & cogitationes eorum, vt Imperij neruos inciderent, & vires eius minuerunt. Quod ita sese effectoros maximè sperabant, si primùm Principibus persuaderent, vt relictis sedibus atque fortunis militatum in terram peregrinam abirent. Tum Imperatores, qui concedere de iure suo nollent, de gradu deijcerent, eluiquod nolebant, obtinerent. Quantum enim Imperio detrahebant, tantum sibi suoque regno accedere perspicebant. Hinc Henricum quartum excommunicarunt. Henricum quintum fulmine Anathematis percusserunt, & cum Lothario deniq; de iure conferendorum Episcopatuum & Abbatiarū acerrimè contenderunt. Quin Cæsarē etiā ipsum suæ potestati subijcere ausus fuit Adrianus Papa, cùm ad Imp. Frider. misit legationem

nẽ in Germaniã, cũ diplomate, in quo cõtinebatur, Cæsarem habere insignia atque ornamenta Imperij omnia à Pontifice accepta, tanquam beneficium siue fundum. Quod tamen Cæsar & Principes Imperij pernegarunt, & cum indignatione legatos ex Germania discedere mox iusserunt.

Atq; hic dominatus est Papæ, quem in Occidente sibi sumsit, sed eo non contentus, etiam in Oriente primatum affectauit. Caue enim putes religionis potius, quàm dominationis causa bellum sacrum ab eo indictum esse. Ambierat iam multis annis Ecclesiæ Orientalis primatum, nec potiri tamen eo ad illud vsq; tẽpus potuit. Iam ergo inuentam tandem esse viam sperauit, qua dominari etiam Ecclesiæ Asiaticæ posset. Immò non Ecclesiasticã solùm iurisdictionẽ, sed terrã quoq; ipsam, appetiuit per hoc sacrũ bellũ, q, vel hinc cognosci potest satis, q, Gregor. 9. Imp. Fridericum 2. excommunicatum per fratres prædicatores in Germania proclamauit, eiusq; terras, dum in Palæstinam exercitum is duxit, sibi subegit. Idem sese facturum Philip. Gallorum Regi minatus fuit, Bonifacius 8. nisi expeditionem in terram sanctã susciperet queadmodũ supra memorauimus.

Num

Num plura testimonia cupiditatis regnandi in Pontifice Romano desiderabimus? An non hæc satis superque eius sitim inexplebilem dominandi declarant?

Sed pium tamen consilium fuisse Pontificis dices, cùm ad recuperandum Domini templum, & restituendum Dei cultum in Palæstina Christianos induxit. Nullum hîc pietatis documentum in Pontifice apparet. Fucata & plena superstitionis sunt omnia. Non enim fundamentum ex verbo Dei vllum proferri potest, quo suspicio atque conatus talis niti possit. Reiecerat Deus semel Hierosolymam, & deletam volebat, vt ne lapis quidem super lapide relinqueretur. Ideo non amplius benedicta erat terra, & iacere eam in ruinis perpetuis oportet. Superstitio igitur erat detestanda, ibi templum Dei, cultum aut regnum instaurare velle, vnde Deus templum & cultum suum abstulerat. Errauit Pontifex vehementer si spem aliquam in terrestri Hierosolyma positam habuit: Cùm ideo eam destructam euersamque funditus velit Deus, vt ad cœlestem Hierosolymam mentes & cogitationes suas omnes Christiani referant: idque re euentuque comprobatum videmus. Nam &

cru-

cruentum fuit bellum ſacrum & infelix & calamitoſum atque ærumnoſum. Etſi enim Hieroſolymā recuperarunt milites Chriſtiani, & regnum ibi conſtituerunt: tamen breue illud fuit, annorum ſcil. 88. ac ſanguine copioſo Chriſtianorum partum eſt atque etiam amiſſum. Reliquæ verò Chriſtianorum, quæ remanſerunt in Syria & vicinis oppidis, Tyro, Sidone, Tripoli, Berytho, incenſis iam & complanatis omnibus à Sultano Ægypti, tandem anno Chriſti 1093. à primo ingreſſu in Palæſtinam, fugere in Cretam coacti naufragio miſerè perierunt. Hic exitus fuit lacrymabilis planè & funeſtus belli eius, quod tātā ſpecie ſanctitatis ſuſpici Pōtifex iuſsit. An niſi hoſtes barbari, Turci ac Sarraceni, q̄ parib. copijs auſpicijsq́; tunc cōtra Chriſtianos gerebāt Chriſtianos oppreſsiſſent futurū fuiſſet, vt Papa ipſe perniciem peſtemque illis machinaretur. Ceperat enim iam tum per Templarios ſuos Friderico Imperatori, qui auſpicijs bonis Sultanum Ægypti ad conditiones pacis adegerat, vehementer moleſtus eſſe. Quanquam autem ex euentu minimè de conſilio iudicandum eſt: tamen cum cauſæ belli huius omnes, quoad Romanum Pontificem, inſidio-

ſidioſè, fraudulenter, & ſuperſtitioſè cogitatæ atq; ſuſceptæ ſint: minus mirũ eſt, euẽtũ ipſum quoq; exitialẽ Chriſtianis fuiſſe.

Reliqua eſt altera cauſæ ſuſceptæ expeditionis à militibus Chriſtianis, quæ vtiq; pia, honeſta, & libris monumentisq; decoranda eſt. Hi enim non ſuo quodam conſilio, neque impetu temerario ad hoc bellum lati ſunt: Sed Deo pietatem ſuam, Papæ obedientiã & miſerè vexatis Chriſtianis officiũ debitũ iuſtumq; perſoluere voluerunt. Itaq; laudatur eorũ conatus multò iuſtius, quàm Argonautarũ hoc eſt, Græciæ Principũ, qui quondam in Colchidẽ ad rapiendũ vellus aureũ ꝓfecti ſunt. Multa equidẽ cõcurrerunt, quæ difficultatem tanti belli auxerunt, itineris lõginquitas, periculũ ab hoſte, rei ipſius magnitudo. Verùm hæc tamen omnia deſpexerunt, & ꝓ nihilo putârunt magnanimi illi atq; milites, ac vltro ſeſe in diſcrimen atq; certamẽ tantũ ꝓ ſalute nominis Chriſtiani obiecerunt. Non patria, non domus, non fortunæ, non liberi, nõ ꝓpinqui eos à ſpe conatuq; tanto depulerunt. Quòd verò nihil aliud in hac expeditione ſpectarint, aut q̃ſierint milites iſti, quàm veri Dei cultus propagationem, & Chriſtiani nominis à Barbarorũ blaſphemijs defenſionẽ, multa

ſunt

sunt,q̃ documenta dant. Primùm quidem Pontifices Rom. mandatũ tanti ponderis tunc apud Christian. fuit, vt instar Oraculi diuino instinctu afflatuq; fusi haberetur. Quanquã autem totũ illud Pontificiũ edictũ ex reb. fictis atq; cõmenticijs, hoc est, Petri Erimitæ somnio quodã constitit, tamẽ militũ Christian. nihilominus est laudandus zelus, atq; in suscepto cõsilio, ꝓpositoq; pseuerantia. Non profectò hic spes opũ, non voluptatũ illecebra vlla apparuit, qua impelli ad tantũ facinus illi potuerint. Itaq; nil nisi religionis amor, sepulcri domini cura, & Saracenorum Turcorumq; depulsio pia & iusta illis arma induit.

Dolendũ est potius fundamentũ huius belli, q, tanta cõtentione gestũ, est nõ satis solidũ atq; firmũ fuisse. Fieri. n. nõ potest, vt bene feliciterq; eueniat, id q, causa vera & iusta nõ nititur. Perinde vt ædificiũ diuturnũ esse nõ potest, aut stabile, nisi fundamentũ & radices altas habeat. Fuerunt autem omnium penè quæ à Pontificibus constituta sunt principia somnijs & ineptijs fucata. Cuius modi sunt plæraque cõmenta diuinarũ reuelationũ aut admonitionũ per homines mortuos. Vnde ordines Monachorũ & aliæ superstitiones horrẽdæ manarunt. Quod si causa belli huius

nō ita fuiſſet Pontificia ſuperſtitione contaminata: abſque dubio euentum habuiſſet longè meliorem. Quicunq; tamen exitus fuit, fortuna ſanè aliqua, ad res benè gerendas diuinitus adiuncta fuit. Quæ tota, quanta fuit, Chriſtianorum militum pietati conceſſa atque donata eſt.

Incendit præterea optimos milites ad cupiditatem atque ſtudium huius belli dulciſsima ſeruitus Chriſtianorum in terra ſancta qui erant oppreſsi à Sarracenis. Perinde vt hodie calamitas Chriſtianorū in imperio Turcico nos omnes merito dolore & ſolicitudine afficit. Ac habet laudem ſuam expeditio quæ pro Chriſtiana libertate ſuſcipitur: Sed abeſſe debet ſuperſtitio, quæ tanquam affuſo veneno cauſam bonam corrumpit. Quæ ipſa hanc quoque pio Zelo ſuſceptam militiam deprauauit, quemadmodum in Vngaria infeliciter pugnatum eſt, quoties Romani Pontifices vel Epiſcopi Chriſtianis ardentes faces belli aduerſus Turcam miniſtrarunt. Non enim benè poteſt procedere bellum, quod impulſu aut ductu Pontificis geritur: cùm longo interuallo diſiuncta ſint, nec inter ſe conueniant Eccleſiaſtica cura, & belli adminiſtratio. Iccirco

rectè

rectè dixit Lutherus, se nolle esse in eo exercitu, si miles esset, cui Pontificius aliquis sacerdos præsit: quod in templo is, non in acie collocatus sit. Quod considerare cum animo suo etiam tunc debuit Romanus Pontifex, cum bellum sacrum indixit: ne inuito DEO, refragante muneris impositi officio, aduersante fortuna in discrimē atq; dimicationem capitis tot fortes & probè paratos milites adduceret, & hostibus barbaris diripiendos trucidandosq; obijceret. Sed non passus est eum perpendere rem tantam cæcus furor atq; cupiditas vlciscendi Principes Christianos, quos suis conatibus nefarijs obsistere videbat. Proinde ad internecionem eos cædendos, domi forisque curauit, vt diuturnam sitim sanguine Christiano expleret.

Satis iam de causis belli sacri dixisse videor, quæ omnia ad eam summam referri volo, quam supra posui, non potuisse hoc bellum felix esse aut salutare Ecclesiæ Christi: Iccirco, quia Pontificis instinctu vel potius edicto susceptum est, non iudicio aliquo aut consilio pio sed vindictæ & regni cupiditate, non religionis propagandæ studio, sed superstitionis vanæ cōmento, non causa ornandi Christi gloriam, sed

d gratiæ

gratiæ amplificandi ſedis Romanæ potentiam. Quod autem aliqua felicitate ſine fortuna proſpera geſtum illud eſt, id pietati, virtuti & induſtriæ optimorum militum diuinitus tributum eſt: vt verus, iuſtus, & honeſtus eorum labor, honoribus, præmijs, atq; ſplendore aliquo decoraretur: Anno Chriſti 1 5 8 4.

Oratio XIIII.

DE NOVO ANNO OCTOgeſimo ſupra Milleſimum quingenteſimum, à nato Chriſto.

HODIE, ducente Deo, ingredimur annum octogeſimum ſupra milleſimũ, quingenteſimum à nato Chriſto, omnis ſalutis atq; boni in cœlo nobis parati, & in terris reliqui autore. Etſi enim dies Decembris vigeſimus quintus, qui natalitius eſt Saluatori noſtro, idem etiam initium anni noſtri affert: tamen deflectimus nõnihil de ſpacio curriculoque, & ab hoc ipſo die anni noui exordium ducimus. Eſt autem hic annus multis annis ante multorum

rum sermonibus atq; vaticinijs notatus, & nobilitatus, quasi is, qui seminarium pestis & famis in orbe terræ, tum dissensionum, dissipationum, confusionum, bellorum, & vastationum tristissimarum vsq; ad finem mundi, & lætissimum filij DEI aduentum, futurus sit. Nec sine causa, aut temerè prorsus hæc plærorumque animos peruasit opinio. Nam & sanctum Dei verbum, & opificium eius cœleste, & terra denique ipsa, quocunque aspicimus, ingredimur aut mouemus nos, minas iactat, pericula intendit, & terrores formidinesq; graues opponit: vt dubium nullum sit, quin grauissima mala ex omni parte nobis pertimescenda sint.

Cùm verò impendentes calamitates contemnere extremæ sit dementiæ: quantus tandem furor, aut insania erit, his tot tamq; euidentibus comminationibus diuinis, cœlestibus & terrestribus non commoueri? Quamobrem sic ingrediendum nobis hunc annum putemus, vt nisi prouiderimus, Deique opem, gratiam, atque misericordiam seria inuocatione, fide, & cultu diuini nominis, tum vitæ etiā ipsius diligenti & accurata correctione implorauerimus, atque impetrauerimus: mala

ea nobis omnia euentura certò sciamus, quæ ipsum Dei verbum, causæ æthereæ, & elementares nobis minitãtur. Est etenim sine vlla exceptione vera hæc regula: Causis sufficientibus in actu positis, necessariò sequitur effectus. Et contra: Remotis causis, cessare tandem effectum ipsum necesse est. Cura itaque pia & inprimis necessaria est, perpendere atq; ponderare causas illas, quæ tantas calamitates in hoc ineunte & multis consequentibus annis portendũt: vt cuiusmodi sint & quo pacto vel auerti, vel mitigari, vel etiam retardari possint, cognoscatur. De his igitur disserere hac oratione aggrediar, & quid mali, boniùe nobis impendeat, exponam.

Ita duæ erunt orationis meæ partes, quarum prior malorum magnitudinem nobis pertimescendorum explicabit. Posterior verò ad spem rursum excitabit, propter plurima & solida bona, quæ expectare nos sanctum Dei verbum iubet.

Certum est autem tot tantasq; calamitates impendere nobis, aut instare planè, aut certè iam appropinquare, vt terrore quodam & metu mentes nostras meritò percellant: Idq; ex causis minimè fallentibus. Primùm enim patent atq; in promtu

sunt

sunt omnibus comminationes diuinæ, quouis fulmine terribiliores & contra benedictiones melle suauiores, Deutero. 28. Si præcepta mea obseruaueris, abundabis bonis, & aperiet tibi Dominus thesaurum suum bonum, cœlum, vt det pluuiã tempestiuam terræ tuæ, & benedicet omnibus operibus manuum tuarum. Si verò audire nolueris vocem Domini Dei tui, venient super te maledictiones, vt maledictus sis in ciuitate, maledictus in agro: & immittet Dominus in te infelicitatem, calamitatem, & confusionem omnium negociorũ quæ suscipies: apprehendet te pestilentia, tumor, febris, ardor, inflammatio, siccitas, aër venenatus, cœlum quod supra caput tuum est erit æneum, & terra sub te erit ferrea: plantabis vineam, & non colliges fructus ex ea. Multum seminis sparges in terram, & parum congregabis. Vtrumq; certè proponit nobis hæc vox Dei, bonum quidem si præceptis diuinis obedierimus, malum verò, si repugnauerimus. Iam verò quomodo præceptis Dei obtemperemus, & quam bellè vita nostra cum sancto eius verbo congruat, age quanto possumus iudicio expendamus.

Verbum Dei iubet nos Deo soli seruire,

&eum colere. At quotusquisq; est nostrũ, qui non pluris faciat opes, honores, voluptates &commoda cætera, blandissimas huius mundi dominas? Videas alios sic inhiare diuitijs, vt satis appareat eos numen aliud nullum venerari. Nõnulli gloriæ adeò sunt appetentes, vt Deum malint, quàm hominem, quem sibi nocere posse existimant, offendere.

Multò maxima pars emolumenta sectatur corporis, & victum temporalem, vt præterea nihil requirendũ esse in vita putet. Sanctum Dei verbum iubet *piè* reuerenterque vti nomine diuino. At quàm horrẽdi sunt inter nos diuini nominis abusus? Quàm execrabiles, abominandæ & contumeliosæ in Deum voces audiuntur? Quis sancta Saluatoris nostri vulnera, passionem aut vltissima Dei elemẽta, ad pestem perniciemque aliorum deuouendo conuertere veretur? Quis fide studioque tanto Deum inuocat, vt oratio eius nubes penetret, ardensque ad Deum perueniat? Verbum Dei iubet nos seruire Domino cum quodam gaudio, & lætitia cordis, audiendo, meditando, docendo, discendo verbum diuinitus traditum. Sed quanta oscitantia sit in plærisque, contemtus &

ſatietas, apertum & manifeſtum eſt. Alij negligunt, languidè alij curant, raró accedunt, Eccleſiam ſanctam vel deformant exemplo ſuo malo, vel contaminant certè & alios deterrent. Idq; hi potiſsimum faciunt, quos præter cæteros cura & ſtudio ad ornandã Eccleſiam incumbere conuenit. Cæteros quaſi quidam veternus occupauit, vt quodam faſtidio alienari ab omni cogitatione & amore verbi videantur. Reliqua eſt promixi cura atq; dilectio, quam verbum Dei non minús atq; ipſum diuinum cultum à nobis exigit. Hîc quæſo, quàm fœdè, horribiliterque primùm à pietate fideque in parentes, magiſtratus, præceptores deflectitur? Quis ſuperiorum in ſe imperium æquo animo patitur? Inuenias non paucos, qui odio immani legum ardent. Reperias alios qui perfringere omnia repagula Iuris, pudoris & officij conantur: dũmodo cupiditatibus ſuis indulgent, & proiectam effrenatamq; animi libidinem expleant. In vita communi & priuata, quanta eſt luxuries? in moribus quàm turpis à maiorum virtute declinatio? in veſtitu quanta deformitas, quamque profuſi ſumtus? non vmbra, non imago aut effigies vlla antiquæ virtutis &

fidei reliqua est. Dolorum verò, fraudum, insidiarum, quibus & corpori & famæ atque etiam fortunis aliorum detrahitur, infinita multitudo. Exulat candor, recessit simplicitas, abest rectitudo, concidit fides. His igitur causis antegressis, & vt cum Poëta loquar, in præcipiti stantibus, quem tandem effectum secuturum putabimus? Non est difficile iudicium. Quia verbo Dei contumaciter, scientesque resistimus, euenire nobis maledictiones Dei necesse est. At quas maledictiones? Horrendas certè & multas. Nam si hominis interdum maledictio aut benedictio tantam vim habet, vt mala bonaque afferat, in hac & altera vita percipienda: quantum ponderis habere necesse est Dei ipsius maledictiones, quas suo ipsius ore expresit atq; pronunciauit? Pertimescenda igitur nobis sunt omnia ista mala, quæcunq; verbum Dei non obedientibus comminatur, non tam vitæ corporiq; huic mortali, quàm animæ etiam ipsi, & saluti æternæ, nisi prouiderimus, obfutura. Nempè primùm infelicitas, calamitas, & confusio in consilijs, studijs, & actionibus, vt frustra laboremus, sudemus, & inani contentione frangamur, quæ nec nobis, nec alijs prosit. Secundò

cundò peſtilentia, & morbi cæteri quibus corpus affligitur, & miſerè conſumitur. Tertiò aêris malignitas, homines & pecudes inficiens atq; conficiens. Quartò cœli inclementia, & terræ ſterilitas, vt Sol lucem caloremq́;.& vim viuificam rebus naſcentibus, terra verò fruges deneget, fruſtraq́; noſter labor in arando, ſeminádo, & plantando inſumatur. Quintò amentia & cæcitas, vt temerè furenterq́ue in clades noſtras ruamus, vel miſerias calamitatesq́ue priuatas & publicas nobis accerſamus. Sextò rapinæ, impreſsiones hoſtium, bella & iniuriæ palam & fraude factæ: vt neq; vxorem, neq; liberos, neq; fortunas à prædonibus liberas tenere poſsis: ſed circumuentus calumnia & vi manifeſta, omnia quæ poſsides, hoſtibus diripienda, deuoranda & abducenda relinquere cogaris. Septimò triſtis abductio in terram ignotam ad gentem peregrinam, cuius linguá non noueris, cuius mores oderis, cuius religionem abominandam duxeris. Iam cogita quàm triſtia & luctuoſa hæc ſint in vſu & experiundo, quæ cogitando tam ſunt acerba & horribilia, vt penè ea refugiat. Ingens profectò eſt miſeria operæ curæque multum in rebus, ponere, & fruſtra

 niti

niti, nihilque proficere. Id quod vsu iam ipso docti intelligere ferè incipimus, in tanta asperitate temporum, & difficultate victus, vbi laborant, operam nauant & sudant tot homines pro parandis vitæ commodis, sibi suisque necessarijs, & tamen egestate & penuria perpetua conflictantur.

Vnde sæpius cum suspirijs & gemitibus fateri necesse est, non inane terriculamentum esse has de infelicitate laborum, & conatuum comminationes Dei, sed abundè in nobis re euentuq; comprobari. Hinc tot tamq; graues sunt querelæ de victus penuria & difficultate: vt multi quomodo sese aut suos alere diutius velint aut possint, vehementer soliciti sint & animis angantur. Nec paruum certè malum est, peste & morbis cæteris vexari. Et tamen ne hæc quidem abesse à nobis longè possunt: quia præceptis Domini nō obedimus. Non minùs graue est aëre infesto vti, cœlum æneū, terram ferream, totamque adeò naturam aduersam inimicamq; habere. At talem tamen cœli faciem, aëris intemperiem, terræq; rigorem, palam ante oculos omnium esse negare non possumus, tum quanta amentia, furorq; hominum animos concitet

tet ad concipiendas fraudes inexpiabiles, odia, inuidiam, vindictæ cupiditates, dissensiones, lites, in omnibus vitæ partibus quotidie experimur. Atqui hæc omnia eueniunt nobis nostro merito: quòd vocẽ Domini Dei nostri non audimus, neque præcepta eius atque statuta seruamus; nec cum benè nobis est, omniaq; liberaliter à Deo suppeditantur, cum quodam gaudio & cordis lætitia Deo seruimus. Iccirco metuendum est nobis, ne idquoque nobis accidat, quod velut extremum minatur nobis verbum Dei, vt videlicet concitetur in nos gens immanitate barbara, quæ non personam veretur senis, non parcit infanti, sed deuorat omnem fructum terræ, omnesq; thesauros diripit & aufert.

Cum his diuinis comminationibus ritè congruunt atq; cohærẽt prædictiones filij Dei, in Matthæo & Luca, de signis extremi diei, & statu miserrimo illius tẽporis, quod finem mundi antecessurum est. Proponit enim quadruplicia signa, primũ in natura, vt eclipses, cometas, ostenta, prodigia, mõstrosos partus, terræmotus. Secundò in terris, luem, famem, anxietatem. Tertiò in politijs dissensiones, bella, ruinas regnorum & mutationes imperiorum. Quartò in Ec-

in Ecclesia dissidia & hæreses. Ex quibus non est difficile coniecturá capere de miserijs, quæ ineunte hoc anno & sequentibus nos excepturæ sunt. Quo enim à fine mundi absumus propius, eò turbulentiora erunt omnia, & magis cumulabuntur calamitates. Scire igitur si vis, quæ bona, malaue nos maneant: ordine singulas naturæ partes oculis & animo lustra: reperies primùm in cœlo defectus luminum, Solis & Lunæ, aspectu ipso horrẽdos & terribiles: cum toties tetra ferrugine obducuntur, vt luminis sui vim vsumq́;, quasi impertire non ampliùs velle videantur. Inuenies illa ipsa luminaria in tot tamq́ue varias species transformari sæpius, vt minari nobis & pingere futuros casus non obscurè videantur. Quin Solẽ illum omnium reliquorum luminum moderatorẽ & principem inuenias adeò se demittere, vt quasi delabi, nescio quo defectu & remissione virium videatur. Tantum enim de altitudine eius decessit, vt miliaribus Germanicis nouem millibus, nongentis, septuaginta sex tam æstate, quàm hyeme, propior sit factus terris quàm ante annos mille, quadringentos, quinquaginta, cum Ptolomæus viuebat, fuit.

Inuenies

Inuenies porrò idem cœlum tam ſtellis quàm cometis prodigioſis terrorem nobis inijcere, & pericula horrenda portendere. Nondum obliuiſci debemus inuſitatæ illius ſtellæ, quæ anno ſeptuageſimo ſecũdo ſupra omnia elementa in æthercam vſque regionem euecta, intra Veneris ſphæram loco prorſus celſo & illuſtri ſe conſpiciendam præbebat: quaſi de ſublimi concionatura, & admonitura omnes homines, vt ſe ad futuras calamitates in fine mundi pararent, & ad filium Dei nõ multò poſt, ad iudicium venturum totis animis ſpectarent. Nec ex animis noſtris excidat conſpectus Cometa ille, πωγωνίας, inuſitatæ penè magnitudinis & horrendi aſpectus cuius corp⁹ Occaſum, barba verò Ortum hybernũ ſpectabat, anno ſeptuageſimo ſeptimo, vndecimo Nouembris, qui quidem à principio Capricorni ſub lactea via in dies ſingulos, gradus duos, ſecundum longitudinem, ab Occaſu in Ortum procedens, ſeptimo Decembris, ad poſtremos quinque gradus Aquarij, propè Aquilam & Delphinum perueniebat. Via tamen obliqua ad Septentrionem declinans verſus Pegaſum, Antromedam & Perſeum, viginti duobus gradibus ad polum

lum propius accedebat, tandemque peragrato iam Capricorno, Aquario toto, & sedecim insuper gradibus Piscium paulatim in fine Decembris euanuit. Sed persequi talia opportunum non est: satis sit hæc paucula attigisse.

Paulus non dubitat toti naturæ rerum tribuere gemitum, vt ostendat, eã nobiscum metuere & deplorare communes miserias, quæ sub finem præsertim mundi indies fient acerbiores. Quòd si natura nobiscum congemiscit: calamitates profectò graues & ingentes nos vrgere necesse est. Sic igitur naturam & singulas eius partes intueamur, vt gemitus illius audire nos putemus, & ad similia suspiria & vota excitemur, signa luctus in animis & corporibus nostris gerentes.

A natura rerum parumper animum auerte, & quid in ipsis terris futurum sit, vel potius iam fiat, considera. Erunt pestilentiæ & fames, inquit filius Dei. At quanta hæc mala sunt, quando premere nos & vrgere incipiunt? & hæc tamen ipsa, nisi iam tum instant planè, nosq; vexant, certè non diu aut longè abesse à nobis possunt: Quoniam filius Dei, qui est ipsa Veritas, prædixit. Et profectò si vllo vnquam tempore grassata

grassata hæc sunt, nunc sæuitura sunt maximè propter appropinquantem finem mundi, quo, crescentibus indies delictis, pœnas cumulari oportet. Addit filius Dei: In terris erit anxietas gentium per desperationem, extabescentibus hominibus præ timore & expectatione eorum, quæ superuenient orbi terrarum. Plura hîc congerit mala, anxietatem, desperationem, tabem ex mœrore & timore futurarum calamitatum, vt doceat tantam temporum horũ angũstiam fore, omniumq; rerum asperitatẽ, vt multi non alia de causa, nisi animi mœrore extinguantur. Nõnulli etiam intuentes in tantam rerum omnium confusionem, vehementer animis angentur, dubitantes, quorsum tandẽ ista eruptura & euasura sint. Atque hæc priuata ferè mala sunt, quæ domi suæ, vel certè in suo quisq; animo sentiet atq; experietur. Foris verò publicę calamitates grassabũtur, dissensionibus, discordijs, & bellis ardebit terrarũ orbis. Et quidem in Ecclesia ipsa aliæ atq; aliæ opiniones de religione disseminabũtur: vt labefactato fundamento, à simplicitate fidei auertãtur homines, & in dubitationẽ exitialem adducantur, quasi certi nihil sit reliquum, quo niti cõscientia satis

posiit

posſit. Huius mali quanta ſit magnitudo, non verbis explicari ſatis poteſt. Equidem cum ad ſuperiores miſerias, quibus corpus potiſsimum affligitur, etiam hæc accedit opinionum de religione varietas atq; cõfuſio: haud ſcio an maior acerbitas poſsit vlla inueniri. Et hanc tamen futuram eſſe, & eſſe iam, ex prædictione filij Dei & experientia ipſa ſcimus.

Adiungamus nunc ad has diuinas comminationes & illuſtres filij Dei prædictiones, Aſtrologorũ vaticinia ex legibus immotis corporum cœleſtium ſumta. Eclipſin pariet hic annus, vnam Lunæ: cõgreſſus verò Planetarum complures, vnum Saturni & Martis, coëuntium in decimo quinto gradu Aquarij, *21.* die Martij. Alterum Iouis & Martis oppoſitorũ ſemel 11. Septembris, & iterum 17. Octobris. Conſequentes anni multò plures & terribiliores afferent. Etſi autem aſtris non diuinã, ſed naturalem vim effectionemq; tribuo: tamen bellè ea cùm prædictionibus diuinis conuenire videmus. Quid enim obſtat, quo minùs creaturis ſuis vtatur Deus, velut præconibus, poſt ſanctum verbum, ad denunciandum & declarandum ſuam iram, aut gratiam? Sic profectò, cum verbum

verbum Dei extrema mala nobis hoc tẽpore minetur: quidni aſtra etiam talia nobis portendere credamus? Dicimus ergo Eclipſi huius anni malignisq́; configurationibus ſuperiorum Planetarum denunciari nobis calamitates, angores, miſerias, caritatem, famem, peſtem, ſanguinis profuſionem, cædes, inde rythmi ſunt facti Germanici, qui ſic Latinè habent:

Quem non peſte ſua rapit octogeſimus annus,
Atq; ſequens cuius non necat ora fames:
Tertius horrenti Mauors non enſe trucidat:
Hic mala multa bonis mixta referre ſciet.

Etſi enim iniens annus octogeſimus grauis eſt futurus vehementer, peſtilens & aduerſus: tamen illi qui hunc excipient, multò triſtiora minantur, vt penè initium calamitatum ingentium hunc præſentem dixerim. Adeò cum ipſis annis augebuntur miſeriæ, vt ſequens ſemper præcedentem exuperet, donec tandẽ octogeſimus octauus vel πανολεθείαν, vel mutationem tantam afferet, vt concuſſa, labefactata & euerſa videantur eſſe omnia. Is enim, ſi quid modo celeritatem aduentus filij Dei tam diu retardabit. Prorſus fatalis eſt, propter coniunctionem omnium Planetarum

netarum, quæ anno octogesimo quarto in Arietis signo, trigono igneo futura est, cõgruens omni ex parte cum paucis illis Planetarum synodis, quæ certis interuallis in cœlo factæ sunt. Prima quidem in ipsa creatione mundi, à qua cœlum conuersionis suæ initium duxit. Secunda circa diluuium. Tertia circa Mosi natiuitatẽ. Quarta circa illud tempus, quo natus & in lucem editus est Elias. Quinta circa natiuitatem Messiæ & initium Monarchiæ Romanæ. Sexta sub Carolo Magno, cum Imperium Romanum ad Germanos translatum est. Septima erit illa ipsa, quam annus octogesimus quartus dabit. Nec tam diu duratura est hæc mundi machina, vt confecta tot annorum periodo, octaua eiusmodi Planetarum congressio contingat. Postrema igitur illa erit, & fatalem huic mundo absque dubitatione portendit interitum. Cuius rei coniecturam vel hinc capere possumus, quòd semper antegressis, vel non multo pòst secutis talibus Planetarum Synodis, ingens mutatio in orbe terræ accidit. Et septenarius numerus perfectus habetur. Tum Deus etiam ipse, consummato iam creationis opere, septimo die quiescẽdum putauit. Postremò naturæ quadam vi &

vi & efficacitate crisis septimo diei, & anno septimo ætatis cuiusq; hominis inest. Vt ergo mutationes singulas, singulæ superiores coniunctiones pepererunt, & septimo die quieuit Deus, eodemq; die & anno in morbis & ætatibus hominis insignis mutatio fieri solet: sic sperabimus septimũ illum & vltimum Planetarum omnium in ariete congressum, finem hisce miserijs vniuersalem esse allaturum. Hunc consensum diuinarum prædictionũ cum Astrologicis considerare, non solùm vtile est, sed vehementer etiam necessarium. Ac vt maximè aliquis Astrologica hæc fastidire velit: non potest tamen propter diuinarum comminationum & prædictionum cum hisce conuenientiam: tum propter ipsius etiam filij Dei mandatum, qui iubet nos talia signa in cœlo & in terris attentè notare atque cogitare.

Sed quid? an non res euentusque iam tum prædictiones tam sacras, quam astrologicas satis comprobat? quis adeò est ferreus, aut rerum humanarum imperitus, quin sentiat in sese nimis vera esse, quæ expresse verbum Dei & præcones operum diuinorum, stellæ, iampridem denunciarunt? Quæ mali species, vel vt Thucididęa

vtar voce. Idea procul à nobis abest? an nō fames pleno gradu ingressa, vbique ferè iam nos vrgere incipit? quanta omnium rerum penuria? quanta victus tenuitas? quàm acerbæ sunt querelæ de peruersitate, superbia, asperitate, inhumanitate, perfidia & fraude hominum? Pigere profecto tæderéque incipit multos vitæ huius tam ærumnosæ & turbulentæ. Videas miris modis diminui omnia, languescere naturam ipsam, defatigari terram, exhauriri opes & facultates hominum, deficere vires & intercipi omnes ferè aditus ad parandum necessarium victum, & propterea ad inopiam redigi plurimos. Contra verò crescere luxum, augeri superbiam, cumulari sumtus vestium & ornamentorum supra omnem modum: vt vix anni sex aut octo abeant, quin forma noua vestimentorum introducatur, explosa veteri. Interim friget omnis honesta liberalisq; officiorum communicatio, non fides, non candor, non sinceritas, non constantia in dictis aut pactis reliqua est. Cessat coniunctio, familiaritasque illa, quæ maiores nostros maximè oblectauit, & quasi quoddam pabulum aluit atque recreauit. Euanuit omnis libertas aut παῤῥησία com-

communicandi ſententias de politicis pariter & Eccleſiaſticis negocijs aut controuerſijs. Nemo ferè eſt qui audeat amplius ſeſe, conſilia, curas aut cogitationes ſuas alteri committere, vel in ſinum eius effundere. In religione quàm immane ſit diſsidium, omnes ſani experiuntur. Quid igitur? an non vſu ipſo edocti tandem fatebimur omninò id accidere nobis, quod poſtremo tempore mundi euenturum eſſe filius Dei vaticinatus eſt? cum dixit, in terris erit anxietas gentium. Quæ eſt anxietas niſi hæc eſt? cum adeò anguntur animi, vt rebus deſperatis præter mortem nihil optandum ſibi putent.

Etſi autem multos hic ſenſus communium malorum non attingit, vtpote qui vel commodis huius mundi affluunt, vel neſcio, quomodo vſu obduruerunt & percalluerunt: tamen maxima pars vel tacitum in animo mœrorem circumfert, vel querelis, lamentisque dolorem ſuum declarat. Nec aliter prædixit filius Dei, quàm fore, vt quo propius ad finem hic mundus accedit, eò ſecuriores ſint homines impij, præſentibus ſcilicet commodis frui, libidinéq; animi explere cupientes, antequam vel morte, vel ipſo filij Dei aduentu opprimantur.

mantur. Ergò illi tantùm miſerias & calamitates huius poſtremi temporis potiſsimum ſentiunt, quos filius Dei ex turba & colluuione huius mundi excerpſit, quiq́; verbum Dei ad ſe pertinere arbitrantur. Hi ſunt quos filius Dei alloquitur, & admonet, cum inquit: Erit anxietas in terris. Niſi enim angore doloreq́ue crucientur, cum ſecura impiaq́ue turba in diē viuunt, nec liberationem à malo expetunt.

Vt autem natura fit, cum ex vaſe feces cum liquore exeunt, vt fundum neceſſario attingatur: ſic ruente iam mundo ad finem ſuum, turbulenta eſſe omnia neceſſe eſt. Eſt ergò hæc quoq́; cauſa haud prætereunda, cur maiore calamitatum mole, hoc poſtremo tempore premamur, quod exhaurire nos oportet omnem ſentinam mundi, quæ in nos, tanquam in fundum confluxit, extremumq́; furorem Diaboli & organorum eius perferre.

At quæ tandem in his tot tamq́; acerbis malis ſpes nobis miſeris relicta eſt? ecqua conſolatio nos manet? equidem ſi eadem ſors piorum & impiorum futura eſt, præſtat hic cum cœtu impio lætari, quàm cum pijs tam duriter exerceri. Hîc audite dulciſsimam vocem filij Dei, qui ſic nos mœ-
ſtos

ſtos & conſternatos compellat: Hæc cum fieri incipiunt: ſuſpicite & attollite capita veſtra. Iam qui ſuſpicit, caputq; erigit, ex luctu ſqualoreq; emergit, & perfugium ſolatiumq; certum nouit. Cùm ergo ſuſpicere iubet nos filius Dei, & erectos inter tãtas confuſiones atq; anguſtias ſtare, ad ſpẽ melioris ſortis certè nos prouocat, & magno inuictoque animo vt ſimus, monet. Quemadmodum Cyprianus in ſermone de immortalitate ait: Quãta pectoris magnitudo eſt, quanta ſublimitas inter ruinas generis humani ſtare erectum? Etſi igitur mala horrẽda hoc ineunte anno nobis pertimeſcenda ſunt: tamẽ aſperſa ſunt etiam bona maxima & ſaluberrima, quæ lenire mœſticiam & allicere ad lætitiam nos omni iure debent. Quæ verò? Inprimis ſanctum & viuificum Dei verbum, quod ſonat, Dei beneficiò, in templis, ſcholis & ædibus noſtris, quodque nobis ad bene de omni ſalute animæ & corporis ſperandum, quaſi ſignum aliquod tollit. Vbi enim DEI verbum eſt, ibi certiſsimè eſt DEVS. Vbi ſonat hæc vox CHRISTI: ſuſpicite, erigite capita veſtra: ibi abſque vlla dubitatione præſto eſt ipſe Chriſtus viuaque conſolatione cor perfundit & reficit.

Vbi porrò Deus eſt, & filius eius cum Spiritu ſancto ibi bonorum vbertatem & copiam eſſe neceſſe eſt. Iccirco per bono loco res noſtra eſt, dum verbum Dei genuinum & incorruptum habemus, dum Sacramentorum vſum integrum inuiolatumq́ue retinemus. Id enim boni habitura eſſe hæc poſtrema tempora, ipſe Chriſtus vaticinatus eſt, cum inquit: Prædicabitur Euangelium hoc regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gẽtibus. Sint igitur temporis huius tempeſtates maximè turbulentæ procellis, fluctibus, ventis & turbinibus vndique refertæ: non tamen malè nobis eſſe prorſus poteſt, quia Euangelium purum habemus, & cum eo theſaurum cœleſtium bonorum tenemus.

Vtrumque prædixit CHRISTVS, & ingentes fore in mundi fine confuſiones, anxietates & afflictiones, cum ait: Tunc plangent omnes tribus terræ: & ſolatia etiam nobis non defutura, dum in his acerbiſsimis malis iubet nos benè ſperare, & animum excelſum inuictumq́ue gerere, quod Euangelium ſonat paſsim in ciuitatibus, templis, ſcholis, & priuatis ædibus. Id enim tantam vim habet, vt mœſtos

ſolari,

ſolari,iacentes erigere, & deſperabundos recreare, viuificareq́ue poſsit. Hoc igitur amplectamur, hoc noſtras miſerias leniamus,hoc moleſtias,ægritudinem,metumq́ue omnem abſtergamus. Non cadere hoc aut ſuccumbere dolori, curis & angoribus nos patietur, ſed ex ipſis etiam fati mortisq́; faucibus nos eripiet.

Habet autem filius Dei cauſam,cur nos bono animo eſſe iubeat: quia, inquit,iſta extrema mala & colluuies illa calamitatum, in poſtremo mundi tempore, certiſſimum ſunt ſignum appropinquantis redemtionis veſtræ. Iam verò quid eſt redemtio hæc,niſi liberatio ab omnibus malis?Affligi itaque nos,premi,vrgeri,& immergi calamitatibus oportet, vt inde tanquam ex fluctibus emergentes læti tandem extrahamur, & portum quietemq́ue optatam iuueniamus. Quantum verò bonum eſt, quod liberatio nobis tam propinqua & certa offertur? quis non iure omni lætetur? cùm in calamitatum concurſu liberationis certam ſpem proſpicit? quoties igitur cœlum hoc vel aſpectus malignos,vel coniunctiones diras,vel terras luminis Solaris aut Lunaris obſcurationis exhibet: quoties aër vel cometas vel

 impreſ-

impreſsiones horrendas ante oculos proponit: quoties terra vel ſterilitatem minatur vel fruges denegat: quoties vel cura victus nos ſolicitat, vel hominum improbitas & malicia ſumma offendit: quoties aduerſa alia ſuggeruntur: toties ſignum nos videre putemus aduentantis redemtionis noſtræ. Sunt enim iſta omnia quaſi quidam nuncij & præcurſores iam aduenturi ad liberandum nos filij Dei. Eſtq; argumentum firmiſsimum hoc à ſignis ad ſignatum: Signa appropinquantis redemtionis noſtræ in conſpectu noſtro poſita ſunt. Mox igitur redimi nos, vel certè non longo poſt interuallo oportet. Non enim ludere nos cupit filius Dei, ſed talia ſigna vult eſſe ſui aduentus indicia: vt cum iſta cernimus, de aduentu ipſius ſpem certam concipiamus. Quamuis igitur triſtia habeat hic annus præſens multa & magna: tamen triſtia ſunt illis qui ſpem redemtionis non habent. Nobis vero læta ſunt, qui de appropinquante aduentu noſtri liberatoris per ea admonemur & confirmamur.

Sic igitur ſtatuamus, ingredi quidem nos annum luctuoſum atq; funeſtum: ſed appropinquare regnum perbeatū in cœlo nobis

nobis paratum, & signis quamplurimis, tanquã argumentis, demonstratum. Cùm qua quidem vita conferre si volemus, quæ hîc nobis accidunt mala & aduersa: vix vmbra esse videbuntur. Quæ est enim finiti ad infinitum proportio, comparatióue? Præclarè Macari⁹ homilia 15. Si quis ab eo tempore, quo conditus est Adam, vsque ad finem mundi militasset contra Diabolum, & omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusq; pertulisset: nihil tamen magnum fecisset, respectu gloriæ, quam consecuturus est, in qua infinitis seculis cum Christo regnabit. Ex quo etiam Paulus decernit afflictiones huius tẽporis nullo modo pares esse gloriæ venturæ. Quamobrem parati simus ad suscipiendas atq; tolerandas hasce breues calamitates, & læuia hæc incommoda: magno excelsóq; feramus animo quòd dum respicimus, & quod aiunt, vertimus nos, redemtio aderit.

Non est quòd dum in hac carne, & in hoc maligno Diaboli hospitio hæremus, immunitatem nobis à metu, cruce, solicitudine, periculis, angoribus polliceamur. Certa hæc sunt & vel iam nos premunt, vel ceruicibus nostris impendent, mox irruptura. Quemadmodũ dulcissimè inquit Augu-

Auguſtinus Pſalm 39. Quantum accedunt dies,augentur tribulationes. Nemo ſibi promittat, quod Euangelium non promittit.Non nobis promittunt ſcripturæ noſtræ in hoc ſeculo, niſi tribulationes, preſſuras, anguſtias, augmenta dolorum, abundantiam tentationum. Ad iſta nos præcipuè paremus, ne imparati deficiamus.

Hæc nos meditari in anni huius noui ingreſſu pium & iuſtum eſt; vt mala quidem plurima nos manere ſciamus: ſed eadem tamen hæc conſolatione verbi diuini,quaſi quodam ſuccu dulci aſpergi atq; leniri meminerimus. Si itaque quis dixerit infauſtum,infelicem, calamitoſumq; fore hunc ineuntem annum:huic reſpondeamus: at bona tamen ingentia his malis commixta eſſe,& quidem tam ſolida & magna, vt præſentes ærumnas vel obſcurare vel certè attenuare atque imminuere poſsint. Doleat, inquies, hoc anno omnis homo. At ego contra: Gaudeat hoc anno omnis Chriſtianus; quia quò magis accumulantur mala temporis,eò propior eſt & certior noſtra redemtio. Patientia interim nobis opus eſt, vt in hoc peruerſo mũdo integrè caſteque verſemur, ne capi nos,

cor-

corrumpi aut ſeduci vllis illecebris, commodis aut voluptatibus patiamur. Tum patientia etiam altrice opus eſt precatione diligenti & ſeria, quæ fide firma tanquam radicibus nixa, in cœlum ipſum penetrat, & nos in cœtum beatorum collocat. Fremat igitur mundus, ſæuiat Diabolus, graſſentur hoſtes, vrgeat egeſtas, vexet morbus, & mala plurima concurrant: non tamen auellere nos à ſpe liberationis & cœleſtis gaudij poterunt. Quia pendemus à Deo qui cadere nos non ſinit, nec in ſe cõfidentes vllo vnquam tempore deſerit. Hæc ſpes vt altè in mentibus noſtris poſita atque infixa ſit, aſsiduis votis à Deo contendamus, ſic orantes:

Ingens eſt ira tua, ô Devs, aduerſus peccata noſtra, quibus, heu nimium, te offendimus, & quocunque aſpicimus, nihil niſi pericula & pœnas nobis impendere cernimus. Nam & lex tua quaſi quædam fulmina comminationum in nos iactat, & cœlum infauſtis ſuis aſpectibus, caritatem annonæ, peſtem, bellum, & angores horrendos portendit. Tum Sol quoque ipſe tanquam refugiens ſcelera noſtra, lumen & calorem retrahit, terra horridior facta ſterilitatem minatur, homines inter


ſeſe

ſeſe ipſi ſceleribus & mutuis conuicijs, iniurijs, odijs & inſectationibus graſſantur, nec quicquã ferè mali reliquum eſt, quod hoc præſens tempus non ſecum trahat.

Fatemur autem, has calamitates iure omni euenire nobis, & multò grauiora nos promeritos eſſe: quia verbum tuum habemus; & tamen illi neque credimus, neq; obtemperare ſtudemus, ſed in diem viuimus, & pluris mundana hæc, quàm cœleſtia bona facimus. At tu noli ſpectare noſtra malefacta, quæ horrenda ſunt, ſed recordare immenſæ tuæ bonitatis & miſericordiæ, quam in verbo tuo promiſiſti, & omnibus patribus noſtris cumulatè præſtitiſti.

Ecce enim abijcimus nos ad pedes tuos, & ſupplices gratiam tuam miſericordiamque imploramus, quæ vtique maior & vberior eſt, quàm tota peccatorũ noſtrorum moles. Propter hanc itaque auerte à nobis iram tuam, & noli obliuiſci te Patrem eſſe noſtrum, ad quem aditus nobis per CHRISTVM mediatorem patefactus eſt, & cuius aures querelis liberorum patere ſemper debent. Mitiga ærumnas temporis huius formidoloſiſsimi, & annum hunc ineuntem benè, proſperè, feliciterq ue

citerque euenire ſine. Cuſtodi Principem noſtrum, patrem Eccleſiæ & ſcholæ huius. Serua & auge ſtudia artium & literarum, & tuere diſciplinam inter nos. Effice, vt in mandati officij munere caſtè integréque verſemur, & arbores ſimus iuſtitiæ, & plantatio Domini ad glorificationem. Ne abijcias nos in hac vltima & delira ſenecta noſtra: ſed geſta nos, foue, & animum viresque adde, ne in tanta vi tempeſtatum, & concurſu calamitatum, quas cœlum & tota ferè naturæ facies nobis minatur, frãgamur, aut ſuccumbamus: ſed læti identidem oculos & animum in cœlum referamus, & redemtionem noſtram peroptabilem filij tui aduentum totis animis expetamus. Nihil enim miſeris nobis, in hiſce ruinis & confuſionibus poſtremi temporis, reliquum eſt ſolatij aut ſpei, præter hanc vnicam redemtionis, & aduentus tui Iesv Christe. Quare veni, accelera, propera, noli tardare, Amen.




Ora-

Oratio XV.

DE IOACHIMO CAMERARIO habita iu Academia Erphordiana, Anno Christi 574.

SI qua eſt in me pietas, quam mihi omni ætatis meæ tempore confiteor curę magnæ fuiſſe: Aut ſi qua dicendi facultas, quam perexilem in me eſſe non inficior: Vtramq; rem decet me in deploranda grauiſsimi viri IOACHIMI CAMERARII morte declarare. Nam & priuata eius in me merita ſunt multa: Et extant tot ingenij illius monumenta publica, vt nulla ſit regio, nulla ciuitas, nulla ſchola, nulla penè priuata domus, quæ non laborum ipſius fructus vberes diuturnosq; capiat. Quod ſi benemeritis laus tribuenda, & debita gratia referenda eſt: Non ſanè video, cui officioſa mea pietas, & vox hæc, quamuis inclinata, & mœrore nimium intercluſa, iuſtiùs ſeruire debeat, quàm huic ipſi Camerario, à quo tot bona tam cumulatè accepimus. Fateor autem vltro, & ingenuè, me de tanto viro dicere aggredientem onus ac munus ſuſcipere, quod neq; ſuſtinere ingenio, neq; exequi dicēdo poſ-

possim : facere tamen periculoso malo, quam hoc sanctum gratitudinis officium manibus Præceptoris nostri communis denegare. Ac vt de me dicam parciùs, multum interest huius scholæ, memoriam gratam, & prædicationem huius viri extare. Nam & Græcas literas in hac Academia, ante annos quinquaginta quinque docuit, & tempore toto vitæ suæ adeò Academiam nostram dilexit, vt & viros doctos quibus familiariter, dum hîc versatus est, vsus fuerat, mirificè scriptis suis celebrârit, & mihi sæpe, ne hanc cōtabescentem egestate, & squalore deserem, suasor fuerit. Sic igitur statuamus, bonam magnamque partem luctus tristis, & acerbi, quem mors tanti viri peperit, ad nos quoque pertinere; nisi prorsus ingrati in tam benè meritum virum esse volumus. Ego quidem ex innumeris, quæ dici possunt, ea tantū excerpā, quæ nobis vsui esse maximè videntur: Primùm dicturus quanto studio, atq; animi impetu, inde ab annis primis, vsq; ad senectam vltimam in eas literas, quibus nihil est, neque specie ornatius, neque vsu vberius, incubuerit: Deinde quantum vtilitatis ad Ecclesiam, atque adeò vniuersam rempublicam Christianam attulerit: artes liberales.

Tum quam cladem, atque interitum studiorum, ac disciplinarum in his regionib. mors eius portendat. De his igitur vt me breuiter verecundeque loquentem, æquis animis attendatis, modis omnibus oro. Ab alijs verò, quibus plus est concessum ingenij, maiorque dicendi vis, atque copia suppetit, cætera, quæ sunt amplissima omnia de hoc viro expectate.

Est quoddam genus studiorum, quod φιλολογία appellatur, & in colendis, perpoliendisque literis, & artibus bonis totum versatur. Hoc qui consectatur, φιλολόγος nominatur, qui est studiosus literarum, & artium ingenuarum. Complectitur autem hoc studium vniuersam doctrinam literarum, vtriusq; linguæ, Latinæ & Græcæ tantam, quantam mens humana studio & industria assequi potest. Artificem in hoc genere fuisse Adrianum Imperatorem accipimus, in quem tale extat elogium, apud Dionem: φύσει φιλολόγος ἦν ἐν ἑκατέρᾳ τῇ γλώσσῃ, καὶ τινὰ πεζὰ, καὶ ἐν ἔπεσι ποιήματα παντοδαπὰ καταλέλοιπε: Natura amans erat literarum vtriusq; linguæ, & multa scri-

ſcripta, partim ſoluta oratione, partim carmina compoſita reliquit. Hoc eodem modo de noſtro Camerario prædicare omni iure poſſumus. Fuit enim à teneris, vt Græci dicunt, vnguiculis, penitus huic ſtudio deditus, quod artium omnium, & diſciplinarum fundamenta perueſtigat; & ſplendorem, firmamentumque illis conciliat. Nihil vſpiam eſt ſcriptorum Latinorum, aut Græcorum, nihil habét Oratores, nihil Poëtæ, nihil Theologi Græci, nihil Latini, quod ille nõ accuratè, cogitatequе euoluerit, proſpexerit, & enodarit. Nihil eſt in omni genere doctrinæ eruditæ tam abſtruſum, tam reconditum, tamque obſcurum, quod ille non diligenti meditatione eruerit, aut ſua explicatione illuſtrarit. Neque ad tempus operam huic ſtudio dedit, ſed vſque immoratus eſt: nec quod primis ætatis annis delegerat, in ſenectute ſumma deſeruit. Non enim vigiliæ, non labores, non contentiones, non difficultates vllæ fregerunt, aut deterruerunt. Quin eadem, quæ iuuenis præceperat, ætate ſenili docebat, niſi q. ætatis, iudicijq; maturitas alium quaſi habitũ, atq; colorẽ orationi eius cõciliauit. Mirum fuit eius ſtudiũ, incredibilis indu-

ſtria, rara legendi & ſcribendi ſolertia, & aſsiduitas. Conſtantia verò in ſuſcepto vitæ atque ſtudiorum curſu tanta, vt ab eo nullis illecebris, nulliſque honoribus, aut commodis proprijs, quantumuis ſpes eorum magna oſtenderetur, dimoueri ſeſe paſſus ſit. Inuitabatur enim ſæpenumero ad ea officiorum munera, quæ & autoritatis pondere, & emolumentorum copia ſcholaſticam militiam longè ſuperabant. Verùm is tamen Philoſophico planè animo has non quidem corruptelarum, ſed honorum illecebras repudiabat, & Spartam ſuam, quamuis in vmbra deliteſcentem, nullis opibus, nullo ſplendore hominum perſtringentem oculos vnicè ornare, ſancta faciendo, & vtilia docendo, ſcribendoq́ue pergebat. Eſt hoc exemplum rarum & præclarum, ita contemnere poſſe ea, ad quæ totus mundus, tanto rapitur impetu, vt ad illa conſequenda omnes ſuos conatus à primis vſque annis vnicè referat. Quotus enim quiſq; eſt, qui non eum ſibi ſtudiorum finem ſtatuerit, vt per ea honores, autoritatem, & diuitias adipiſcatur? Immo tanta eſt in pleriſque harum rerum cupiditas, & ardor, & vt citius hos, quos ſibi propoſuerunt ſtudiorum

lum fructus appetant, quam probè quicquam, aut solidè in discendis literis profecerint. Quo certè maior est huius viri laus maiorque admiratio, qui ex infinitis penè vnus est inuentus, qui in his studijs colendis ita vixerit, vt eum neque spes commodorum, neque honoris nitor abstraxerit, neque voluptas auocârit, neque deniq; somnus retardârit. Facerẽ haud absurdè, si requiem nullam, neque animi, neque corporis concessam, atque relictam illi dicerem, propter incredibile istud studium, quod euoluendis, scribendisq; tot, tantáque cura, ac meditatione libris tribuit. Sed par fortasse studium in paucis illis, & præclaris Philosophis fuit. Aristotele, quem ἀναγνώστην eo nomine appellauit Plato; Demost. q plus olei, quàm vini cõsumsisse perhibetur: Nec minùs etiam curæ, atque diligentiæ in D. Philippo fuit, & aliquanto plus etiam, nisi quid me fallit, naturæ siue ingenij ad perpolienda hæc studia, quibus operam tantam nauauit Camerarius: sed alia negotia, & occupationes illum abstraxerunt, Ecclesiastica scilicet, q̃ adeò eum tenuerunt districtum, vt vix respirare, & interuallo interdum lõgo regustare has literas ei licuerit. Camerario igitur nostro

ſtro penè ſoli admirando Dei beneficio atque conceſſu tributum eſt, vt in hoc ſeculo literas illuſtraret, & omni cura, cogitatione que in id incumberet, vt genus ſermonis in autoribus Græcis & Latinis ſic declararet, vt fructum ingentem Eccleſiæ, & Scholæ inde perciperent. Hoc beneficium Dei, non ſolùm magni eſt faciendum, ſed exemplum ipſum etiam intueri debemus, vt admiratione eius incendamur ad ſimilis diligentiæ, & induſtriæ curam atque imitationem.

Sic enim habete Studioſi optimi, ducem eſſe gregis Scholaſtici egregium καὶ ἀξιόζηλον hunc noſtrum Camerarium, à quo etiam exempla ſtudij, & induſtriæ eximiæ ſumere conueniat. Etſi enim non omnibus conceditur in his ſtudijs ætatem conſumere, quod huic noſtro Coryphæo, καὶ διαδέχω contingit: omnibus tamen par diligentia in cultu bonarum artium atque diſciplinarum neceſſaria eſt. Id quod præcepto Heſiodico docemur, cui hæc addita eſt clauſula: ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Oportet enim vtique initium doctrinæ omnis liberalis, atque ſalutaris

ab his literis fieri, quæ disciplinarum omnium fontes continent, & subsidia necessaria cæteris artibus afferunt. His nisi instructus satis ad superiores disciplinas accedas, aut nihil aut parum proficies. Sed ad ducem nostri chori reuertor, qui & exemplū est industriæ in legendis, discendis, & perpoliendis literis & artibus ingenuis, & monumenta ingenij & diligentiæ suæ tot nobis post se reliquit, vt scriptis & commentationibus ipsius non minus, quàm voce viua omnis posteritas eruditior sit euasura. Nisi fortè (quod omen tamen Deus clementissimus procul auertat) ea secutura sunt tempora, & ij mores futuri, vt nihil loci bonis artibus, aut disciplinis sit reliquum: aut ingratitudo tanta hominum animos occupatura est, vt nihil tam eruditè vtiliterque scriptum ab antecessoribus reperiatur, quòd non dente liuido morosi scilioli arrodant, temeritate conuellant, ambitione in odium adducant, & ita extenuent, aut cauillentur, quasi nihil ad Ecclesiæ doctrinam, vel ad alias doctrinas intelligendas, explicandasque faciat, vel his potius officiat. Quod quidem de Camerarij οἰκείου φίλου, καὶ συμφιλοσόφου

Philippi Melanchtonis ſcriptis multi facere hactenus conati ſunt, & adhuc facere in animo habent, quibus tamen nihil melius, nihil deſertius, nihil vtilius hic Sol magnus, hoc noſtro ſeculo editum vidit. Verùm de talibus fucis dico parciùs, ne carbrones, quod aiunt irritem. Vos tantùm Srudioſi amantiſsimè cohortor & oro, vt ſcripta horum duorum Luminum Germaniæ magnifaciatis, & ſedulò, accurateq; legatis: Reperietis, mihi credite, theſaurum eruditionis veræ, non ambitioſæ, non fucatæ, non contentioſæ, tantum, quantum vix in vllis alijs autoribus licet inuenire. Hos ſcitote eſſe apes Atticas, ex his mel ſalubre petite, & doctrinam natiuam, & vtilem ſumite. Fucos verò animo magno, & celſo contemnite, quorum iudicia non vitioſæ nuci adæquanda ſunt. Quid enim habent, quod oſtentent, aut quo glorientur? legerunt aliqua. Camerarius verò noſter euoluit, & ſcrutatus eſt omnia. Scribunt libros, at quomodo? Verbis quomodocunque conſutis, barbaris, ſordidis, ſiue delectu, ſiue diſcrimine coaceruatis. Hîc verò noſter oratione vtitur pura, & antiquitatem redolente. Docent illi ſic, vt aures compleant ſonitu, & animos feriant plau-

plausibilitate. At hic noster simpliciter, planeque verborum rerumque momenta explicat, & digitum semper ad fontes intendit. Vt autem simplex veritatis sermo fucata omnia, quantumuis maximè splendentia, & turgentia facilè vincit: Ita nolite dubitare, Studiosi Deo & Musis cari, quin Domini Camerarij doctrina, quam partim viua voce tradidit, partim literis prodidit omniũ sciolorũ speciosæ scientiæ, atq; loquentiæ lõgè præferenda sit. Sed satis fortasse multa de Camer. studijs, vel plura & iã, quàm patitur instituta breuitas, quibus hoc vnum si adiunxero, abunde me dixisse putabo: Tot scripta nostrum Camerarium euoluisse tantos labores, curas, vigilias, lucubrationes sustinuisse, quot & quãtas nemo nostrûm ne tacitus quidem ausit optare, nedum perferre & exhaurire.

Quid verò putabimus: ipsine Camerario nostro soli, aut nonnullis tantùm eius tam præclari, tamque admirabiles profuerunt labores? Hîc quorsum quidque pertineat, quæso diligenter attendite: efficiam profectò, vt intelligatis, thesaurum eruditionis saluberrimæ, & nunquam intermoritutæ ab hoc viro Scholis, Ecclesiæ & toti adeo Reipublicæ Christianæ partum

atque relictum esse. Ea est enim animi ingenuis artibus atque disciplinis exculti natura, atque vis, vt se ipso contentus non sit, sed largè liberaliterque cum plurimis sua communicare gestiat, communemque fructum suum, honorem, commodumque ducat. Id quod Græca etiam nos facere iubet sententia: χρὴ μουσῶν θεράποντας, οὐ φθονερούς τελέθειν, ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσθαι, τὰ δὲ δεικνύναι. Sic igitur Camerarius noster studia sua instituit atque moderatus est, vt altera quasi manu plurima comprehenderet, ac conquireret; altera verò ad vsum communem, quæ legerat & meditatus erat, conferret. Nihil est quod ille magno labore partum, non benignè nobis, & posteris omnibus impertitus sit. Testes sunt tot ingenij monumenta, tot libri editi, tot erudita scripta, quæ post se reliquit, tot item consilia salutaria studiorum & actionum, quæ ex doctissimo & sanctissimo illius pectore, velut ex fonte sacro manarunt. Habemus Grammaticæ bellum in vtraque lingua à Domino Philippo conscriptum, à Camerario verò elaboratum, & numeris penè omnibus absolutum. Habemus Orthgraphiam

phiam expolitam,& ad antiquitatis castæ, puræq; consuetudinem reuocatam. Hinc quantum referat, quibus quæque dictio literis rectè scribatur, didicimus. Per hunc non monumenta tantùm & pondera, verumque sermonis vsum in autoribus Latinis, sed natiuam faciem antiquæ & integræ linguæ Romanæ cognoscimus. Ab hoc Plautum à mendis repurgatum, & scholijs illustratum accepimus. Huic magnam partem restituti Ciceronis acceptam referimus: per hanc aditus ad intelligendum Herodotum & Thucydidem nobis patefactus est. Huius ductu Homeri & Sophoclis verba, phrases, dialectos, figuras, inuolucra, somnia, artificium, & dogmata penè omnia intelligimus. Huius opera & beneficio multos Autores Latinè legimus, quos nisi Græcè eruditus antea intelligere potuit nemo: Huius industria multi vtilissimi Autores partim in lucem è tenebris prolati sunt, partim à mendis vindicati. Quare ex illius laboribus sempiternũ fructũ pceptura est omnis posteritas in Scholis & Academijs, quæ liberalia studia & artes bonas fouent atq; propagant. Iccirco etiam memoria huius viri nunquã abolebitur, neq; conticescet laus

laus eius, quam diu superstites erunt literæ & stabunt Scholæ. Non puer, non adolescens, non discipulus, non professor erit, qui non hoc duce, atque præceptore sentiat se in percipienda aut tradenda doctrina plurimùm iuuari. Neque verò scholæ tantùm, sed ipsa etiam Ecclesia Christiana fructum studiorum, atque scriptorum Camerarij vberem, diuturnumque perceptura est. Extant enim illius interpretationes luculentæ complurium Orationum sanctorum in Ecclesia Græca patrũ: extat historia Ecclesiastica Theodoriti ab hoc in sermonem Latinũ conuersa. In medio est Chronologia Nicephori ab ipso versa, & edita cum appendicibus totam fere χρονικὴν πραγματείαν complectentibus atque illustrantibus. Sed omnes eius lucubrationes, quantumuis præclarissimas superat, & vtilitatis magnitudine, & laboris diligentia opus illud eximium in quo figuras sermonis, verborumque significationes, & sententiam orationis in libris noui Testamenti exposuit. In eo enim omnẽ verborum vsum, & rerum ipsarum pondera ex verbis rectè collatis, atque considératis petita, sic explicare studuit, vt omnis vis atque Emphasis sermonis Christi &

Apo-

Apoſtolorum inde æſtimari atque intelligi poſsit. Hinc diſcimus, quæ verba propriè, quę figuratè intelligi à nobis diuini illi autores velint: vbi more, exemploq; Græcorum, Demosthenis, Herodoti, Sophoclis & aliorũ loquantur, vbi verò contra conſuetudinem illorũ phraſes Propheticas & ἑβραΐζούσας vſurpent atque inculcent Eccleſiæ diſcipulis. Hanc curam atque animaduerſionem in libris Euangelicis & Apoſtolicis, ſi quis tanquam infrugiferam, aut non admodum neceſſariam, opinione vel verbis attenuat, nihil is de intelligentia, aut interpretatione ſacrarum literarum tenere iudicandus eſt. Oportet enim de rerum ſententia & veritate non aliundè, niſi ex verbis ipſis rectè ponderatis, & inter ſe collatis, iudicium fieri. Nec certus eſſe de ſententia quiſquam poteſt, neque dogma tueri illum, qui vim verborum, ſermonisque naturam & vſum ignorat. Vera eſt enim, & omnium temporum atq; doctorum teſtimonio comprobata vox, quæ affirmat: τοὺς μὴ μανθάνοντας ὀρθῶς ἀκούειν ὀνομάτων, κακῶς χρῆσθαι καὶ τοῖς πράγμασι, eos qui non tenẽt rerum vocabula, aberrare in rerum ſcientia & vſu.

Et

Et Aristotelis dignissimum est memoria dictum, de his qui vocum vim ignorant, quòd perinde decipiantur, siue differant ipsi, siue alios audiant, vt falluntur in computando imperiti Arithmetices. Vtinam igitur persuaderi hoc discentibus posset, vt sensum concionum Christi & Apostolorum ex his fontibus hauriendum esse ducerent. Ita profectò fieret, vt in vno verbo Christi, aut Pauli plus ponderis situm esse intelligerent, quàm in commentatione prolixa, quæ ab his fontibus aberrat. Cùm igitur hos fontes veræ cognitionis verborum Christi & Apostolorum nobis aperuerit Camerarius noster: quæ laus, quæ gratia par tanto beneficio inueniri potest? Nequeo verbis exprimere quod sentio, neque fidem etiam merebitur fortassis oratio mea: attamen hoc nihil dubitans confirmo, plus esse veræ eruditionis atque lucis in hoc Camerarij nostri commentario, quàm in multorum verbosis & speciosis expositionibus. In eadem laude pono præclarum eius vtriusque linguæ commentarium, in quo partes humani corporis, cum functionum nomenclaturis exposuit. Quid dicam de Catechesi? quam sermone Græco sic exarauit, vt & rerum

rerum & verborum bonitate omnes in hoc genere conscriptos libellos, post paruum illum & aureum Catechismum, quem Lutherus edidit, superet. Res profectò tanta luce, tamque commoda breuitate exposuit, nihil vt dici aptius, nihilque eruditius posit, sermonis autem genere tali vsus est, vt admirationi etiam Græcis ipsis esse posit. Eodem sermone etiam contra hostes religionis nostræ pugnauit, ac Latomi impiam assertionem de sanctorum inuocatione ita oppugnauit, vt facilè se victum ille sentiret. Cùm verò Antonius Eparchus Corcyreus, vir doctrina cœlesti & humana omni politissimus, natione Græcus, ad Philippum literas Venetijs misisset, quibus eum ad componenda Ecclesiæ & Reipublicæ Germanicæ dissidia hortabamur: Camerarius absente & cunctante Philippo in Vbijs, capita quædam eruditæ & piæ disputationis & responsionis sermone Græco conscripsit, adeo disertè, vt vix inter ipsum Germanum & Antonium Græcum discrimen agnoscas. Res miranda est, hunc hominem tantũ in literis Græcis cõsecutũ esse, vt cum quibusuis Græcis doctissimis cõparari iure omni posit. De hoc quod fuerit D.
Phi-

Philippi iudicium, vel ex epiſtola quadam cognoſci poteſt, qua ſic ſcribit ad noſtrum Camerarium: Hoc verè affirmare poſſum, cùm ab Atticis diſceſsi, nullius orationem mihi magis, quàm tuam placere. Credoq́ue adeò, quemuis mediocri ſaltem peritia linguæ Græcæ & iudicio præditum fateri, cum antiquitate ſapiente & erudita Camerarium certare. Quæ laus ſanè viri, atque adeò totius Germaniæ longè præclariſsima eſt, vnum ſic excellere Græcarum literarum peritia, vt Græcorum artifices attingat & adæquet: Ac cùm de Philoſopho tam eximio in cœtu Philoſophico verba faciam, & æquum eſt etiam de moribus eius nonnihil huic orationis aſpergere. Peruulgata eſt enim, & nemini ignota Ciceronis querela: Quotusquiſque Philoſophorum inuenitur, qui ita ſit moratus, ita animo ac vita conſtitutus, vt ratio poſtulat: Qui diſciplinam ſuam non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet: quique obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſuis pareat? videre licet alios tanta leuitate, & iactatione, ijs vt fuerit non dediciſſe melius: Alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinum ſeruos, vt cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio:

tio. Quò igitur pauciores inuenti ſunt omnibus ætatibus, qui ita vixerint, vt alios docuerunt ipſi, & vt Nazianzeni vtar verbis: οἷς βίος ἐστὶν ὁ λόγος: eò admirabilior eſt Camerarij noſtri virtus, qui cum doctrina & profeſsione vitam omnem adæquauit. Fuit enim in eo tanta in omni conuerſatione, conſultatione & actione, moderatio, vt ſi quiſquam eſt qui ἠθικὸς verè appellari poſsit, is noſter Camerarius ſit: Apud magnos ſummiſſum, apud minores verò æqualem ſeſe præbuit, & haberi etiam ſe voluit: erga omnes beneuolum atque liberalem ſeſe præſtitit: operam nemini ſuam denegabat, ſed iuuare omnes ſi fieri poſſet, re, conſilio, opera cupiebat. Gratiam verò & autoritatem, qua multos alios anteire poterat, nunquam neque oſtentabat, neque de ſe policebatur. Fœdus coniunctionis & amicitiæ ſemel factum, ſanctè inuiolateq; ſeruabant. quem complexus erat, eum ſic volebat ſecum viuere, & agere vt patrem. Delectabatur autem eorum coniunctione maximè, quos vel ſtudiorum ſocios, vel à Muſis non auerſos eſſe intelligebat. Ingenuitatem amabat, ambitionem, ſimulationem, & fucum omnem oderat, ſyncerus ipſe, & apertus

erga omnes. Cōſilia dabat nō inſidioſa ſed συμβιβαστικὰ, ad eum finem directa, vt concordia & tranquillitas aleretur, diſtractæ verò voluntates conſociarentur. Fuit enim mirificè ſtudioſus pacis, & artifex conciliationis. Cumque videret illam apud Poëtam ſciſſa gaudentem palla plus ſatis infeſtam eſſe ſcholis præſertim & Academijs: quos poterat hortabatur, vt ferre, diſsimulare, & quaſi muſsitare aliqua mallent, quàm diſtractionis, aut diſsipationis cauſam aliquam præbere. Memini eum idem conſilium ad me etiam perſcribere, cum diſſentionem aliquam incidiſſe in hac Academia auditione accepiſſet, ſuum ipſius adducentem exemplum, quod & ipſe plurima ſolitus eſſet diſsimulare tranquillitatis cauſa. Hanc virtutem in iſto viro ſi quis aut parui facit, aut deprehendendam ducit, vehementer errat. Etſi non ignoro eſſe multos, quibus pro moderatione rigor placet, & pro philoſophica lenitate, Stoica aſperitas probatur. Itaque hoc ſtudium conciliandæ pacis, & concordiæ, indignum viro magno & docto, præſertim in Eccleſia iudicant. Sed hi errore opinionis ſuæ intollerabili falluntur. Non enim moderatio,

ratio, non lenitas, non remiſsio animi, non æquitas, ſed religionis & conſcientiæ violatio vituperatur. Scimus quantum moderatis conſilijs profecerit D. Philippus. Quantum verò boni attulerint noſtri Camerarij conſilia temperatiſsima ſi nunc parum intelligimus, at poſt cognoſcere noſtro malo cogemur. Beatos prædicat ipſe filius Dei εἰρηνοποιοὺς, id eſt pacis & compoſitionis autores. Et iubet Paulus ad Coloſſenſes ſcribens, Chriſtianos συμβιβασθέντας ἐν ἀγάπῃ compactos caritate eſſe, in omnes occaſiones intentos, quibus vera animorum coniunctio in dilectione ſeruetur, eaque amiſſa, vel diſsipata redintegretur. Magiſter & artifex huius præclariſsimæ virtutis extitit hic noſter Camer. quaod ei vſura huius lucis frui licuit. Nunc verò tanto moderatore ſtudiorũ & conſiliorũ orbati, quo gemitu, quib. lacrymis, calamitatẽ noſtrã deplorabimus? quo pacto iacturã, aut damnũ tantũ reſarciemus? cauſæ ꝓfectò multæ, & graues luctus, ac ſqualoris concurrunt. Iactura ipſa quãta ſit, ꝑſpicitis: Ereptus eſt nobis chori noſtri dux, & ſtudiorũ moderator: orbati ſum⁹ patre, & cõui ꝓceptore, quẽ & admirãda eruditio, & ſingularis integritas vitæ,

 &

& moderatio, prope diuina nobis sic commendarat, & certatim à nobis diligi, audiri, & coli debuerit. Quod si hæc, cùm adsunt, ampla esse ducimus, vt reuera sunt, ijs nunc amissis, iacturam nos ingentem fuisse profectò fateri necesse est. Quæ tamen ipsa minoris æstimari posset, si spes resarciendi aliqua superesset. Vt enim cum frigore vires læduntur. Veris initio, aut medio etiam tempote, spes est mox alias gemmas enascituras esse: Cùm verò in Autumno calamitatem vinea accipit, spes fructus omnis præciditur: ita cum superioribus annis viri eruditi è vita discesserunt, leuari damnum illud potuit superstitibus, vel certè succedentibus alijs, qui mortuis pares ingenio, doctrina, & industria esse potuerunt. At nunc in ista effœta seculi huius ætate, cùm ruinam atque interitum literæ atque disciplinæ minantur, quæ spes, quòd solatium nobis est reliquum? Audite quæso atque obsecro vos, querelam, vel vaticinium potius ipsius Camerarij, quod perscripsit ad me, epistola quadam ante paucos annos, cùm in mentionem iucundam incidisset eorum, quibus cum aliquando in hac Academia coniuncta, familiariterque vixerat. Sic inter alia habet

Epi-

Epistola illa è Græco conuersa: At beatas iudicio, & vrbes, quæ talium virorum præstantia cohonestatæ sunt, & tempus quod tantum bonum in lucem protulit. Contra verò deploro non ipsos quidem tunc ex gloriosa vita ad vitam beatam translatos, sed eos quos reliquerunt post se destitutos ea disciplina, quò meliores efficit illos, qui Regi sese atque erudiri patiantur. Præsertim cùm in paucis deinceps tanquam in arbore folijs & fructibus carente, spes bona eluceat iucundæ consuetudinis, atque familiaritatis. Arbori comparat hanc ætatem folijs, fructuq; nudatæ, vt in Autumno fieri videmus, cùm iam fruges omnes decerpta hyemem sterilem portendunt. Neque profectò iniuria. Quales enim amittimus, tales nullos recuperamus; vt sterilescere nunc literæ videantur, sublatis verò illis, viris, qui præsidio & ornamento illis erant Longinqua nihil attinet recensere, videamus ꝓpinqua. Fuit eo tempore, quo hic literas didicit & docuit Camerarius, dulcissimus Doctorum conuictus, & habuit hæc Schola Doctores, & Magistros cùm eruditione, tum humanitate, moderatione, & candore præstantes. Sed nunc quotusquisque reperitur, qui doctrinam eruditam

curet, aut congreſsibus, colloquijsque Philoſophicis delectetur? An non iacent ſtudia? friget gymnaſium? ſpernuntur literæ, & infida eſt omnis penè ſocietas atque collocutio? Hæc quid ſunt, niſi certiſsima argumenta, atque indicia ſterilis ϰ̀ ἀμούσου ætatis? Ex quo ſanè venit in mentem vereri ſæpius, ne opinione noſtra citiùs re, euentuque comprobetur Camerarij diuinatio, quam non ita pridem ad me perſcripſit: fore paulo poſt, vt magis etiam iſta merces vileſcat, hoc eſt, minoris adhuc literæ noſtræ fiant, & vnusquiſque ad artificium quæſtuoſius perdiſcendum, properet. Quæ autem cauſa eſt tanta labis huius ſeculi, & omnium cõſequentium fortaſſe, niſi Deus prouiderit, vel celeri aduẽtu Filij ſui attinuatum, & vndique accisum mundi filum abruperit? Difficile eſt iudicare, vtrum hominum id culpa, an fato accidat: ſed tamen vtrumque in cauſa eſſe nihil dubitans affirmarim. Etſi enim fato literæ, quæ ſuo floruerunt tempore, nunc magno motu ad occaſum declinant & ruunt ſuum: tamen ὑπὲρ μόρον etiam cladem vltro nobis ſceleribus proprijs accerſimus, ἡμέτερον ϰακὸν ἀμφαγαπῶντες ſecundum Heſiodum. Quid enim

enim loci relinquimus ſapientiæ? quem honorem habemus eruditioni? quis non faſtu, ambitione, arrogantia, loquacitate, opibus, gratia, omnem hodie, metitur eruditionem? quis magnifit niſi qui, vel ſuperba inſcitia tumet vel qui magnificè ſe iactat atque oſtentat. Cùm igitur vitia ipſi eligamus, & vera bona faſtidiamus: quid mirum eſt, ſi mala amiſsis bonis, reliqua habeamus? ſed omiſſa quamuis iuſta querela, in acerbo dolore, ad Camerarium redeo. Is ita à nobis diſceſsit, vt ſui ſimilem poſt ſe non reliquerit, nec ſpes etiam vlla ſit, ſimilem habiturum eſſe hoc ſeculum. Quis enim eorum, qui nunc viuunt tot laboribus ſeſe frangat? tot vigilijs maceret? tantum curæ & operæ in diſcendis & illuſtrandis bonis literis ponat? cùm fructus, gloria, aut merces nulla expectari ab hoc ſeculo poſsit. Quod ſi in tale tempus prima ætas Camerarij incidiſſet, quale nunc eſt, fortaſſe nec ipſe curſum ſtudiorum iſtorũ tenuiſſet. Sed habuit ille tunc ſtudiorum ſuorum autores præclaros, & præmia maiora eruditis tribui vidit. Erat etiam illo tempore incitata plurimorum cupiditas cognoſcendarum renaſcentium literarum, quæ nunc reſtincta eſt & euanuit

penè tota. Ex quo minus etiam ſpei de doctorum virorum copia ſupereſt. Itaque cùm Camerarij obitu iacturam tantam honeſtæ fecerint diſciplinæ atq; literæ, vt reſarciri vix queat: grauiſsimè nos hoc caſu mœrere conuenit, non aliter ac ſi ducem chori Muſici extinctum eſſe audiremus. Neque tam communem deploremus caſum, quàm priuatum damnum, quod fecimus, amiſſo ciue Academiæ noſtræ tam celebri, tamq́ue noſtri amante, & ſtudioſo. Eſt enim hic adſcriptus anno decimo ſeptimo, cum Lipſia huc profectus eſſet, Baculaurij gradu ornatus: & receptus eſt à communitate Philoſophica, cum fidem iureiurando aſtrinxiſſet, & aureum dediſſet, quem tamen mox illi communitas noſtra reddidit, quòd elementa literarum Græcarum in collegio docuiſſet. Deinde viceſimo primo anno cum ſeptendecim viris Magiſterij titulum in hoc collegio adeptus eſt. Cuius beneficij memor per omnem vitam Academiam noſtram amauit & coluit, meq́ue etiam ad eam colendam ſedulo, fideliterq́ue hortatus eſt. Si qua igitur ciui bono, literato, fido, & conſtanti beneuolentia, ſi qua gratia, ſi quis honor debetur, ea nunc vniuerſa in mor-

morte Camerarij nostri exhibere affatim nos decet. Quod si per fata liceret, te, Ioachime, viuum complecti, & omnibus humanitatis, gratitudinisque officijs prosequi, nihil nobis ista in te pietate iucundius & promtius esset. Verùm cùm hoc denegatum, sit illud, quod datur, quodq; licet, præstare volumus, & te mortuum, vt ciuem, vt patrem, vt præceptorem amabimus, colemus, & gemitibus, suspirijs, lacrymis, & desiderio perpetuo requiremus, Vale.

Oratio XVI.

DE MAXIMILIANO II. ROM. IMPERATORE Anno Christi, 1576.

HVMANVM est, humanis casibus ingemiscere. Fert enim natura, vt grauiter commoueamur eorum hominum iactura, quos vel propinquitatis, vel iusti amoris vinculum nobiscum coniunxit. Quod si communiter in cuiusque cari hominis morte fieri & rectum est & æquum: quo tandem animo ferre nos decet Cæsa-

ris nostri, Maximiliani secundi obitum? qui caput imperij, pater patriæ, & magistratus noster summus, æquus tamen & beneficus in omnes extitit. An non voce lugubri, cũ magno illo pioq; viro clamabimus? cecidit caput Imperij, ereptus est is, qui vnus, post Deum immortalem, nostras aras, focosque Ecclesiam & Rempub. priuatas domos, fortunas, coniuges & liberos fouit, protexit & seruauit: cuius præsidio tuti ab hostibus fuimus, cuius benignitate immunes ab iniurijs, expilationibus, bellis & seditionibus viximus: cuius denique indulgentia, cursus doctrinæ cœlestis repurgatæ minus impeditus est. Talem igitur Imperij moderatorem cùm amiserimus: nonne satis magnam causam legendi adepti sumus? Etsi autem commune hoc fuit Cæsari nostro cum alijs mortalibus, vt si non hoc tempore suum diem obijsset: paucis post diebus tamen annis aut horis ei moriendum fuisset, vt in Epistola sua Seruius consolatur Tullium: tamen vel hoc nomine eius mortem mœrere grauiùs oportet, quòd verendum ne suo à nobis discessu, bona multa secum abstulerit. Non .n. hoc temerè dicitur atq; creditur: in magnorum & piorũ Principum

atque

atq; Gubernatorũ obitu omnem fati ineſſe, Ezechiæ pietas pacẽ impetrabat, quoad in vita ipſe manebat: id quod votis etiam ſuis vnicè optabat & precabatur, idẽtidem hanc vocem haud dubiè ingeminans & repetens: ſit modò pax & veritas temporibus meis. At moriens ille parum abfuit, quin ira Dei exardeſcente, pacis cõditionẽ & ſpem omnẽ ſecum aſportauerit.

Etſi autem non eundem pietatis zelum noſtro Imperatori mortuo tribuo, quo Ezechias religionem & cultus diuinos in ſuo populo reſtituit: tamen ſimilia vota eum feciſſe, non temerè iudicauerim, vt pax & tranquillitas aliqua ſuis temporibus ſeruaretur, quotieſcunque nefarium Turcorum impetum in templa & ſedes Chriſtanas vidit, aut in animo cogitauit: cum videlicet tanta immunitate atque ſæuitia in Pannoniam illi effuſi ſunt, vt diripere & inflammare vna impreſsione omnia velle viderentur. Nec parum profectò pium eius pectus commouerunt tanti ſucceſſus Turcorum, quos verè continuos in iſta parte Chriſtiani orbis, & noſtra, & patrũ memoria habuerunt. Quo ſanè ſtudioſius magisq; ex animo vota pacis fecit, & furorem Turcicum non tam vi atq; armis

mis, quàm precum aſsiduitate & ardore ſuſtinuit. Hæc pietas & virtus Imperatoris mortui, vt ſalutaris fuit imperio, ita gratis etiam animis à nobis celebrari debet: quippe qua vna & beatus fuit Cæſar noſter, & Imperij incolumitas conuerſata eſt, id ergo hac funebri oratione planum facere conabor. Non enim verior laus vlla tribui huic Imperatori noſtro poteſt, quàm ſi id prædicemus, quod pro rerum & temporum conditione atque ſtatu facere ſtuduit.

Eſt enim præclarum illud, quod in ore habuit inclitus Saxoniæ Princeps, Elector Imperij Fridericus, cognomento ſapiens: tantum quantum poſſumus.

In ſtatua Danielis de quatuor mundi Monarchijs clarè dicitur: Imperium Romanum partim potens, partim contritum fore. Vt igitur ſuo tempore floruit & inuictum illud fuit: ſic fato tandem ad tenuitatem redactum eſt & modo velut exangue corpuſculum vix hæret oſsibus: Suntque in illa imagine accurata diligentia notandi gradus Imperij quarti in hoc terrarum orbe. Nam vt de ſuperioribus Imperijs primo, ſecundo & tertio, quæ capiti, pectori & ventri in corpore humano comparan-

parantur, nihil dicam: in hac ipsa Monarchia quarta mirè sic distincti sunt gradus, vt cōsequentes præcedentibus ferè semper imbecilliores existunt.

Primus gradus collocatur in tibijs: qui hunc sequitur, in pedes recidit. Postremus in digitos desinit, vt dissolui corporis compages videatur. Pes enim solidùs adhuc membrum est, magisque continuum. At pedum digiti dispersi minus valent. Quid est quæso vspiam, quod miseram lacerationem, distractionem atque dissolutionem imperij Romani dilucidius exprimere possit? cui si illud etiam adiunxerimus quod in eadem statua depingitur, digitorum eorundem partem ex luto constare: minùs adhuc mirabimur, ad tantam infirmitatem imperium hoc redactum esse. Quid enim fragilius est vase, aut quocunque alio corpusculo ex luto cōfecto? En hęc causa est debilitatis imperij in hoc tempore. Hinc nimirum fit, vt crescente potentia Turcica imminuantur & attenuentur vires Imperij Germanici. Fato incidimus in digitos, atque adeo in extremos articulos vltimæ Monarchiæ. Nec eos tamen ferreos, sed luteos, hoc est fragiles, & iam ad finem præcipitem inclinatos ac properantes. Age ita-

itaque in tanta inclinatione fatali, quid tentandum suscipiendum Imperatori nostro Maximiliano fuisse putabimus?

Absit vt in consilia politica & militaria inquirant, quippe quæ non magis intelligo in hac scholastica prouincia quā Phormio ille Philosophus, qui audiente Hannibale, de re militari audebat concionari. Videamus tantùm id, quod fatale esse huic Imperio manifesta Danielis prophetia confirmat. Si ergo ita fert Imperij fatum, quo nam modo fatalem casum euentumque vitabimus? omitte pugnam absque Deo, inquit vates Ethnicus, & Historicus multa conari nihilq; efficere, molestissimus est mortaliū labor. Quod si ita accidit hactenus voluit Deus Germanicū Imperium, & Turcarum tyrannide atque sæuitia velut flagello nostram castigari atque coërceri petulantiam atq; improbitatem: quis est qui armis posse repelli iram Dei aut placari existimet? hoc ipsum serio in animo suo cogitasse optimum nostrum Imperatorem nihil dubito, & iccirco omissis exercitibus militaribus, pacem studiosè expetiuisse: quæ quidem ipsa quamuis iniqua multis videatur, bello tamen iusto sæpe anteferenda fuit.

Nihil

Nihil fere eſt quod magis promoueat humanas mentes, quàm fortunæ florentis ſucceſſuumque ſpectacula. At quanto iam tempore in continuis ſucceſsibus ſe iactauit immanitas Turcica ? parum abeſt, quin, quæ aggreſſus eſt Turca in Pannonia, ceperit, & in poteſtatem ſuam redegerit omnia. Nec ex faucibus eius eripi hactenus pars vlla potuit. Quis inde vſque à Matthiæ Regis Vngarici tempore inuentus eſt qui furorem illius compeſcerit aut metu Vngariam liberarit ? cuius tamen morte iam anni amplius octoginta præterierunt. In hoc triſte & funeſtum ſpectaculum Imperator noſter crebrò intuens, abſq ue dubio ita commotus fuit, vt ferendum extremum Reipub. Rom. fatum exiſtimarit, & pacem cum iactura & detrimento, quæcunque tandem contingere poſſet, amplectendam. Agnouit enim neceſsitatem fati quam etiam nos agnoſcere, & gemitibus aſsiduis deplorare ac deprecari decet. Eſt. n. inſanus conatus, & ſummis furor, in pœna fato reluctari, & more Cœciæ venti nubes attrahẽtis, calamitates nouas maioresq; accerſere & cumulare. Vtilius eſt multò quieſcere, & Dei irati pœná precib. auertere, aut certè lenire ſtudere. Huiuſmodi multa perficere oportet

Chri-

Christianos, & veras grauesque iniurias mussitare, Deoq; sese subijcere, donec trãseat ira eius.

Ac ne quis iure me reprehendat, quasi Turcicam tyrannidem omnem ferre Christianum Imperatorem oportere, disseram: etiam hoc adiungam, quod in Danielis prophetia extat: non vniusmodi esse digitos pedum in statua, sed mixtos ex luto & ferro. Ita cùm vult Deus punire peccata nostra, augeri potentiam hostium, & diminui vires Imperij sinit. Contra verò cum præbere successum aliquem contra hostes ipsi visum fuerit: animos & robur imperio addet, vt maculam superioribus annis susceptam, si non omnino, ex parte tamen aliqua delere, & colligere sese aliquo modo posit. Est igitur aliud tempus cladis, aliud victoriæ: & quando volet Deus Turcicam blasphemiam & immunitatem à nobis propulsare: excitabit ducem, armabitque cum robore & præsidio, vt nauare aliquid & efficere queat. Quemadmodum cum populo suo Israëlitico semper ferè agere consueuit, & omnibus temporibus cum suis agit. Adueniet aliquando tempus & elucescet ille dies, quo Deus sanguinem Ecclesiæ suæ vlturus est, & pœnas

nas iustas grauesq; gens Turcica persoluet. Non enim perpetuò grassabitur, nec semper in ruinas Ecclesiæ Christi corpusculum sæuiet: sed illi ipsi meta etiam constituta est, quam non excedet, & frenum in labijs eius positum, ne vltra, quàm à Deo concessum est, progrediatur & crudelitatem in Christianos exerceat. Tam erant infesti nomini & politiæ Iudæorum Reges Assyriæ, quàm Christianorum Reipub. inimicus est Turca. Et quidem propter Iudæorum peccata, patiebatur Deus affligi illos satis duriter ab Assyrijs: sed propterea tamen non prorsus vacui à malis erant Assyrij, sed suos etiam sustinebant pœnas. Ac tunc quidem adducebantur, cum punire Deus suam gentem volebat, abducebantur verò iterum cum dedecore & iactura sua, cum consolari iterum suum populum Deus constituerat. Ita nec Turcorum conditio & sors ab omni parte felix est, sed dissensionibus intestinis, tumultibus, bellis, conflictibus horribiliter conuulsum est illorum regnum, & lanienam insuper, parricidia & crudelitatem tam immanem inter se exercuerunt patres, filij, fratres & propinqui, vt eam refugiat animus, & vehementer reformidet oratio. Nec est quod

vel hoc ipso, vel consequente etiam tempore Turca sibi de Christianis perpetuā victoriam polliceatur. Etsi enim sæuire illū Deus in multa Ecclesiæ suæ membra patitur, vt nunc hoc, nunc illud à corpore Imperij auellat: tamen toto Imperio Germanico nunquam potietur, sed manebit corpusculum hoc quantumuis debile & ægrè se sustentans, vsq; ad illud tempus, quo veniet filius Dei, princeps ille magnus, & ferociam Turcorum omnem vno momento confringet, atq; igne sempiterno exuret. Ecclesiam verò ægram, & ex imo pectore mœrorem & dolorem anhelantem, ex faucibus Satanæ & administrorum eius Turcorum, omniumq; aliorum hostium ereptam, in beatam illam sedem in cœlis iam dudum paratam & adornatam collocabit. Interea verò nidulū aliquem in ipso Imperio Germanico tuebitur & certissimè seruabit. Nō enim consentaneum est prophetiam Danielis in hac solùm parte falsam esse, & euentu suo frustrari: cùm in alijs omnibus tam præcisè cum prædictionibus euentus congruat. Desinit in pedū digitos hęc vltima Monarchia. Vt ergo postremum membrum sunt digiti in pedibus: sic post Germanicum Imperium Monarchia

narchia nulla efficietur. Itaq; quamuis bonam magnamq; partem orbis terræ Imperio suo subiecerit Turca: Monarchiam tamen, post vel supra hanc Romanam, non constituet. Tum ne hoc quidem consequeretur, vt digitos à pedibus statuæ penitus auellat, quia pendent à corpore. Manebunt igitur hæ quantulæcunque reliquiæ Imperij, quo Prophetia Danielis fidem mereatur & re euentuq; comprobetur.

Venio nunc ad iustitiæ, religionisq; cultum, cuius cura & administratio post armorum belliq; præsidia, maximè bono & salutari Principi ac Imperatori à Deo commendata est. Vsus est sub hoc Imperatore Germania iure prorsus æquo moderato & commodo. Non vis vlli ab eo illata est: non tyrannicè quicquam gestum: nō bona, facultates aut fortunæ cuiquam ereptæ sunt: nullius sanguis innocenter effusus est: non vlla in parte libertas Imperij diminuta est. Hanc moderatam lenitatem omnes sani omnibus temporibus rigori & asperitati antetulerunt, & absq; vlla dubitatione adhuc anteferendam censent omnes sapientes. Nō necesse habeo omnia pro meo iure agere, inquit apud Comicum Mitio. Quod si in causa & familia priuata,

& quidem non magna necessarium est: quanto magis in publica gubernatione grauissimorum negociorũ nonnulla dissimulare silentio, quædam etiam cum dolore oportet: vbi nimirum maioris incõmodi metus, incommodi minoris periculum obscurat. Exemplis ad hanc rem illustrandam & vetustis & recentibus vti licet. Patriarcha Iacob ferebat, quamuis dolenter, crudele facinus filiorum suorum, Simeonis & Leui, qui Sichimitas contra fidem & pactum interfecerant. Dauid ferebat Ioabum, quoad in vita manebat, sanguine & cæde fortium & innocentum virorum cruentum, quem interimere tanquam homicidam multò iustius esse videbatur. Scilicet ita res habet in omni Imperio paruo & magno, vt si lippum habeas oculum, quem inuitus quidem retines, nec tamen abijcere potes, nisi acerbiorem dolorem & incommodum grauiùs tibi accersere velis. Vt autem flumen extra ripam effusum cumulatè in arua furens fertur, nec cohiberi facilè potest: ita perfractis labe seculi, legum & iuris repagulis, reprimere omnem furorem atq; impetum hominum, non solùm arduum sed etiam impossibile esse videtur. Vnde sanè permoti

moti ſapientes in politica gubernatione, crebro illud in animo & ore habent, quod in Græco prouerbio eſt: ἴτω κατὰ ῥοῦν, eat ſanè ſecundum decurſum, quando, vt volumus, non qnimus, ſecundum ſapiens Comici dictum. Hæc ſiue indulgentia ſiue diſsimulatio, tametſi probanda iure non eſt: neceſſaria tamen eſt, hac præſertim effœta & delira mundi ſenecta: perinde vt in corpuſculo debilitato morbos & næuos quoſdam neceſſariò ferimus, quamuis dolentes, vt ille apud Poëtam Græcũ inquit. Quod ſi minùs intelligitur, quanta commoditas moderati iuris æquitatiſq; ſit, ex ſtricti iuris, bellorumq; incommodis percipi poteſt. Quando enim Germania, cum ad diſceptationes, dimicationesue ventũ eſt, bona conditione fuit? Non longè abierimus, id quòd proximum eſt, videamus. Vt armiſq; ſemel hoc Imperatore, ius exequi oportuit, cum in arcis & vrbis Gotanæ obſidione nonnullos Imperij proſcriptos punire neceſſe eſſet. At hæc ipſa iuris executio quanto ſumtu & labore conſtitit? Quanto fuiſſet meliùs, ſi modo fata non obſtitiſſent ſapientibus Imperij conatibus, lenitate, moderatione & æquitate rem cauſamq; componere? Vidimus len-

tissimo gradu ad hanc publicam vindictam procedi, vt satis appareret, Imperatorem nostrum, atque adeò Imperium totum, inprimis verò Principis Electoris Saxoniæ Augustũ, ad quem executio Imperij nomine pertinebat, plagam mediocrem accipere malle, quàm bellum gerere. Ac si intelligere nolumus, quantum hæc moderatio & lenitas Imperatoris Reipublicæ Germanicæ profuerit: cùm incommodo nostro, quod Deus tamen auertat, quantum mali det asperitas, & ad bella procliuitas, aliquando discere cogemur. Porro habuerunt suos næuos omnia etiam florentia imperia. Quanto magis hoc nostrum tam aridum & eneruatum, ad finemque suum magno motu atq; impetu ruens. Quid florentius erat regno Salomonis? Quippe quo in bona pace & tranquillitate, sub vite & ficu sua quisque sedebat: & hoc tamen ipsum oneri fuit subditis. Vnde mortuo Salomone ad successorem eius Rehabeam mittunt legationem Israëlitæ, petentes leuationem. Nec exemplis pluribus in re tam manifesta opus est. Itaque minùs mirum nobis videri debet, si in hac delira ætate mundi onera nonnulla duriora imponãtur subditis.

Dedit

Dedit Deus ſub hoc Imperatore noſtro mediocria commoda, vt nullum Imperij membrum iure poſsit queri. Et adhuc trãquilla eſt Germaniæ Reſpublica, & in ſuis quiſq; laribus tutus. Hæc ergo bona agnoſcamus, & pijs mentibus Deo gratias agamus, identidem vota facientes, vt iſta in tempus reliquum conſeruet, neque patiatur deteriora nobis euenire, quàm ad hoc vſq; tempus experti ſumus.

Amauit hic Imperat. noſter ingenia, coluit literas & egregio exemplo ad omnem poſteritatem relicto teſtatus eſt literarum doctrinam à Princip. & magnis viris magnifaciendam eſſe atq; ornandam. Quod idem facit Saxoniæ Princeps, Septemuir Imperij D. Auguſtus: dignusq; adeò eſt, vt eius ſapientiam & autoritatem ſpectent & imitentur omnes Imperij proceres. Nõ libet hîc maiorũ exempla adducere, Antonini Philoſophi, Caroli Magni, Sigiſmũdi, & aliorũ qui literarum ſcientia ſic imbuti fuerũt, vt perpetuũ nomẽ decusq; inde reportarint. Sed ad Imperatorẽ noſtrũ redeo.

Religionis veræ & puræ amans fuit à primis vſque annis. Nec obſcurum eſſe, quid ſentiret, voluit. Nam miſſas idolatricas maturè cœpit odiſſe atque vitare.

Posteaquã verò ad Imperij & gubernationis fastigium euectus est; non quidem religionem repurgatam damnauit aut repudiauit, sed iuxta Imperij decretum, vtramque doctrinam Pontificiam & reformatam suum tenere cursum passus est. Quod etsi aliquibus durum videtur, tamẽ fides Imperio data exegit. At dixeris opus tamen fuit aperta & ingenua fidei confessione coram hominibus. Fatendum est imbecillitatem hanc fuisse, qualem fuisse accepimus etiam in aliquibus clandestinis Christi discipulis, & adhuc in plurimis esse, nullum dubium est, in Pontificia Ecclesia, vbi libri repurgatæ doctrinæ amantur, & studiose cognoscuntur: ex quibus etiam vera salutis ratio petitur & odium Idolomaniæ Pontificiæ concipitur: sed metu tamen tyrannidis professio publica cohibetur. Neq; est par in omnibus zelus, sed in alijs plus, in alijs minùs roboris. Nec pij Reges Iudaici eodem Spiritu & ardore fidei idola aboleuerunt, & cultum verum Dei ab interitu & labe vindicarunt. Sed alius lucos & sacrificia in excelsis abrogauit, alius tolerauit: de quibus tamen diuina pronunciat scriptura, quòd Domino placuerint. Equidem hoc nihil dubitans

de Im-

de Imperatore nostro ausim affirmare, de doctrina reformata honestè ac rectè eum sensisse, veræq; Ecclesiæ membrum fuisse, etiamsi id quod sentiret, non satis apertè, sub iugo pontificio profiteri ausus fortè fuerit. Id quod exitus eius ex hac vita satis euidenter comprobauit.

Cum enim appropinquare mortis aduentum, vel exoptatam potius salutis horam aduenisse intellexisset, Ecclesiastem aulicum Lambertum Gruterum, & Neapolitatum Episcopum admisit, eumq; vt nulla alia de re quàm de Christi seruatoris vnici merito loqueretur, monuit. Quod cum ille fecisset, & Imperatorem, an in ista fide nitente Iesu Christi meritò ad extremum vsque spiritum perseuerare vellet, interrogasset: clara voce respondit Imperator, non faciam aliter. Quod simul atq; enunciauit, velut in somnum versus, placidè, pieq; vitam cum morte commutauit. Sic igitur nulla re, nulla dignitate, nullo præsidio, nullo proprio opere nixus, in solo & vnico Christi Saluatoris merito, tanquam in sacra ancora, & salutis portu conquiescens, ex hac turba & colluuione mortalium, in cœtum beatorum migrauit, videlicet hora nona, die duode-

cima Octob. qui D. Maximiliano inscriptus est in Calendario, Anno 76.

Nobis verò hoc gratum fecit, quod Euangelij cursum minùs impediuit, nec sese ad odium aut insectationem eorum, qui reformatam doctrinam Euangelij profitentur, exacui passus est. Fuerunt enim, & sunt hodie, qui adeò oderunt & insectantur, reformatam Ecclesiam, vt placari diuinum numen non posse existiment, nisi vniuersum robur, omnesq; Imperij nerui in ea delenda contendantur. Id quod palam fassus est Franciscanus quidam in côcione ad Cæsarem Carolum V. & Ferdinandum Regem, Vvormatiæ, Anno 45. non fas esse, inquiens, Solem intueri eos, qui repurgatam religionem profitentur, sed mox nulla interposita mora è medio tollendos esse. Eiusmodi voces absq; dubio multas audire noster etiam Imperator Maximilianus fuit coactus. Quo sanè maior & admirabilior habenda est eius pietas, qua potuit sermones istos tanquam faces ad incendendam Germaniam comparatos, contemnere. Sed satis sit hæc pauca de multis Imperatoris nostri ornamentis attigisse.

Gratias Deo agamus, quòd commoda

medi-

mediocria, & haud contemnenda, sub illius gubernatione nobis concessit & tribuit, in hac præsertim ætate mundi tam squalida & delirante: & quidem in fisso pede, digitisq; luteis, quibus hoc vltimum Imperij Romani tempus Propheta comparat. Habemus adhuc ingenti Dei beneficio sanctum Dei verbum sine impetu; habemus ius sine violentia: habemus pacem sine seditione & tumultu bellico; habemus victum sine annonæ difficultate: habemus reliquam Ecclesiam, scholas, curias, iudicia, libertatem, pudorem, coniugium. Quæ omnia nisi tam magna bona esse agnoscamus, vt ea nullius nostrûm mens aut cogitatio comprehendere possit, nedum gratias pro ijs dignas agere: impij in Deum & scelerate ingrati sumus.

Te igitur veris gemitibus, suspirijs & votis oramus, æterne Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor & defensor Ecclesiæ & politiæ nostræ, vt nostri miserearis, nec in iusta ira proijcias nos à facie tua, neue deseras in hac vltima senecta, sed morbos, languores, næuos & vulnera nostra sanes, Ecclesiamque tuam & hanc politiam Germanicam vltimā à te ipso cōstitutam, & hactenus admiranda bonitate

& cle-

& clementia seruatam, deinceps etiam custodias, foueas & defendas à furore Turcico & alijs hostibus, omnibusq; Satanæ insidijs: donec veniat filius tuus liberator noster vnicus, nosq; in conspectum tuum, lucem & beatitudinem sempiternam secum traducat.

ORATIO XVII. DE HIERONYMO VVOLFFIO.

IN prima Tusculana Ciceronis contentio est de duobus Epitaphijs Ennij & Solonis, quorum ille in suo vetuit mortē suā deplorari, hic verò vt pro se mortuo amici lugerent, etiam depopoſcit. Etsi autem Cicero Ennij orationem Solonis antefert, quòd magni animi & sapientis esse putet, luctum contemnere, nec de eo quid post mortem in his terris de nobis fiat, sollicitum esse: plenior tamen est humanitatis & pietatis sententia Solonis, quæ φιλοστοργίαν exprimit naturæ hominis maximè conuenientem & necessariam. Non enim mollities animi est, amici aut propinqui calamitatem, casum aut mortem mœrere atq; lamentari; vt fortaſſe Ennio visum est, & placuit Stoicis: Sed sensus humani

humani ſpecimen, affectionisq; naturalis inſigne eſt indicium. Negat vir fortis & magnimus apud Homerum, ſibi cor ineſſe ferreum, ſed ad miſericordiam propenſum. Et ille ipſe virtutis & humanitatis Magiſter Homerus heroas ſuos non facit ἀπαθεῖς καὶ ἀδάκρυας, ſed συμπαθεῖς καὶ ἀριδάκρυας. Neq; enim decet hominē humanis ſpoliare affectibus, nec aliorum amore dignus eſt, qui nullum ipſe amoris ſenſum in ſuos habet. Melior itaq; abſq; dubio eſt Solonis oratio: quod pace Ciceronis dixerim: Idcirco quia naturæ, quia pietati, quia humanitati magis congruit, quàm Ennij, quæ neſcio quam immanitatem inducit.

Quod cùm ita ſit, & nos non ſenſus ſolùm noſter, ſed pietas etiam ipſa cogat eorum, quos in vita charos habuimus, morte mœrere: non diſsimulo ego, ſed præ me fero animi mei dolorem, quem ex deceſſu ex hac vita cœpi duorum egregiorum & amiciſsimorum hominum, Hieronymi Vuolffij, & Ludouici Camerarij: quorum ille anno octogeſimo ſupra milleſimum quingenteſimum à nato Saluatore, menſe Octobri, hic verò hoc ipſo octogeſimo ſe-

cundo, mense Iunio vita excessit. In vtroque ingenij motus erant ardentes, ad excogitandum acuti, ad explicandum apti, & ad memoriam firmi: vt nati omninò mihi ad cognoscendam tractandamq; liberalem doctrinam viderentur. In Ludouico plurimæ literæ, nec eæ vulgares, sed interiores, & reconditæ. In Hieronymo docendi dexteritas, industria, exercitatio & vsus tantus, quantus in homine potest cadere. In Ludouico iudicij rectitudo & antiquæ virtutis atq; integritatis tantum, vt æquare patrem Ioachimum sermone & moribus videretur. Hieronymum verecundia, pudor & eximia modestia cōmendabat, vt qui & splendorem fucatum oderat, & ab ambitione penitus abhorrebat, In vtroq; veritatis simplicis amor lucebat, & odiū sophistices ardebat. Nisi igitur his amissis grauiter me commoueri, & opinione omnium, dolore maiore affici fatear: mei ipsius oblitus sim.

Sed de Ludouico alius erit forte dicendi locus. Iccirco nunc eum in præsentia, quāuis cum luctu, vel vt Homerico vtar verbo, ἀχνύμενος καὶ τετυχόμενος missum facio. De Hieronymo autem Vuolffio agere instituta atque suscepta cogit oratio.

Huius

Huius quidem mortis opportunitatẽ beneuolentia potiùs quam misericordia prosequi me debere agnosco, felicitatemque eam, quam per migrationem ex hac vita adeptus est, grato animo interpretari. Verùm quomodo possum dolorẽ meum iustum omnino tacitum ferre? Etenim si natura hoc affert, vt æqualium, vel vt Græci vocant, ὁμοτέχνων interitum doleamus: quo tandem animo me ferre decet Hieronymi mortem, qui studiorum meorum socius & Professionis huiusce literarũ consors extitit? Qui denique eadem mecum corporis & fortunæ conditione penè conflictatus est. Quamobrem vt eum dilexi viuum, sic prosequi amore mortuum animus meus expetit. Ac vtinam pietatis & amoris vim tantam, quantam animo concepi, profundere in hac oratione possem: efficerem profectò, vt intelligere possent omnes, nos & officij cõmunitate coniunctos, & omni mente etiam & voluntate consentientes fuisse. Nec tamen vitæ eius historiam pertexam, sed ea tantum ad explicandum excerpam, quæ erudire, consolarique literarum Studiosos atq; Professores nonnihil posse videbuntur. Cùm enim ita in literarum professione Vuolffius vixerit,

xerit, vt multa bonis imitanda reliquerit: necesse est illa proferri, & sub aspectu poni, quò ad vsus coniungere sibi quiuis posit.

Parentibus natus est Hieronymus honestis & bonis, in veteri Comitatu Oetingensi, in Rhetia antiqua. Et quanquam gloriari de familiæ suæ virtute & laude verè potuit, Pindarico præcepto obsecutus: tamen industria & virtute propria emergere, ac nominis celebritatem adipisci gloriosius sibi duxit. Cùm autem nulla re magis delectaretur, quàm literarum scientia: totum sese cognoscendis tractandisq; artibus dedidit. Itaque auelli sese à Musis non est passus, etiamsi pater aliud vitæ genus sæpe suaserit. Fuit autem ingenio satis acuto quidem, & ad percipiendas literas apto: sed animo humili, demisso & plus satis solicito. Solet autem euenire plærunque, vt animo fortuna respondeat: & abiectum quidem, anxiumque animum fortuna excipiat miserabilis: erectum verò & alacrem amplectatur & euehat sors altiùs. Hinc adeò cum tristis & querulus natura existeret Hieronymus, etiam fortunam minùs propitiam sibi esse querebatur. Studia enim ipsius in ipso limine vel ingressu statim aliud ex alio impediuit, vt

vix

vix adhæresceret. Modo obstitit valetudo adeò afflicta, vt incoatum studiorum cursum penitus interrumperet. Modo pater vt eum abstraheret, argumentis compluribus obtinere conatus est. Nam & corporis infirmitatem illi obiecit, quæ ferre tantas contentiones, vigilias & labores, quantas literarum studia desiderant, haud posset. Et animi tristitiam ei exprobrauit, quę actuosum magis vitæ genus, quam literis deditis sequuntur, requireret. Tum sumtibus impendendis grauari se non obscurè significauit. Iccirco dubium esse studiorum illius cursum oportuit: dum sæpius ad alia reuocatus, serò tandem ad literas rediit. Aliquando quotidianis conuicijs quorundam eò adduci se passus erat, vt deserere prorsus literarum studia constitueret. Quamobrem Norlingam profectus pugionem & alia, quæ aulica fert consuetudo, emere voluit. Sed serius eò cum venisset, nundinis finitis, nihil eiusmodi venale in foro inuenit: pudoreq; prohibitus tabernam ingredi, in bibliopoliū fortè incidit, vbi libros nōnullos emit, quibus cōtentus domum est reuersus. Hos verò cum auidè legisset, tantum voluptatis inde cœpit, vt quasi diuturnā sitim explere cupiēs

de reditu in Academiam sedulò cogitarit. Nec fortuna optimæ eius voluntati defuit. Venit enim Tubingam, & audiuit Ioachimum Camerarium docentem, item Iacobum Scheckium, & alios. At cum vix animū ad studia rectè cōposuisset, pater quasi in medio sumtus se suppeditaturum amplius negauit. Idcirco nisi relinquere Academiam Hieronymus voluit, publicè famulatu victum quærere coactus est. Sed nec in isto officij munere diu perseuerare eum siuerunt molestissimæ expostulationes studiosorū inquietorum, qui nocturno tempore ad suum arbitrium libidineq; fores Collegij ab illo cupiebant sibi aperiri. Quocirca iterum necessitate coactus ex Academiā domum redijt. Nec multo post, spe in studijs progrediendi abiecta, in aula Episcopi Vvurcepurgēsis scriba factus est.

Sed verissimum est, quod apud Herodotum Mardonius ait: ὅτι δεῖ γενέσθαι ἐκ θεοῦ, ἀμήχανον ἀποτρέψαι. Itaq; cùm de liberatum hoc constitutumq; haberet DEVS, ex Hieronymo efficere doctorem salutaré scholis: fieri aliter impossibile fuit, quam vt ad intermissa doctrinæ studia ille aliquando reuerteretur, eaq;, quæcunq; tandem impedimenta inciderent, aut diffi-

cultates

cultates obijcerentur, continuaret. Fit autem nescio quomodo, vt intermissæ & desideratæ rei bonæ vsus gratior sit interdũ, quàm assiduè retentus atq; perceptus. Id quòd Hieronymo huic accidisse planè mihi persuadeo. Quò enim sæpiùs fortunæ iniquitas à literis cognoscendis eum abstraxit, eò ardentius eas desiderauit, & complexus est.

Habetis hîc, studiosi, quod & documẽto vobis & solatio esse insigniter posit. Cognoscitis enim, Hieronymo quid acciderit: non omnia ad voluntatem eius fluxerunt, nec cuncta quasi diuina virgula, vt aiunt, illi suppeditata sunt. Sed aduersa multa acciderunt, impedimenta valida inciderunt, & difficultates molestiæq; graues obstrepuerunt. Et tandem tamen, ducente Deo, ex istis quasi tempestatibus & scopulosis cotibus emersit atq; enauigauit. Ita nec vos propterea spem faciendi progressus in studijs abijcite, quod nõ omnia, quæ cogitastis, ita procedant, vt sperastis.

Quin obest plus quàm prodest adolescẽti prospera ꝑpetuaq; fortuna, secundo vitæ, absq; vlla offensione, cursu. Et vt virtutem excitat & acuit afflictio: ita penuria, ege-

 stas

ſtas & calamitas ſæpè magiſtra eſt artium, & homines reddit induſtrios, probéque exercitatos. Oportet enim perpetuò cum artium doctrina fortunam coniungi, non illam quidem florentem & blandientem, ſed aſperam & refragantem: quam niſi à primis annis tolerare didiceris, animo angeris, & nec tibi nec alijs proderis. Verè vir eſt, quem fortunæ varietas paratum ad omnem caſum euentumque in vita effecit. Contra verò mollis eſt, & abiecto animo in rebus aduerſis, quicunq; ab initio ætatis ſuæ nullum aſperum fortunæ flatum expertus eſt. Non eſt igitur, quòd deſperetis ſtudioſi, de omni ſtudiorum ſucceſſu, cum impedimēta & difficultates, vel inopia etiam obrepit. Habetis exemplum fortunæ eiuſmodi in Hieronymo, ex quo diſcite ſtatim ab incunabulis ferre aduerſa & deuorare moleſtias. Non enim eſt, quòd propitiam & auream fortunam per omnia vobis polliceamini. Non fert hæc vita, non concedunt mores huius ſeculi vllam felicitatem ex omni parte, vt nuſpiam offendas aut impingas. Alterius hæc eſt vitæ ſors atque conditio, quam hîc deſiderare quidem licet, adipiſci non licet.

Ferte igitur & vos inopiam, ferte miſeriam

riam, ferte difficultates, ærumnas, & quæcunq; fert huius vitæ conditio. Et interim animis alacribus inuictisque in proposito perseuerate, & in hæc studia, in quibus estis, incumbite. Euentus Deo curæ erit. Non, mihi credite, vllam particulam veræ & vtilis doctrinæ percipietis, cuius non aliquando fructus & vtilitas certa sit appaitura. Verè in studijs literarum præstat penuria affluentiæ, & plerunque egentes pecunia locupletantur doctrina. Hæc vos, studiosi, consolatio sustentet, hæc animum vobis addat, vt strenuè pergatis, nec vllis impedimentis à cursu studiorum vos auerti patiamini.

Contra verò, quibus facultates sunt maiores, & sumtus suppeditant necessarij, hi gratias agant Deo, & putent, cum omnia sibi suppeditata sint ad studia, etiam atq; etiam prouidendum esse, ne sibi defuisse ipsi videantur. Graue enim est, graue inquam abuti fortunis ad ignauiam, ad luxum, ad inertiam: ingenium verò ad vtilitatem priuatam & publicam tributum, conuertere ad perniciem. Quam rationem reddetis Deo, qui munus hoc discendi literas vobis adsignauit? & tantum non edita voce sic vnumquemq; appellat. Tibi

bona dedi tanta, quanta ad bene beateque viuendum homini satis esse possunt, ingenium, sumtus, sanitatem, Praeceptores, & opportunitatem deniq; tantam, quantam homini optare fas est. His tu donis, quomodo vsus es? qua mente, qua fide, qua cura pietatis & literarum studia amplexus es, & coluisti? Viden' alios, quibus dona tanta fortunae denegata fuerunt, te probitate, modestia & doctrinae literarum scientia longe superare? Te anteferre volui: sed tu te ipse proiecisti, nec naturae ac fortunae beneficia rectè collocasti. Iccirco pauperes, egenos, inopes, humili genere natos ex loco obscurò, vel, vt Psalmus ait, ex puluere erigo, & ex stercore eueho atq; exalto, cõmittens illis & concredens meos summi precij thesauros, & ad eos potestatem meam diuinam transfero, vel certè cum ijs communico, vt sint & habeantur eo loco, quo ipse in terris sum & haberi debeo: vt sint vicarij mei, sint Angeli, sint ministri, sint precones, sonent verbũ meum, remittant peccata, & retineant eadem: vt doceant ac tueantur iustitiam, leges, & omnia ciuilia officia: vt tradant ac propagent artes bonas, & diuina mea ope medeantur morbis, liberent à peste, & morte denique

ipsa

ipsa eripiant nonnullos, quibus lucis huius vsuram diuturniorem ego concedere volo.

Hæc omnia quanta sunt? quàm diuina opera? quam salutares in terris labores? pascere, erudire & regere verbo diuino & Sacramentis Christianos, consolari afflictos, erigere iacentes, animū addere mæstis, & ex orci deniq; faucibus eripere, & ad cœlestem paradisum adducere conterritos, & metu iræ Dei, mortis & æternæ damnationis exanimatos? Quanti æstimanda est opera dicendi Ius in aulis, curijs, iudicijs? dandi consilia, explicandi controuersias, flectendi homines oratione, vt deposito odio, simultate & libidine in gratiam redeant, placari se sinant, & ab iniuria nocendiq; cupiditate desistant? Quantum vsum habet in scholis, Academijs & reliquis cœtibus doctrinæ artium & literarum liberalis communicatio atque propagatio? Sed hæc quanta, quanta sunt, non nisi per studiosos efficio.

Sic Deum vnusquisq; vestrûm loqui secum putet, & has voces eius in auribus suis assiduo sonare existimet. Verè.n. talē tantumq; honorem ad vos, studiosi, transfert Deus. Vos suos ministros, vos suos vicarios

vocat, deligit, expetit. Nam ex hoc ipſo cœtu præſente Deus aliquos excerpet & deſtinabit ad ſacroſanctas in Eccleſia ſua functiones, alios adhibebit ad aulica munera, alios ad politica, alios ad ſcholaſtica, alios ad medica opera facienda & exercenda ordinabit. Nec eſt alia officina Domini Septemuiri noſtri clementiſsimi, in qua præparentur & inſtruantur homines ad publica in Eccleſia, aula, ſcholis & politijs officia, quàm Academia talis, cuius membra & ciues vos etiam eſtis.

Sed longiùs euagatur ratio: redeo ad Hieronymum, cuius exemplo vos incitare ad amorem ſtudiorum conatus ſum: vt ſiue ſuppetant ſumtus ſtudiorum, ſiue nõ ſuppetant: nihilominus de ſucceſſu ſtudiorum ſperetis. Et ſi quidem tenui & afflicta fortuna aliqui ſunt, Dei promiſſa, & huic Hieronymo bona fide præſtita ope ſe ſuſtentent: fore confidentes, vt quemadmodum DEVS Hieronymo, ſic ſibi etiam in honeſto, pio & vtili propoſito diſcendi literas, & ſeruiendi Deo atque hominibus ſubueniat. Si qui verò in lautiori fortuna poſiti ſunt, hi rationem ſibi reddendã eſſe Deo certò ſciant, quomodo facultatibus ſuis vſi ſint, & quomodo ſuo muneri diuinitus

nitus adſignato ſatisfecerint. Væ enim illis, ait diuinum oraculum, qui opus diuinum negligenter fecerint.

Accipite deinceps, quomodo fortuna cum Hieronymo egerit, & quouſque tandem progreſſus ſit. Ad ſcholaſticum vitæ genus & natus fuit, & maximè etiam aptus. Iccircò cùm Vuitebergæ non ſolum didiciſſet literas à D. Philippo & alijs, ſed vertendo etiam de græco quædam in latinum, ingenij & induſtriæ ſuæ ſpecimen dediſſet: miſſus eſt Mylhuſiam Thuringorum à D. Philippo, ad gubernandam ſcholam, nempè anno 1543. Vbi biennio commoratus, Norimbergam deinde venit, & ad erudiendum duodecim ſelectos adoleſcentes à ſenatu ſtipendio honeſto conductus eſt. Inde Argentinam profectus à Sebaldo Hauenreutero, Medico, receptus hoſpitio, liberaliterque tractatus eſt, quò Iſocrati vertendo, vacare commodè poſſet. En iterum Mæcenatem Hieronymo diuinitus abſq; dubio tributum, vt quòd cogitabat, exequi poſſet.

Huiuſmodi Mæcenates ſiue patronos ſolet dare Deus his, quorum operam vult prodeſſe rebus communibus, qui quaſi hoſpites communes ſeſe præbent Muſis, &

earum sectatoribus. Qualem Erfurdiæ aliquando se præstitit Eobano Hesso Georgius Sturcius Medicus, immortali laude, non minùs quam Sebaldus Hauenreuterus, dignus. Cùm enim Sturcius ille lætari, & vt ita dicam excitari videret Eobanum bono vino ad fundendum carmen: vino liberaliter communicato illũ inuitauit, vt Psalmos eo carminis genere, quo hactenus Ecclesia & vniuersa studiosorum cohors cũ fructu magno vsa est, ediderit. Quoties enim Psalmum vnum à se redditum & illustratum versibus attulit, bono vino, suaui colloquio, & alijs humanitatis officijs à Sturcio exceptus est.

Post aliquantò Hieronymus Lutetiam Parisiorum cum Augustanis quibusdam discipulis profectus est. Sed inde altero anno reuersus Basileam est, & Demostheni operam iterum dedit. Etsi autem postea in Galliam denuò venit: tamẽ commorandi illic locum sibi relictum planè nullum intellexit. Redijt itaque breui Basileam, & Augustæ à D. Antonio Fuggero benignè receptus atq; habitus est: tum illustri Bibliothecæ D. Ioannis Iacobi Fuggeri præfectus. Ibi tum Isocratem & Demosthenem græcolatinos politius & limatius

matius edidit, tum Zonaram & Choniatem historicos conuertit. Donec ab amplissimo Augustanæ Reipub. Senatu scholæ reparatio & gubernatio illi commissa est. In quo quidem officij munere singulari fide & diligentia eximia versatus est vsq; ad finem vitæ. A senatu verò honestè liberaliterq; tractatus, ornauit Rempub. illam antiqua virtute & laude celebrem docendo, scribendo, & propagando literarum scientiam, quoad facultas viri Deo pariter & Musis cari tulit. Nō enim est decus Reipub. Christianæ maius, non ornamentum præstantius, quam liberalis doctrinæ, politiorisq; humanitatis, pietatis, iustitiæ atq; virtutis professio. Hæc Christianam Rempub, maximè à Turcica barbarie, immanitate & colluuione separat. Hæc Deo acceptos reddit, & plurimum ad communem societatis humanæ fructum affert. Ex Musis enim, vt Poëta ait, eximium decus ad homines redundat. Vicissim verò nullū à Rep. ista amoris, nullū honoris, nullum studij, nullum pietatis, nullū liberalitatis officium Hieron. defuit. O beatā ciuitatem, quæ nominis sui celebritatē Musarum & virorum doctorum cōmercio atq; conuictu retinere atq; augere studet.

Quod

Quod Augustam inclytam omniq; laude cumulatam abundè arbitror declarasse, dum huic Musarum angelo, Hieronymo non hospitium solùm, verumetiam victũ, stipendium, cæteraque ad vitæ vsum cultumq; necessaria præbuit. DEVS omnium disciplinarum, artiũ & doctrinæ salutaris fons, autor, custos & conseruator laudes & honores immortales illi pro diuinis & immortalibus suis meritis tribuat.

Præclarè autem Hieronymus vixit, quia non solùm profuit viuus omnibus, qui literas Latinas & Græcas amant, sed etiam nunc prodest mortuus. Reliquit enim ingenij sui monimenta literis mandata, quæ erudire poterunt etiam posteros. In medio est Demosthenes, cum primis luculentè, ornatè, & ad rerum dignitatem aptè, & quasi decorè in sermonem Latinum conuersus, & scholijs vtilibus illustratus. Quo vno opere contenti ab Hieronymo esse potuissemus, etiamsi aliud nullum edidisset. Effecit enim, vt ante ignotus plærisque Demosthenes, nunc familiariter nobiscũ versetur in scholis & Academijs.

Questus est Hieronymus, cum Lutetiam Parisiorum denuò venisset, professorem Regium Strazelium, qui Demosthe-

nicas orationes tunc interpretatus est, canina rabie, pro suggesto versionem suam exagitasse, & per calumniam mirè deformasse. At cum ille bonus vir isto nomine appellatus à Vuolffio rationem sibi reddendam esse intelligeret calumniæ suæ, ocium sibi deesse ad eam rem finxit, nec admittere postea Vuolffium ausus est. Qua tergiuersatione non obscurè significauit Gallus iste, alienę laudis inuidia magis, quàm vera aliqua causa impulsum sese Vuolffij interpretationem dente maledico carpsisse. Doluit scilicet ab homine Germano præripi Gallis tantam laudem, quæ ferè magna est, Demosthenem scilicet in Germania ab homine Germano Latinè loqui cum Germanis, Gallis, Italis didicisse: quod ante id tempus discere ita potuit à nemine.

Sed non contentus Demosthene Hieronymus etiam Isocratem græcolatinum, scholijsq; explicatum nobis suppeditauit. Cùm autem reuera his duobus luminibus Oratorum nihil olim florentissima Græcia, nihil illæ ipsæ Athenæ habuerint præstabilius aut gloriosius: est sanè quod gratulemur Germaniæ nostræ, quod per Vuolffium tantorum fluminũ eloquentiæ

tiæ particeps facta est. Vtinam verò persuaderi hoc nostris hominibus, vel vobis, studiosi carissimi, posit; vt hosce quantiuis precij thesauros magni faciatis, & cum Demosthene, Isocrateq; colloqui Latinè & Græcè cupiatis.

Est hoc decus Germaniæ ingens est adiumentum Ecclesiæ, est ornamentum Rerumpub. sonare Atticam eloquentiam in scholis, atq; adeò omnem vim Oratoriæ facultatis ex Græcia in Germaniã esse effusam. Nihil nobis deesse video ad solidam eloquentiam, nisi studium, operam & industriam in amplexando, discendo, colendo, tuendo. Fatentur ipsi Græci, qui reliqui sunt hodiè Constantinopoli, præ cæteris eruditi, & Christianæ religionis amantes, totum Musarum chorum, relicto Helicone, in Germaniam migrasse. Nec dubium est, Eloquentiam Atticam, patria vastata, in Germanica gymnasia auolasse.

O suaues hospites Musas, ô gratum commercium Eloquentiæ Græcæ, quo exhilarantur Academiæ, locupletatur Ecclesia, ornatur forum, lætantur curiæ, gloriantur aulæ. Quod si Demosthenem & Isocratem hodie remitteret Orcus, non profecto sedem Eloquentiæ suæ illi in patria collocarent,

rent, ſed procul trans alpes in Germaniam abirent, & Auguſtæ Vindelicorum paratum ſibi à Vvolffio domicilium deligerent: vbi ſcilicet renati ſunt, vbi D. Fuggeri & Senatus liberalitate alti & egregiè remunerati ſunt. Hanc laudem pro ſua ſibi vendicat Auguſtana Reſpublica, iccirco quia Vvolffium fouit, Demoſthenis & Iſocratis ὀαρίστην & interpretem.

Laus eſt etiam Septemuiri noſtri, D. Auguſti Principis Clementiſsimi, quod in his ipſius Academijs ſonat Eloquentia Demoſthenica & Iſocratica, nec conticeſcat Ciceroniana. Quod ſi qua ex Latinis & Græcis literis gloria, ſi qua vtilitas percipi poteſt: magna vtique hinc ad terram Saxonicam, atque adeò ad totam Germaniam redundatura eſt. Modo vos vigilantes ſitis, & ſerio hæc diuinæ Eloquentiæ ſtudia colatis: quo paulò poſt ex hoc ipſo diſcentium cætu vocari atq; eligi poſſint, qui Eloquentiæ ſuæ riuulis hortos Eccleſiæ, aulæ & omnium partium Reipub. rigari poſsint.

Præter Oratores Atticos Suidam etiam Latinum fecit Vvolffius, & hiſtoriam Byzantinam tranſtulit à Zonara, Niceta, Nicephoro Gregora, & Laonico Chalcōdyle

conſci-

conſcriptam. Quam alioqui tota fortaſſe adhuc ignoraret non ſolùm Germania, verùm etiam Italia & Gallia. E Ciceronis etiam ſcriptis nonnulla commentarij & annotationibus ſuis explicauit, quorum in numero ſunt tres de Officijs libri, Dialogi duo, & libri quinque Tuſculanarum quæſtionum. Si qua præterea ſcripſit aut interpretatus eſt in manus meas non peruenerunt. Hæc autem quæ recenſui, an non ſatis præclare eum in literis vixiſſe declarant.

Cognouiſtis labores Hieronymi ſalutares, percepiſtis monimenta, quibus memoriam nominis ſui conſecrauit, & nobis omnibusq; poſteris commodauit. Accipite deinceps etiam præmia, honores & fructus, quibus labores eius honeſti ſunt decorati. Si enim laboraſſet ſolùm Hieronymus, nec laboris mercedem conſecutus eſſet: iniquè admodum cum eo actum eſſe haud negarem, & deterreret etiam alios à ſimili ſtudio atque conatu talis præmiorum inopia. Fateor autem, grauiter de fortunæ iniquitate multa queſtum eſſe Vuolffium. Nec diſsimulo eius voces nimis molles de aſperitate conditionis ſuæ, de hominum iniurijs, dolo, fraude, perfidia

fidia atque violentia. Scio quoque egestatem suam sæpe illum deplorasse, mortemque sibi optasse. Quæ quia ex parte quadã à Philosophia aliena sunt, non laudo, sed eo loco habenda duco, quo digna sunt. Quod enim benè factum ab eo est, id debita laude ornare cupio. Quod verò ex animo molli & abiecto profectum est, repudio, vel potius, ὡς ἐπιεικὲς ἐστὶ, candidè interpretor, tanquam vnus, qui & ipse hominem se esse fatetur, & humani à se nihil alienum putat.

Fraudes, imposturas, inuidiam atque perfidiam hominum experimur omnes, quamuis alius alio magis grauetur atque percellatur. Sed num propterea queri perpetuò volumus? Illiteratos contemnere talia sæpe, vel certè eleganter ferre posse videmus. Quid igitur facere conuenit literatos? An nihil est reliquum præsidij in literis, quo roborari animus in tali casu possit? An statim obliuiscemur omnium præceptorum & exemplorum, quæ legimus, vidimus, didicimus vel docuimus etiam alios ipsi? Eijcienda est ista animi mollities, & deuorandæ hominum iniuriæ, vel degluttiendæ potius, secundum prouerbium vt pilulæ. Erat natura querulus Hierony-

mus, vel vt Græci dicunt μεμψίμοιρος: suam fortunam deterrimam ducens aliorum verò beatam existimans: haud perpendens interim, se sua tantùm mala suo loco sentire, alium alia loco suo: & nihil esse ex omni parte beatum in hisce rebus humanis.

Sunt onera, sunt molestiæ, quæ nos premunt in hac scholastica professione. Verùm non minores fortasse sunt, quæ grauant alios. Etsi nos solos esse, quibus non omnia ex sententia succedant, arbitramur in turpi errore, & rerum humanarũ ignoratione versabimur. Has molestias nõ nisi cum supremo halitu vitæ deponimus. Nec est quod vllum tranquillum spiritum vacuum ab omni cura & ægritudine speremus, in hoc curarum, solicitudinum, & anxietatum æstũ atq; ergastulo. Nõ nasci te oportuit Vvolffi, si vacare his cõmunibus & necessarijs malis voluisti. Sed hoc ne optare quidẽ licuit: cũ viuere te cum cõmodo tanto Reip. Deus voluerit. Non perpendisti satis mundi morem, nõ queristatim conuenit, cùm moles aliqua durior etiam nos premit. Gemere quidem licet, & Dei opem implorare: querelas verò ingeminare mulierum more, non est viri, ne dum

Phi-

Philosophi. Sic enim comparatum est: vt cùm rari sint, qui querelis nostris moueantur satius sit tacere; vt verus mihi videatur in vtramq; partem versus iste: Et

Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.

Qui sapit, in tacito mœreat ille sinu.

Plærique incommoda quidem multa sentiunt, sed dissimulant, obsequentes Pindarico præcepto, vt pulcra foras vertantur, deformia verò occultentur.

At quorsum hæc studiosi? Huc videlicet vt moderatè discatis fortunam, quamcunque Deus dederit, ferre. Non absq; incommodo, nō absq; grauibus molestijs viuere possumus, & vt se in cauerná aliquis abdat, non tamen vitare omnes miserias poterit. Habet inuidiã, odiũ, perfidiam etiam noster ordo, cogimur inimicitias suscipere multorũ, obijcere periculis corpus & vitá, ferre sæpe calumnias, obtrectationes, conuicia, inopiam, contemtum, iniuriam. Verùm interea animis neque frangi, neque queri nimium debemus. Non enim ij nos sumus, quibus prospera euenire omnia, aduersi accidere nihil oporteat. Vsu venerunt eadem & quidem atrociora multò alijs, qui nos sapientia & dignitate anteeunt.

Cum Socrate quomodo actū sit, ignotum puto esse nemini. Quid quæso illi ad solidam sapientiam & eruditionem defuit? An non pietate in Deum, & inflammato studio in homines benè meriti de cunctis conatus est? quin in paupertate etiam diuini cultus causa fuit. Et tamen à maleuolis & iniquis obtrectatoribus atq; aduersarijs suis impietatis & corruptæ adolescentiæ accusatus & capite damnatus est: non nisi ex mera inuidia & odio, quòd multos inscientiæ conuicisset. Hoc si tanto viro accidit, quid tu tibi vis, aut quā præcipuā fortunam tibi postulas, qui cum Socrate haudquaquam conferendus es? Suppeditat exēpla illustriora & veriora cœlestis scriptura, Noami, Iosephi, Mosi, Eliæ, Dauidis, Esaiæ, Ieremiæ, Danielis, Ioannis Baptistæ, Pauli, & id genus aliorum, quorum nullus est, quin in suo officij munere multò acerbiora pertulerit, quàm nostrûm aliquis hodie potest perferre.

Fugiamus itaque temeritatem istam, præstemusque nos in professione nostra sancta eos, qui esse debemus, hoc est, non recta solum, iusta, bona, vtilia & salutaria facere studeamus, sed quæ fert secū ꝓfessio firmis etiam animis, toleremus. Mortem

verò

verò optare in calamitatum concursu humana quædam est infirmitas, quæ cadere in vnumquenque potest. Quocirca minus isto nomine reprehẽdendus videtur Hieronymus, quod & ipse maluerit in primis annis ætatis se extinctum esse, quàm tot malis conflictari: Nec dubito idẽ in mentem sæpius venisse sanctis quibusdã hominibus. Ex quo magis miror stolidũ & ineptum Iudæorũ de Mose cõmentum, quod ad vitæ exitum vocatus obsequi recusarit: cùm contra mortem absque dubio sæpius optarit in tanta mole ærumnarum, quas sustinuit, si per Deum modo licuisset. Veruntamen nec huic nimium est indulgendum opinioni aut cupiditati, ne munus à Deo adsignatum defugere velle videamur, & seruire Deo in statione commissa recusare. Quod & impium est in Devm, & perniciosum proximo. Tantum igitur abest, vt mortem precari debeamus, vt gratias etiam agere Deo pro concessa vitæ vsura deceat, & si quidem inseruire ipsius honori, communique commodo amplius possimus, prorogatio etiam vitæ petenda est.

Nec illud etiã in Hieronymo laudo, quòd coniugiũ vitarit, & felicitatis partẽ

præcipuam esse putarit ἄγαμόν τε καὶ ἄγονον εἶναι. Quæ enim potest in hoc esse fœlicitas, quod Deus ipse malum dicit? cùm ait: Non bonum est homini esse solum. Deceptus est igitur opinionis errore, quod id in bonis numerauit, quod Deus malum pronunciat. Quin commodi, voluptatis & solatij plurimū ex eo cepisset, si mandato Dei obsecutus, sociā vitæ fidam sibi adiunxisset, in cuius sinu effundere querelas potuisset, quæque molestias lenire, & fastidia vitæ, laborumque vocationis excutere sciuisset. Tanto igitur bono cùm se priuarit ipse, acerbiorem illi esse omnem vitam oportuit. Nec potuit iure queri Hieronymus, occasiones sibi defuisse, cùm non semel diuinitus oblatæ fuerint non contemnendæ. Quemadmodum nec de præmijs laborum & operum suorum editorum querelam vllam fere iustam satis habuit.

Nam vt de reliquis nihil dicam, an non Isocratis vertendi labor amplo satis munere centum Ioachimicorum ab Inclyto Senatu Augustanæ Reipub. est remuneratus? Suidæ verò conuersionem ducentis florenis generosus & magnificus Dominus Carolus Villingerus, Baro à Schonenber-

ga, muneratus est, Quid dicam de commentario Officiorum Ciceronis , quod quinquaginta aureis eadem Respub. Augustana honorauit ? Vnde satis apparet, honestos, officiosos & vtiles Vvolfij labores honoribus præmijsque satis amplis decoratos esse. Quod ipsum solatio etiam Studiosis esse potest, vt de mercede laborum, præmijsque studiorum suorum minus sint solliciti. Deo enim curæ est , ne literarum & artium Studiosis atque Professoribus debitus honos & subsidia necessaria desint. Discite modò strenuè, & eruditione solida mentes vestras complere studete, vt vsui esse Deo & hominibus positis.

Sunt in hoc Ducatu, Studiosi, tot aulica officia , tot Ecclesiasticæ functiones, tot scholasticæ administrationes, tot in singulis curijs, prouincijs & quæsturis munera, quæ vestrā operam expectant atq; requirunt, vt bona spes sit, vnumquemque vestrum, tempore suo, locum, victū & honorem suum esse inuenturum. Quod si nō in omnib. vestris optatis fortuna respondeat, nec eo tempore & modo, qui vobis videtur commodus & opportunus, honos & præmia fortè tribuantur : recordamini nec Hieronymo nostro, nec vlli alij omnia ex

ſententia ſucceſsiſſe. Non enim tam expetenda nobis eſt fortunæ copia & facultas, quam diſcenda in carendo patientia, & in vtendo ratio. Serò quidem Hieronymum fortuna reſpexit, non penitus tamen neglexit, ſed ſuo tempore euexit, & ad ſempiternam nominis gloriam erexit.

Habemus igitur in Hieronymo vtriusque fortunæ exemplum, miſeræ ſcilicet multumq; iactatæ, & ſecundæ florentisq;: cũ & labores aſperitatesq; multas ſuſtinuerit, & præmia etiam tanta ſuæ induſtriæ adeptus ſit, quanta conſequitur nemo, niſi cui ad efficiendum aliquid ſalutare diuinitus adiuncta fortuna eſt. Ducimus enim illlum iure omni in eorum numero, qui nati ſunt, non quidem ad ſumma illa, quæ heroicis & Principibus viris in mundo commiſſa ſunt, ſed ad docendum & propagandum bonas literas in ſcholis. Ac ſi qua debetur docentibus gratia, ſi quis honos tribuẽdus eſt bene meritis: iure etiã à nobis debetur atq; tribuitur huic Hieronymo, vt videlicet non memoriã tantum illius in Academia hac retineamus, ſed gratiam etiam illi pro tantis in Rempub. literariam meritis perpetuam & immortalem habeamus. Errat enim tota re, ſi quis putat,

putat, doctrinæ liberalis interpretem ac propagatorem exiguum aut cõtemnendum esse Dei donum.

Habeat suam laudem scientia rei militaris, quam semper in mundo obtinuit: sed relinquatur etiam suus locus disciplinæ artium & literarum. Eodem tempore florebant in Græcia Philippus Rex Macedonum, & Plato, Aristoteles, Demosthenes, Isocrates: Ac Philippus quidem bella gerebat, Plato verò, Aristoteles, Demosthenes, Isocrates Philosophiã & Oratoriam exercebant. Iam Philippi gesta obliterauit penè temporis vetustas. At Platonis, Demosthenis opera nulla vnquam delere potest obliuio: quippe qui hodie nobiscum loquuntur, nos erudiunt & instruunt mortui non minus, quam olim fecerunt viui. Sic nostra hæc ætas milites tulit & duces belli solertes, industrios, felices & salutares, quibus suus manet honos. Sed tribuenda etiam laus est nostro Vuolffio, qui exercitatus peritus, & sedulus fuit docendi & interpretandi literas latinas & Græcas artifex. Ex cuius monumentis, tanquam ex fontibus, haurire poterunt omnes Eloquentiæ Latinæ & Græcæ Studiosi. Ac sic diligenter circumspicere volumus,


hoc vno bono, post sanctum Dei verbum, excellit Christianus orbis, quod artium & doctrinarum habet Professores, iustitiæq; Sacerdotes atque custodes. Cætera ornamenta atque insignia cum Turcis fermè nobis sunt communia.

Nos ergo, nostro loco, gratiam tibi habemus, Vuolffi, ac memori mēte persoluemus perpetuò. Vtinam vos etiā, Studiosi, id vobis persuaderi à me sinatis, vt rectis studijs ad veram, vtilem, & solidam eruditionem contendere neminem posse credatis, nisi cum Tullianæ eloquentiæ cultu Demosthenicæ & Isocraticæ Eloquentiæ studium coniungat. Quid enim nauare & efficere potestis, si Iurisconsulti, si Theologi, si Consiliarij, si Consules, si Iudices futuri estis, si alios vicissim docere aliquando literas vultis, nisi hoc genus exercitationum Latini & Græci sermonis degustaueritis? Quicunq; autē Latinæ & Græcæ orationis amore tenetur, is Vuolffium interpretem non aspernabitur, sed gratias illi pro interpretationibus & declarationibus tam perspicuis, tam disertis Demosthenis & Isocratis aget. Sic interire memoria tua Vuolffi, non poterit, dum studia hæc eloquentiæ & literarum reliqua erunt. Et

semper

ſemper tibi gratiam aliquam habebunt, qui legendis tuis lucubrationibus in Latina & Græca oratione proficient.

Plura, quæ vel de Vuolffio prædicē, vel illi optem, non habeo, niſi vt pro ipſius laboribus & meritis in omnes ſcholas & Academias reddat ei æterna & auguſta præmia æternus & omnipotens Dei filius, λόγος, omnis Eloquentiæ veræ & ſalutaris fons & dator vnicus. Quem vnà cum æterno patre & Spiritu ſancto oro, vt ſtudia literarum & Eloquentiæ in hac Academia incendat, foueat, augeat & ſeruet: quò prodire non ita multò poſt inde, tanquam ex Iſocratis ludo, poſsint iuuenes & viri instructi literis & eloquentia ad omnia Eccleſiæ & Reipub. ſub Illuſtriſs. & clementiſs. noſtro Septemuiro, officia & partes adminiſtrandas atq; tuendas. Dixi.



Oratio XVIII.

DE CAVSIS, QVÆ CLADEM GRAECAE LINGVAE afferunt, in hisce regionibus, Erphordiæ habita: Anno 1567. cùm vicina vrbs Gotha & cõtigua illi arx Grimmenstein obsidione cincta esset, & deditio eius flagitaretur.

MIRETVR fortasse quispiam, cur in his temporum difficultatibus, quibus Martis furor armorumque fragor vndiq; ingruit, pauidasq; hominum mentes mirificè perturbat, Musis tamen eum honorem habeamus, vt cultum ipsarum non omittamus, & actus scholasticos non penitùs negligamus. Solent enim teneræ, & in ocio magis quàm in cruentis certaminibus natæ Musæ, abhorrere à Martis conflictibus, armorumque sonitu: adeò vt grassantem Martem non minus fugiant, quàm hostilem accipitris impetum trepidæ formidare solent columbæ. Etsi autẽ fatemur, nos hisce horribilib. bellorum tumultibus non parum conterreri, neque metum nostrum ob Martis furorem, qui subitò in vicinia exarsit, dissimulamus: tamen si quis à nobis quærat, qua

qua cau'a impulsi, operas nostras scholasticas, & hos actus conferendorum honorum non prætermittamus, respondere non difficulter possumus. Vt enim fortes & magnanimi illi Hierosolymorum instauratores, qui ex captiuitate Babylonica ad restituendum Dei cultum, reparandásque sedes patrias reuersi erant, nullis minis, nullisque hostium violentis incursionibus atq; conflictibus moueri potuerunt, vt ab opere, quod pio consilio, iustoque zelo susceperant, desisterent: sed vna manu ædificarunt, altera gladium ad artendum hostem accurrentem tenuerunt: ita nobis quoq; recens ac vix dum incoatum studiorum ac doctrinarum mellificium nullus metus, neque vllus terror bellicus excutere debet. Parum enim est, ibi fortem esse, vbi veræ fortitudinis ac tolerantiæ documenta placidus rerum status nulla requirit, nisi in aduersis quoque constantes inuictosque nos præbeamus. Neque etiam sinit professionis nostræ dignitas, nos metu periculorum ita frangi, vt officium virtutis turpiter deseramus. Etsi autem in hoc mellificio nostro, non Hierosolymitanorum more strictis gladijs pugnare possumus: tamen alia habemus

arma

arma his non inferiora, & ἀμυντήεια firmissima, quibus vti debemus, quibusque confidere ac tuti esse possumus, vota scilicet & precationem. His ergo vtamur, his in tribulentissimis tẽpestatibus nos muniamus & defendamus. Non enim potest esse incertũ, quod verbũ Dei nobis pollicetur: neq; euentũ nostrarũ precationũ dubium esse possibile est. Cùm igitur affirmet Deus, se in aluo sua gestare nos, & gestaturũ esse etiam in senecta: certũ est, cadere nos non posse: cùm is, qui gestat nos, casus omnis sit expers. Cuius enim potentia potest esse tanta, quæ Deum expugnet, cuius aluo contenti protegimur? Quis hunc murum perforabit, aut confringet? Hoc igitur diuino præsidio tecti, officium nostrum faciamus magno infractoque animo, obijcientes precum nostrarũ assiduitatem omnibus terroribus, minis atq; periculis tanquam clypeum, quẽ perrumpere comminuere nulla vis, nullum tormentum poterit. Qui promisit se seruaturum inter nos semen aliquod sanctum, non sinit Ecclesiam suã deleri, neq; pias scholas extingui patietur: sed benignè potius fouebit, atque tuebitur aliquas plantulas, in horto suo cœlesti consitas. Hac de causa

præ-

prælectionum operas in hac Academia non prætermittimus, & hos actus Scholasticos celebramus, & deinceps, Deo iuuante, celebrare non desistemus.

Porrò cùm in hoc Philosophico congressu & Actu Scholastico, aliquid vel de artium nostrarũ dignitate dici à Decano soleat, vel de virtute aliqua concio institui: ego quoq; huic consuetudini obtemperaturus Scholasticum argumentum delegi: & de mea professione Græcæ linguæ, quàm in hac schola sustineo, pauca dissere re decreui: idq́ue vt faciam, multa me hortari videntur. Primùm enim, video huius linguæ studium paulatim elanguescere, & indies ferè diminui: deinde quantam cladem Ecclesiæ & Reipub. interitus illius allaturus sit, aliquo modo prospicere mihi videor: illud etiam accedit tum, vt cognitis causis eius interitus, non candidatos solùm p̃sentes, sed totũ Studiosorũ cœtũ exhorter, vt suo quisq; loco det operã sedulò, ne notitia huius vtilissimæ linguæ inter nos extinguatur. Recensebo autẽ aliquas saltem causas, quæ cladem huic linguæ breui allaturæ mihi videantur: quas vt animis æquis & attẽtis audiatis, etiã atq; etiam oro.

Sunt profectò hæc tempora nostra huiusmo-

iuſmodi, vt querelis conſumendam eſſe orationem totam exiſtimem. Quocirca perpendite quæſo mecum triſtem ac lugubrem Græcæ linguæ caſum, quæ non ita pridem in his regionibus recepta, præmaturum iterum minatur abitum. Quem verò non moueat tam celer Muſarũ Græcarum tranſitus? Quis non deploret diſciplinarum, atque etiam cœleſtis doctrinæ ruinam, quam hæc feſtiuiſsima lingua à nobis diſceſſura ſecum trahet? Nec verò diſputabo in præſenti, de fatali neceſsitate, ſicut Stoici furenter diſſeruerunt, quaſi Deus inuidia quadam in genus humanum, tam præclarũ huius linguæ theſaurum nobis eripere in animo habeat: ſed de talibus cauſis dicam, quæ noſtrapte culpa ac ſcelere proprio nunc attractæ & cumulatæ, vitari potuiſſent & debuiſſent. Non enim Deus, qui fons eſt & author omnium bonorum, ſapientiæ, doctrinæ, omniſque ſalutis, tanquam latro ſiue tyrannus nos exuit & ſpoliat: ſed ipſe nos omnibus bonis priuamus, & exitium videntes ſcientes accerſimus.

Non vrbem ſuperi cupiunt euertère noſtram,
Et nobis, niſi ſunt numina læſa, fauent:

inquit

inquit Solon deplorans causas quæ afferunt exitium Rebuspub.

Ipsi sed patriam sceleratis mentibus vltrò
Conantur ciues dilacerare suam.

Sic rectißimè de nobis quoque conqueri possumus, atque etiam debemus. Nos, nos inquam in causa sumus, vt doctrinæ literarum ruinam minentur aut interituræ iterum videantur. Facit enim atque efficit horribilis nostræ ingratitudo, ignauia, libido, & extremus furor; vt erroribus implicetur Ecclesia, labefactentur regna, confundantur Respub. peruertantur leges, diminuantur scholæ: & Deus denique ipse ceu properans viator, à nobis discessurus esse videatur. Pace frui possemus, studia literarum colere, legum patrocinio tuti esse, & vera religione beari, verùm nos pacem profligamus, lites serimus, direptiones atque inflammationes vrbium & populorum vltrò accersimus, legibus sanctißimis pro animi libidine abutimur, & salutiferam doctrinæ cœlestis lucem & veritatem conculcamus, & profligatam volumus. O miseros nos, & peruersos, qui bona tanta cœco impetu abiicimus, & exterminamus. Scatet alioqui vita nostra ærumnis, calamitatibus, & miserijs quamplurimis,

quæ communes sunt omnium. Cur igitur non medicinam potius quærimus, quàm mala malis cumulamus? Quàm horribilis est illa de genere humano querela, quæ extat in Tragœdia.

Enses parat, cædesq; mutuas struit.

Hæc cùm quotidie, & quidem obstinatis animis, deditaque opera à nobis patrentur: quis non videt iure omni nos tandem plecti, & pro iustitia iniurias, pro veritate mendacia, pro luce tenebras, & pro eleganti politaque literatura barbariem fœdam ac tetram accipere? Verissima enim est, & sine omni dubitatione amplectenda Euripidis sententia: μῶρος δὲ θνητῶν, ὅστις ἐκπορθεῖ πόλεις, ναούς τε, τύμβους θ' ἱερὰ τῶν κεκμηκότων ἐρημίᾳ δοὺς, αὐτὸς ὤλεθ' ὕστερον.

Verum item est oraculum, re euentuque omnibus seculis comprobatum:

οἷά τ' ἀνὴρ ῥέζῃ, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.

Ita ergo fit, vt vnà cũ cæteris bonis, quæ Deus imméſa ineffabiliq; bonitate nobis in hac boreali ora, hac delira mundi senecta largitus est, & cumulatè in nos effudit, etiam Græcæ linguæ notitia auolatura à no-

nobis videatur. Nec coniectura nostra falsa aut inanis esse potest. Nam donum linguarum Deus arctißimo quodam fœdere, cum dono cœlestis Scripturę coniungit. Ruere ergo alterum absque alterius detrimento atque interitu non potest. Ac considerate quæso consilium Dei, quantū in hac caligine & stupiditate ingeniorum nostrorū fieri potest. Cùm haberet in animo Deus corruptā ac deprauatā inscitia & barbarie hominum Christianā religionem, in veterem dignitatem atque puritatem vindicare: paulò antè prænunciam lucis Euangelij misit linguā Græcam. Nam ex Græcia, quæ tunc à Turcis populabatur atque vexabatur, euocauit viros doctos, Emanuelem Chrysoloram, Gregorium Trapezuntium, Bessarionem, Theodorum Gazam, Ioannem Argyropilum, Demetrium Chalcondylem, Marcum Musurum, Ioannem Lascarem: & alios complures, quorum opera atque industria literæ Græcæ in Italia, quasi renatæ sunt. Ex Emanuelis Chrysoloræ disciplina profectus in Galliam Gregorius Tiphernas, operam suam in explicanda Græcarum literarum doctrina senatui Academiæ Parsiensis vltrò obtulit, stipendium sibi

decerni postulans. Cùm autem à nemine ad docendum accersitus esset, neque etiam literas Græcas profiteri in Gallia tunc visitatum esset, inepta hæc postulatio haud dubiè multis visa fuit. Interrogatus igitur Gregorius, quo consilio quáque spe id faceret? allegauit decretum in iure Pontificio, quod expresè iubet Magistros & Doctores constitui, qui literarum, liberaliúmque artium & linguarum doctrinam profiteantur. Hoc audito, senatus deliberatione habita, non solùm consilium eius approbauit: sed stipendium etiam honorificum, consentientibus suffragijs illi decreuit, vt Græca doceret. Egregium verò vtriusque & Tiphernatis & Academiæ factum, omniq; laude dignum. Quòd enim studium suum in explicandis literis Græcis florentissimæ Academiæ detulit Gregorius, non solùm animum suum propagandæ huius linguæ cupidum declarauit: sed necessariam etiam esse illius cognitionem omnibus, qui literarum doctrinę dediti sunt, testatum fecit. Quod verò senatus Academiæ oblatam vltrò professionem linguæ Græcæ, magno consensu & voluntate summa amplexus est, ex eo liquet, eum non solùm honorificè de lingua

gua

gua Græca sensisse: sed necessarium quoque eius vsum sibi esse iudicasse. Ita ergo lætis initijs literæ Græcæ in Galliam reductæ sunt, & velut ex morte resuscitatæ. Cùm autem feliciter ibi per hunc Gregorium tradi cepissent, auidè expetitæ sunt à multis, & studiosè cultæ: paulatimque progressæ longiùs, alijs etiam nationibus passim innotuerunt. Huic enim Tiphernati successit in docendi munere Hieronymus Spartiata, homo Græcus: à quo rudimenta Græcæ linguæ, Anno Christi 1473. didicit Ioannes Capnio Germanus, & alij, per quos ad Germanos tandem etiam ea propagata est, & in hodiernum vsque diem in omnibus Germaniæ Academijs & scholis sonuit. Verè autem ad Capnionem dixit aliquando Ioannes Argyropilus: Cùm enim Romam legatus venisset Capnio, intrauit auditorium Argyropili, vbi Thucydidem interpretabatur: cumque illum salutasset reuerenter, & alia quæ hospites solent, cum eo communicasset, iussus est ab Argyropilo partem historiæ Thucydidis legere atque interpretari. Quod cùm egregiè præstitisset Capnio, gemens exclamauit Argyropilus: Græcia nostro exilio transuolauit Alpes. Certum

est enim, per exules Græcos linguam hanc in Italiam primùm, mox in Galliã & tandem i 1 Germaniam esse sparsam. Quis autem non fateatur, admirabili Dei beneficio tam latè ad nos vsque Græcas literas esse propagatas? Quis non iure omni gratias Deo agendas esse agnoscat pro tanta luce, quàm hæc festiuissima lingua omnibus artibus disciplinisque attulit? Nullum etenim puto instrumentum potuisse inueniri cõmodius vel ad repurgandam doctrinam artium à barbarie, vel ad instaurandam veritatem & sinceritatem religionis nostræ Christianæ, quàm linguæ Græcæ cognitionem. Quis autem hoc consilium Dei tunc intellexit? Quis credidit, idcirco euersa Græcia eruditos exules in Italiam diuinitùs mitti, vt Deo instauratione & propagatione Ecclesiæ in his regionibus, ministros se præberent? Nihil certè aliud tunc Deus voluit, sicut ex euentu nunc iudicare non difficulter possumus. Vt igitur tunc renascituræ doctrinæ veræ in Ecclesia, prænuncia fuit lingua Græca: ita vicissim nunc ruinam eius suo à nobis discessu minari non dubiè videtur. Quia enim coniuncta hæc sunt, & operas mutuas tradunt (quanquã famula tantum modo

modo ſacroſanctæ Scripturæ, & capſula diuinorum oraculorum in nouo teſtamento nominanda ſit lingua Græca) non dubitare poſſumus, quin vnà cũ puritate cœleſtis doctrinæ, hæc ipſa lingua paulatim à nobis ſit abitura. At cœleſtis doctrinæ cultus quàm ſit languidus, obſcurum non eſt. Quis enim non videt, & ingenti dolore animi deplorat, horribilẽ deprauationẽ veræ religionis, in tot hæreſes diſcerptæ, & ad tam paucos redactæ? Vbi eſt ardor ille amoris veritatis, qui fuit, & eſſe nunc etiam debebat? Quotus quiſq; eſt, qui de eo, an puram doctrinam habeat, vel corruptam magnoperè eſt ſollicitus? Nonne ſatietas veræ doctrinæ cœpit plerosque? Quot veritatis corruptelæ excogitantur? Quàm pernicioſi errores approbantur, & tanquam flumen extra ripas effuſum, in Eccleſiam & ſcholas redundant? Terrena quærimus omnes: vt in hoc mundo victum & amictum habeamus, vnica nobis cura eſt: religionem pietatemq; tanquam ἐπίσαγμα vel ſecundariũ bonũ, vbilibet & expedit, adiungimus. Et vt externis bonis maximè incumbamus, & adhæreſcamus: non tamen egeſtatem, exilium, nu-

ditatem & inopiam satis euitare possumus. Repletur enim orbis terrarum malis vndique, fame, fraude, imposturis, seditionibus, iniurijs, bellis funestis, & alijs infinitis calamitatibus, ac plus satis verum est quod Poëta dixit,

πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.

Ac profectò prorsus hoc nobis vsuuenire videmus, vt quod maximo studio, labore improbo, & conatu insano, posthabito veræ doctrinæ cultu quærimus & affectamus, ne minima quidem ex parte assequamur. Amittimus igitur vnà cum verbo Dei quod negligimus, eam etiam quam maximè & vnicè desideramus, bonorum terrenorum necessariam copiam. Quid ergò aliud nobis polliceamur in tanta mentium & conatuum nostrorum peruersitate, quàm breui secuturum interitum & occasum pariter religionis veræ, & literarum Græcarum, in his regionibus? Ac si quis fortè Poëtica quadam Hyperbole ista à me dici existimat, is profectò experientiæ testi verissimæ apertè reclamat: vel ita voluptatibus immersus est, vt humanarum miseriarum nullo sensu afficiatur.

Est & hæc non exigua literarum Græcarum

carum interitus causa, quòd plærique eas non admodum necessarias esse ad comparandam veram eruditionem, & ad tuenda doctrinarum studia existimant. Insedit enim hæc perniciosissima persuasio multorum animis & inhæret tenacissimè, quod absque huius liguæ cognitione æquè honores, titulosque eruditionis summos acquirere, ac cum dignitate tueri possint. Hinc sanè fit, vt quodam fastu hanc linguam, vel prorsus despiciant, vel tanquam puerilem lusum ad scholas reijciant. Quin eos etiam qui Græcæ eruditi sunt, & Græca citare, commodéque etiam vsurpare norunt, oderunt: & Græcanicam sapientiam, tanquam inanem & friuolam quandam subtilitatem derident. Hæc quantam cladem huic linguæ afferat, non facilè dixerim. Contemtum equidẽ, vt alia omittam, omnis elegantioris & politioris literaturæ, apud magnates pariter & imperitum vulgus intolerabilẽ parit. Et mirificè præterea officit moribus, & ingenijs discentium: illudq; tandem efficit, vt discere nemo curet, quod non magnoperè probari atque dotari perspicit. Videmus adeò vtrumq; genus hominum, tum quod altius fortuna ad summos honorum gradus

extulit: tum illud etiã, quod propter ignobilitatem & obſcuritatẽ inferius eſt, egregiè artificiũ hoc ſcholaſticũ & vmbratile, quod in cognitione linguarũ & artiũ humaniorum occupatũ eſt, cõtemnere, & deridere: Philoſophosq́ue vel grammatiſtas potius talibus deditos ſtudijs appellitare, quaſi dicas doctorum fecem & obſcuram turbam: cùm tamen veræ ſapientiæ operam nauent, & fontes omnium diſciplinarum aperiant. His ergo moribus fœdè proſternitur & ſuccumbit ſtudium literarum Græcarum: quia mundus nihil magnifacit, niſi quod ad plauſum, lucrumq́ue captandum directum eſt: & qui ſe magnificè iactare & oſtentare nequit, cõtemtui habetur. Porrò quod apud pleroſq; improbatur, iacet ſemper: cùm veriſsimũ ſit, quod Cicero inquit: honorem alere artes, omnesq; incendi ad ſtudia gloria: vel quod ante Ciceronẽ Græcis verbis expreſsit Plato, ἀσκεῖται δὴ τὸ ἀεὶ τιμώμενον, ἀμελεῖται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον. Quod igitur hæc perſuaſio præſentem perniciem ſtudijs græcis afferat, hinc non obſcurè intelligi poteſt. Vt enim ſuperiori ſeculo, quo coli & propagari cœperunt literæ, omnes ſummi & docti viri magnificerunt Græcæ lin-

linguæ theſaurum, & ipſi etiam eius perſtudioſi fuerunt: ita hoc præſenti ſeculo, cum pleriq; inutilem linguæ Græcæ peritiam, vel certè non admodum neceſſariam eſſe putent, ſatis eſt argumenti eius ſtudium elangueſcere, & breui occaſurum eſſe. Aldus Manutius Romanus, ampliſsimè de literis humanioribus meritus, ſcribit, ſuo tempore non iuuenes modò, ſed ſenes quoq; literas Græcas auidè didiciſſe: nec minorem fuiſſe numerum diſcentiũ Græcè, quàm Latinè. O felix ſeculum, quo maiorum exemplo adoleſcentulis & iuuenibus Græcis incumbere literis licuit. O verò infelix hoc noſtrum ſeculũ, quo ſeniorum peruerſa iudicia à ſtudio literaturæ Græcæ ſtudioſos deterrent & abſtrahunt. Solet magna eſſe exemplorum vis, in vtramque partem: fitque adeò non rarò vt quæ rectè etiam à ſuperioribus fiunt, praua imitatione in abuſum conuertantur. Quantam igitur hæc peruerſa ſeniorum de literis Græcis iudicia perniciem huic linguæ afferant, facilè quiuis intelligere poteſt: Occinuntur & obſtrepunt vbique voces iſtæ diſcentibus, ſanè putidiſsimæ: non eſt de pane lucrando: item, Non linguis curantur morbi, neque ex philoſophia

phia deciduntur cōtrouersiæ. Hæ voces diræ, sordidæ, & execrabiles penè exanimant me, quoties eas audire cogor, quia sunt, pestes discentium. Ita enim fit, vt talibus dictis imbuti iuniorū animi, velut in herba vel flore intercepti, ad nullam certam & solidā frugem studiorū peruenire queant. Sed quid tandem merentur tales pestes generis humani, Ecclesiæ & literarū, quibus nihil habet hic orbis Christianus sanctius & vtilius? Digni equidem sunt, non seuerissima tantùm obiurgatione: sed diuina vindicta tandem pestilens eorum futilitas & furor in nostris linguis & artibus bacchans coërcebitur. Qui enim linguas contemnit, & quidem Græci sermonis elegantiam: is dona Dei contumelia afficit, nec in doctorum virorum numero est habendus: sed potius

Dignus is, vt sudans multa vi brachia tollat,
Quà iacet ignitos Sicelis Aetna globos.

Ac satis quidem euidenter huius peruersitatis pœnas hodie miserum genus humanum luere incipit. Cùm enim dona Dei tam vtilia & necessaria plærique fastu quodam & persuasione doctrinæ & sapientiæ extenuent: vicissim donis Dei exuti, pestes fiunt generis humani, & vasa

iræ

iræ DEI, vt Scriptura vocat, id quod perſpicuè comprabat omnium artium & facultatum, vt vocant, fœdiſsima confuſio, & abuſus teterrimus, qui in Eccleſiam & Reſpub. inuectus eſt, & oculis noſtris quotidie non ſine lachrymis cernitur. Etſi autem hæ, quas recenſui, ſatis magnæ cauſæ eſſe videntur, quare interituram linguam Græcam breui augurari opinione poſsimus: tamen multa adhuc ſunt alia, quæ huius linguæ ſtudium & cultum impediunt, & diſcentibus excutiunt. Nam præterquam, quòd à plæriſque contemnitur: præmijs etiam, quod deplorãdum eſt, penè omnibus deſtituitur: fitq; adeò, vt multi quidem ſtudij & operæ aliquid in ea perdiſcenda ponere cupiant, verùm quia neque in ſcholis, neque alibi vſpiam ſtipendia etiam ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria Græcè diſcentibus & docentibus numerari vident, ab incepto honeſtiſsimo deſiſtunt, & parare ea, quæ ſuppeditent ad cultum & ad victum coguntur. Ita ergo turpiter deſeritur cultus Muſarum Græcarum, non ſine ingenti detrimento Eccleſiæ & Reipub. Quid enim tandem fiet, amiſſa ſermonis proprietate, quam certè ex Græcis fontibus petere oportet?

Quanto

Quantò ornamento & ſubſidio Eccleſia & hæc Chriſtiana ſocietas ſpoliabitur? Parcius iam de hac iactura dico, quòd peculiaris tractationis argumento potius exponenda videatur. Hoc tantum dico: Cur alimenta Græcis Muſis denegamus? Cur nõ amanter eos cõplectimur, & fouemus, qui decus & fontem omnis honeſtæ literaturæ propagare ſtudent? O ingratitudo, ô peruerſitas, ô miſerũ genus mortalium, qui ſua violenter repellunt cõmoda. Non iam impendentes tenebras perhorreſcimus, non barbariem fœdam reformidamus: ſed furenter, vt Cæcias nubes, ſic nos caliginis pœnam nobis attrahimus. Deteſtamur omnes, & non immeritò, pluſquam inhumanum Xyſti Pontificis de literis Græcis iudicium. Audite enim quid fecerit. Non fingam quicquam: ſed ex Iouio, cui quantum tribuendum ſit, intelligitis omnes, bona fide recitabo. Cùm huic Xyſto, Theodorus Gaza, Deus bone, quantus vir libros Ariſtotelis de Animalium hiſtoria à ſe translatos, & in mẽbranis pulcrè perſcriptos, auroque & holoſerico ornatos obtuliſſet, & dedicaſſet: quæſiuit nihil aliud Pontifex, niſi ornatus quanti conſtaret? cumque ei eſſet reſponſum,

ſum, quadraginta coronatis: tot illi coronatos reddi Pōtifex iuſsit, & nihil amplius. Quomodo hoc iudicium doctiſsimo viro Theodoro placuerit, luculentè Iouius indicat, cùm, aufugere hinc libet, dixiſſe Gazam ſcribit: poſtquam optimæ ſegetes in olfactu præpinguibus aſinis ſordeſcunt. Sed quid aliud hodie de literis Gręcis iudicant præpingues & inertes, quàm tunc iudicauit Pontifex? Nonne hodiè etiã auditur iſta cantilena, quę verbis indigniſsimis recitatur à Theocrito, θεοὶ τιμῶσιν ἀοιδούς Multa quidem de hac quoque cauſa dici poſſent, & deberent: ſed parcendum eſt auribus conſuetudiniq́ue. Illud autem magnum in primis eſſe mihi videtur argumentum occaſus linguæ Græcæ, quòd languidius iam in pleriſque Academijs Græca audiantur & diſcantur. Non enim eſt amplius vllus ardor in ſtudioſis, qui fuit ſuperioribus annis: ſed languor & veternus non obſcurus plæroſque occupauit. Scribit D. Martinus Lutherus, ſua ætate totum mundum Græcari cœpiſſe. Idem teſtatur in ſuis editis libris Aldus Manutius. Sed nunc ardor iſte extinctus eſt, pauciſsimiq; ſeriò Græcantur. Fitque adeò in hac lingua, quod in corporis humani opificio vſuueni-
re vi-

re videmus. Vt enim in animante, ob natiui caloris robur atque copiam, primùm sensus motusq; sunt vegetiores & ardentiores: postea verò decursu ætatum, decrescenteque calore, languidiores omnes actiones redduntur: quoque debiliores illæ sunt, eò à fine suo animal propius abest. Ita languor iste, qui plerosq; studiosos velut tabes quædam inuasit, signũ est expressum Græcæ linguæ ruinæ atq; interitus.

Accedit insuper hoc quoque incommodum non leue, quòd omnes penè doctores atque propagatores huius linguæ amittimus, nullis alijs in eorum locum succedentibus. Quanta enim nunc est verè doctorum virorum paucitas, qui literas Græcas probè fideliterque ad posteritatem propagare studeant? Ac vt maximè sint qui hodie literas in Scholis doceant, quàm pauci supersunt in Græca lingua artifices? Vix vnum atque alterum habent florentissimæ apud nos Academiæ. Superest Dei beneficio decus & ornamentum Germaniæ eximium, D. Ioachimus Camerarius, qui Græcæ linguæ ita peritus est, vt si florerent Athenæ, ciuis Atticus meritò haberi posset. Reperiuntur quoq; nõnulli alij, qui & linguã hanc apprimè callent, & docere

etiam

etiam rectè possunt: sed quid de posteris fiet, in tanto discentium languore, & fatali quasi declinatione studiorum? Nimis profecto exiguum & breue est Musarum Græcorum in scholis Germaniæ curriculum. Nam & nostrûm & patrum memoria in his regionibus primùm cognosci & coli cœptæ sunt. Anno Christi supra millesimum quingentesimum decimo octauo, primum Græca in Vvitebergensi Academia D. Philippvs Melanchton docere cœpit: & initiò Philippicas Demosthenis quatuor tantùm auditoribus ibi enarrauit. Paulo autem citius Lipsiæ Ricardvs Crocvs Britannus, Mezelervs ac Petrvs Mosellanvs explicare Græcarum literarum doctrinam instituerant. Verùm non hoc ago, vt initia huius linguæ in his regionibus persequar: tantum id dico, deplorandū esse tam immaturum eius, quem minatur, occasum. Quis autem non beatum illud seculum prędicet, quo Academiæ floruerunt, & doctis viris liberalissimisque studijs affluxerunt? Quis contrà, non infelices nos & posteros iudicet, qui tristem diminutionem scholarum ob oculos cernimus? Quid cōtagium luis in aliquibus Academijs esse-

m cerit,

cerit, notum est omnibus. Quantum verò damni datura sit Martis illa vis, quæ commota est, exploratum est nemini mortalium omnium. Denique quò euasura sunt perniciosissima dissidia, quibus iam Ecclesiæ & Scholæ horribiliter lacerantur & dissipantur? Ambitionis æmulationumque cæca studia, quantas calamitates quotidie attrahunt? odia occulta, quæ nunc tacitis discordijs continentur, quorsum tandem erumpent? Deus bone, quam immoderata est, & effusa maledicendi & calumniandi cupiditas atq; licentia? Quis à morsibus Sycophantarum potest esse tutus? Odiosa est exemplorum commemoratio, quæ vbique obuia sunt, & ruinam scholarum non obscurè prænunciant.

Quid ergo tandem fiet? Quomodo conseruabuntur Scholæ, aut propagabuntur doctrinarum studia, tot tantisq; obstãtibus impedimentis? Hîc, vt ab initio dixi, remedium aliud suppetere nullum video, præter votorum & precationum piarum studium, asiduitatemque: tum nostrã simul etiam qualemcunq; diligentiam, in faciendis nostræ vocationis operibus. Hæc duo coniungere oportet, & euentum Deo plena fiducia committere.

Hoc

Hoc igitur faciamus certatim, quibus do-ctrinarum, artium & linguarum professio in hac Schola mandata est, hoc vos etiam vt faciatis, seriò Candidati propter gloriã Dei, quam omnibus rebus anteferre debemus, etiam atq; etiam moneo & obtestor. Implorate, inquã, nobiscum Dei promissum, & euidentibus testimonijs confirmatum auxilium in his tumultibus, & summa omnium rerum perturbatione, extremoque Sathanæ furore, vt scholam hanc & nos omnes regat, ac tueatur, tum vestrũ quoque officium strenuè facite: incumbite, sicut piè præclareq; cœpistis, in bonas literas, toto animi impetu: & studete pro virili quisque laboranti & occasuræ Græcarum literarum doctrinæ opem ferre, vt illius cultus vtilitasque etiam ad posteros nostros perueniat. Certate cum inuidis & calumniatoribus nostrarum artium, non ambitione, nec iniurijs: sed precatione potius, virtute, doctrina, & industria. Resistite, quantum cõniti ingenio & animi viribus potestis, recrudescenti barbariei: nec ad ostentationem aut quæstum hoc honoris gradu, quem affectatis, abutimini: sed potius ad salutem Ecclesiæ & Scholarum conuertite. Nolite etiam esse immemores

beneficiorum matris vestræ Academiæ Philosophicæ: nec talem ei gratiam referre, qualem, proh dolor, aliqui cuculi verius quàm homines, nunc pessimo ad omnem stodiosam iuuentutem exemplo referunt. Verum in hos neque acerbè inuehi, neq; vehementer eos insectari mihi propositum est.

Quod superest, te rogo Reuerende clarissimeque Domine Vicecancellarie Vniuersitatis, vt Philosophicam hanc conscendas cathedram: & vt paulo antè priuatam, sic nunc publicam licentiam in hoc Doctorum, studiosorumq; cœtu his candidatis, in Philosophia concedas atq; tribuas: quò studij sedulitatisque suæ, quam in discendis bonis artibus & lingnis ab ineunte ætate impenderunt, fructum atq; testimonium hodierno die per te consequantur. Rogo autem te Deum æternum patrem Domini nostri IESV Christi, autorem & conseruatorem Ecclesiæ tuæ, & Scholarũ piarum, vt in his horribilibus tumultibus, quibus Martis furor apertè in nos sæuit, seruntur hæreses, crescunt bonorum odia, & Sathanas totam regni sui vim & extremum conatum in nostrã perniciem meditatur, & conuertit, solita tua clementia

nos

nos protegas, foueas, gubernes, & tuearis: neque ſinas, propter ingentia noſtra peccata ſummamq́; ingratitudinem, deleri inter nos notitiam verbi tui, artium & linguarum: ſed ſerues potius Eccleſiam tuam, quam plantauit dextra tua, quamq́ue vnigeniti tui filij ſanguine redemiſti: & regas nos omnes Spiritu ſancto tuo, vt tibi verè credamus & grata tibi faciamus. Guberna etiam ſcholam hanc noſtram, & fac eam ſeminarium Eccleſiæ & Reipub. vt multi in ea erudiantur vtili & ſalutari doctrina verbi tui, & cæterarum artium neceſſariarum: & fac nos omnes vaſa miſericordiæ. Auerte bella, peſtem, & alia mala, quæ exitium pijs ſcholis minantur. Defende etiam nos à ſycophantarum morſibus, & propulſa à nobis odia omnesq́; iniurias eorum, qui ſine cauſa nos inſectantur, & fac deniq;, vt vnum ſimus in te omnes, & conſentientibus animis veraq́; fiducia te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum cognoſcamus, adoremus & celebremus, cùm in hac mortali vita, tùm verò in æterna Academia pleno ore,

AMEN.

Oratio XIX.

DE DICTO XENOPHONTIS, EX SEPTIMO LIBRO Κύρου παιδείας, Artes sunt fontes bonorum; recitata in Academia Erphordiana, cum gradus Magisterij conferretur, V. idus Februarij, Anno 1569.

PIVM & iustum initium huius actus, quod & Deo gratum, & nobis omnibus vtile sit, faciam. Precor enim Deum toto pectore, vt clementer hunc actum gubernet & fortunet: vt ipsi debitus à nobis tribuatur honos, & vos, candidati amantissimi, debitum doctrinæ & virtuti testimonium in hoc conuentu publico, consentientibus & applaudentibus auditoribus omnibus, in communem totius Academiæ vtilitatem & incrementum per me consequamini. Ac quoniam de Dei præsentia & implorato eius auxilio dubitare nefas est, vos, candidati optimi, moneo, vt quæ vestræ partes in hoc actu sunt, eas strenuè agatis: & cum specimen eruditionis publicum in hoc loco à vobis expectetur; facite quæso, vt appareat, vos non ambi-

ambitione quadam, aut ausu temerario in hunc honoris titulum petere atq; ambire, sed iure omni, καὶ κατ' ἀξίαν eum vobis deberi.

Recitate orationes.

Audistis viri magnifici, & præstantes, vosq; studiosi amantissimi, ordine singulorum Licentiatorum orationes, ex quibus de ingenio, doctrina & moribus eorũ iudicare, non erit vobis difficile. Est enim oratio vera, ex verbis & rebus ornatis & bonis constans, animi honesti & eruditi indicium minimè fallax. Cum autẽ à me quoq; expectetur oratio, non tam splendida quàm vtilis, & ad exhortandos præsentes Licentiatos, exornandumq; hunc actũ Philosophicum accõmodata: quanquam vehementer animo angor, difficultatem dicendi pertimescens, & ingenij viriumq; imbecillitatem præmetiens: conandum tamen esse pro viribus existimo, vt studij mei diligentiam Academiæ probem, ne nõ tam voluntas, quàm facultas, mihi deesse videatur. Euoluam igitur breuiter dulcissimum Xenophontis dictum, quod in 7. τῆς Κύρου παιδείας, recitatur: Artes sunt fontes bonorum, quo elogio vix quicquã sanctius & honestius cogitari potest. Ac cùm plurimum

mum referat causas & autores dictorum rectè intelligere: initio qua occasione, & à quo viro hæc honestissima sententia prolata sit, commemorabo. Quæ fuerit Cyri Regis sapientia, moderatio, successus & victoria, vel ex solis Xenophontis aureis libris notissimum esse potest. Huic cùm in cursu fortunæ ipsius prosperrimo bellum intulisset Lydiæ Rex Crœsus, potentia, opibus, & rebus omnibus ad vitæ vsum cultumq; necessarijs abundans, falsa scilicet adulatorum interpretatione Oraculi deceptus: vincitur ab eo in Cappadocia, & mox Sardibus obsessus capitur, & regno potentiaque omni exuitur. Cùm autem Cyrus victor vrbem ingressus esset, iussit hunc Crœsum ad se captiuum adduci, cum eoq; de diripienda vrbe deliberat. Ac iustum quidem esse Cyrus existimat, militibus qui tam strenuè laborassent, diripiendi potestatem facere, quo obsequentiores in posterum eos habeat: sed nolle tamen se ait, eam diripi. Tum Crœsus direptionem dissuasurus, rationes adfert æquissimas, quare parcendum esse Sardibus existimet: ac inter cæteras hæc longè pulcerrima & sapientissima est, ne simul cum reliquis bonis corrumpantur artes, quæ

bono-

bonorum fontes esse dicuntur. Erat autem tunc Ionia referta artibus & liberalissimis studijs, doctissimisq; hominibus affluebat. Et Sardes ipsæ, nobilissima Vrbs Lydiæ, Ioniæ vicina, præterquam quod opibus & omni copiarum genere cæteras longè anteibat, literarum quoq; & artium cultui dedita erat. Cuius quidem rei, si testimonium aliud non extaret, tamen vel hæc vnica Xenophontis narratio satis demonstrat, fuisse hanc vrbem sedem & domicilium Musarum, cultaq; in ea esse Philosophiæ studia in magno docentium & discentium cœtu. Quare vt parcatur vrbi propter artes meritò petit Crœsus, non tam de vita & fortunis sollicitus, quam de artium bonarum incolumitate. Sed quid victor Cyrus? Assentitur victo per omnia, & facturum se esse, quæ petijsset, liberaliter pollicetur. Ita hæc Vrbs, quæ post Babylonem opulentissima erat in Asia, à direptione hostili seruatur. Cur enim artibus nō parceret, qui & ipse artium doctrina & sapientia admirabili præditus erat? Cur fontes bonorum corrumpere non vereretur, quem importare bona orbi terræ decebat?

Sed cur bonorum fontes vocat artes? Hic etiamsi non ignorem πηγῆς, seu fon-

tis appellatione copiam seu largitatem quandam significari: magis tamen me ipsius fontis, quam vbertatis appellatio delectat. Est enim fontis non solùm vbertas quædam, sed etiam perpetuitas, vnde aqua copiosa perennisq; in loca vicina longè lateque promanat, perinde vt de A'cinoi fonte Homerus scribit: ἡ μὲν ἀνὰ κῆπον ἅπαντα σκίδναται, qui per hortum vniuersum spargitur. Et de altero fonte inquit: ὅθεν ὑδρεύονται πολῖται, vnde aquam hauriũt ciues. Sic igitur fontis nomine origo & copia significatur, ita diffusa & sparsa, vt tanquam commune bonum quamplurimis vsui esse posſit. Neque hæc solùm, sed liberalis etiam & gratuita communicatio rei optimæ & saluberrima, hac ipsa fontis appellatione adumbratur, vtpote qui gratis καὶ ἀφθόνως omnibus adeuntibus aquam indefessè impertit, communemque sui vsum præbet. Iam hæc ad artes confer, & videbis quantum rebus humanis prosint literæ, A'ριστον μὲν ὕδωρ, Aqua res optima, ait Pyndarus. Sed multo meliores tibi videbuntur artes, si commoda earum rectè pensitaueris. Nam natura quidem necessarium est adminiculum aqua: sed verè bono-

bonorum, hoc eſt honeſtatis, pulcritudinis, humanitatis, æquitatis & reliquorum ornamentorum in vita ciuili nequaquam eſt origo & cauſa appellanda. Multo certè minùs res naturales cæteræ cum artibus, neq; dignitate, neq; vtilitatis vbertate ſunt comparandæ. Age enim primùm, vnde eſt hic auguſtus & ſacer bonorum fons, cuius riuulis omnes Reſpublicæ in gente humana tam largè perſperguntur & irrigantur? Autorem certè alium, pręter Deum, omnis boni cauſam in naturæ quærere, impium eſt. Ex huius enim ſanctiſsimo & ſapientiſsimo pectore artes iſtæ, quæ bonorum fontes dicuntur, & iam olim dimanarunt, & nunc hodie quicquid eſt humanitatis & boni reliquum, vnicè dimanat. Ac vt fluminibus & fontibus qui terras rigant, & animantibus potum præbent, ſapientes Ethnici numina attribuerunt, vt diuinæ prouidentiæ perennitatem eorum aſſcriberent: ita artiũ quoq; originem & donũ Deo acceptum omni iure referimus. Sed quorſum hæc de artium autore? Huc videlicet, vt dignitatem earum nobis omnibus commendent. Parum enim eſt, magnam artium vtilitatem prædicare, niſi à Deo ipſo traditas, & tanquam diuiniſsimũ theſau-

thesaurum mortalibus commendatas esse scias. Quisquis igitur artes tenet, eximium Dei bonum possidet, & è diuerso, quicunque artes, aut artium cultores aut professores odit, aut contemnit, Dei ipsius hostis iudicandus est. Iam quorum bonorum fontes sint artes, porrò videndum est. Cùm fontes bonorum appellantur, commune bonum Reipub. quod omnibus peræquè liberaliter & absq; inuidia impertitur, artes esse indicatur. Est enim hoc quasi peculiare harum artium, quæ ab humanitate nomen acceperunt, vt bona sua longè lateq; spargant atque diffundant, communiaq; his, quibus cùm commercium habent, reddant. Hinc non dici potest, quanta ad ciues singulos, & vniuersam Rempublicam emolumenta redundent. Sunt autem officinæ artium, quæ tantorum bonorum fontes appellantur, scholæ seu Academiæ, παιδευτήρια καὶ διδασκαλεῖα à Græcis appellatæ, quod artium vocem sonent, & doctrina liberali animos erudiant. Ex scholis igitur quasi per quosdam canales seu riuulos propagantur hæc bona, quæ artes vitæ ciuili important. Ac vnus quidem, atq; adeo præcipuus riuulus ducitur ad Ecclesiam, secundus ad politicū

Impe-

Imperium, tertius latiſsimè in ciues ſingulos ſpargitur. Etſi enim Eccleſiam cœleſti rore, qui eſt verbum Dei, perſpergi & viuificari oportet: tamen ex ſcholis miniſtros liberali artium doctrina excultos atque inſtructos prodire neceſſe eſt, qui intelligere & iudicare ſermonem atque ſenſum Propheticum & Apoſtolicum rectè queant. Nec carere poteſt Eccleſia his artibus, quas adminicula & inſtrumenta eſſe ad explicationem doctrinæ cœleſtis, Deus ipſe voluit: cùm neq; ad rectè perſpicueq; docendum, neq; ad arguendum contradicentes ſine illis quiſquam ſatis inſtructus eſſe poſsit. Quid multa? Artes earumque officinas adeò Eccleſiæ neceſſarias Deus eſſe iudicauit, vt cùm Eccleſiam in his regionibus inſtaurare vellet, prius literarum doctrinam, plurimis paſsim per Germaniam ſcholis & Academijs inſtitutis, ſuſcitarit: ne fonte tam neceſſario Eccleſia deſtitueretur. Si igitur Eccleſiam ſaluam & incolumem eſſe optamus, ſi doctores verbi diuini ſeruari vtile ducimus: artes in ſcholis ſonare atq; diſci oportere fateamur neceſſe eſt, vt inde ad Eccleſiam viri docti prodire poſsint. Simul atq; enim hic ſacer & auguſtus fons corruptus fuerit,

actum quoque de incolumitate Ecclesiæ erit, vtpote quæ ministros idoneos amplius non sit habitura. In his enim artium officinis præparari doctores verbi oportet: & qui hæc media contemnit, aut non admodum necessaria ducit, is in Deum contumeliosus est, & sibi alijsq; nocet. Rectè enim scholæ διδασκαλεῖα τῆς θεογνωσίας appellantur, quòd ad agnoscendum Deum viam monstrent, & artes doceant, quę quasi quidam duces sunt ad cultum opificis. Quàm fœcunda mater doctorum Ecclesiæ, iam per annos fermè quinquaginta fuit Academia Vvitebergensis? vt reliquas taceam, quot quantosq; viros genuit, & toti Germaniæ exterisque etiam nationibus impertiuit? Quanta, Deus bone, copia bonorum inde promanauit? Fuit & est verè officina & propagatrix artium istarū, quæ fons sunt bonorum, cuius riuuli per omnes Germaniæ angulos deducti largè suauiterq; Ecclesiam rigarūt. Ex quo quidem facilè iudicari potest, quantum noceant Ecclesiæ hi, qui parum aut nihil curant, sint scholæ, nec ne: Theologi ne, an alij in ijs educentur atq; præparentur. Secundus riuulus ex scholis in politicum Imperiū deducitur, bonaq; artium quamplurima

plurima illi impertir. Sunt enim scholæ etiam τῆς δικαιοσύνης διδασκαλεῖα, hoc est, iustitiæ officinæ, in quibus iusta ab iniustis discernere, & sepositis priuatis affectibus atq; opinionibus id tantum ratum habere discimus, quod leges rectum iustumq; esse pronunciant. Nec facilè quisquam satis ornatus ad Reipub. administrationem accedet, nisi prius artium fonte sua labra & animum totum persperserit. De hoc si fortè bubitas, audi Cyrum, qui apud Xenophontem ait, se de Præceptore suo hoc didicisse in schola, quòd id iustum non sit habēdum, quod opinione propria iustum esse videtur: sed quod lex iusta præcipit, id demum ab omnib⁹ approbari debere. Cumq; aliud secundum Arithmeticam, aliud secundum Geometriam proportionem siue æqualitatem conueniat, nec omnes causæ personæq; idem ius postulent: ex scholis discrimen iusti & æqui ad iudicandum adferendum est, æquitasque Philosophica in multis negocijs vsurpanda est. Cùm igitur non κτ̀ τὴν ψυχὴν siue δόξαν, hoc est, secundum innatam opinionem seu libidinem, quæ, vt Aristoteles ait, optimos etiam viros transuersos agit, sed secundum legem scri-

ſcriptam cauſas cognoſcere & dirimere controuerſias,æquo iudicio conueniat: in iuſtitiæ ſcholis prius præparare & erudire eos neceſſe eſt, quos Reipub. vtiliter præeſſe volumus,vt in iudicando non ſuos affectus,ſed leges conſulant atq; ſequantur. Cumq; in conſultando è præteritis exempla petere rerum futurarum vtiliſsimum ſit,ſecundum Iſocratem: præcipuarum rerumpublicarū hiſtoriæ notę eſſe debent,in quas intuentes meliùs de præſentibus negocijs iudicemus. Facilius enim quæ obſcura ſunt, è manifeſtis cognoſcuntur. Ideoq; in ſcholis libri Xenophontis, Plutarchi, Ciceronis, Demoſthenis, & aliorum autorum, qui exempla conſiliorum & euentuum, varioſque rerum humanarum caſus deſcribunt, legendi & cognoſcendi ſunt, vt ijs poſtea in magnarum rerum deliberationibus vti poſsimus. Eſt præterea ex ſcholis vel in primis humanitas,ſiue lenitas atq; moderatio ad Reipub. adminiſtrationem adferenda, vt & placidè audiantur, qui conſilium expetunt, & ſine moroſitate ijſdem detur reſponſio. Eſtq; hæc virtus adeò gubernatori neceſſaria, vt Plato neget eam Rempublicā eſſe beatam, cui non Philoſophi; hoc eſt, homines

mines

mines modesti & docti præficiantur. Huc accidit nobilis illa dicendi vis atque facultas, qua & hominum cœtus tenemus, & mentes allicimus, voluntatesq; mirificè quò volumus impellimus atque deducimus. Hanc vnde quæso, nisi ex artium & eloquentiæ officinis, scholis, hauries? Hæc igitur & alia commoda quamplurima ex sacro augustoq; fonte artium, quæ in scholis traduntur, in politicum Imperium redundant, vt & ius habeamus omnibus pariter æquum, ad omnesq; circumstantias accommodatum, tum vt de futuris euentibus ex præteritorum factorum collatione prudentius deliberemus, & deniq; in omni procuratione modestiores simus, & dicendo insuper flectere hominum animos possimus. Sic itaq; oportet politias quoq; ex artium fontibus suos rigare hortulos. Estq; opera danda his qui Reipub. præsunt sedulò, vt cursu largo gratoq; susurro hic fons effluat, quo exiccato debilitari ipsam quoq; Rempub. oportebit. Nisi enim ex scholis prodeant viri, artium doctrina & iudicio instructi, non salus ipsa, si velit, seruare Respublicas possit. Atq; hæc ferè publica sunt bona, quæ ex artibus ad Ecclesiam & Rempub. dimanare ostēsum

n est.

est. Sunt verò alia etiam penè innumerabilia commoda, quæ priuatim ad nos singulos ex artibus proficiscuntur. Primum enim scholæ priuatim etiam ciuis cuiusq; sunt bonum, vt ad eas liberos suos mittat, & liberaliter artibus imbuendos curet. Deinde nemo est, qui nō incredibiles sentiat fructus artium, etiam in priuata vita, cum nihil sit, si Ciceroni credimus, quòd tam adolescentiam alat, senectutem oblectet, & secundas pariter & aduersas res moderetur atq; ornet, quàm literæ. Tum si in casus aliquos vita nostra incidat, vt patria bonisq; fortunæ omnibus spoliatos periclitari nos necesse sit, tunc solatium & perfugium artes præbent optatissimum. Est enim ars portus miseriæ, nullaq; est terra, quæ artem non alat. Aristippus olim ex vrbe Cyrene nauigans, bona externa omnia amisit, sed quia artem perpetuò inhærentem animo circumferebat satis ad vitam præsidij suppetebat. Cùm enim fracta scapha in littus Syracusarum eiectus esset, conspexit illic in arena figuras quasdam Geometricas, vnde facilè coniecturam cepit, se reperturum ibi homines doctos & sapientes. Quocirca læto animo ad Syracusiorum gymnasium accessit: cumq; eius doctrina

doctrina illic innotuisset, exceptus est & tractatus honorifice, omnibusq; rebus necessarijs cumulatus. Ideoq; re ipsa iam expertus, artem vbiq; sufficiens esse viaticũ, iussit renunciari patriæ suæ ciuibus, vt eas sibi pararent possessiones, quæ non interirent, sed naui etiam fracta, simul cum possessore enatarent. Apelli quid acciderit, in medio est. Hunc enim ferunt aliquando, cum ex Græcia in Ægyptum nauigare vellet, naufragium primum, vnde vix emerserit, fecisse: tum à piratis etiam in littore vestibus spoliatum esse. Quamobrem egenus & mendicus tandem in Regiam Ægypti vrbem profectus, illic in aulę quodam angulo sese abditit, comedens de micis, quas passim emendicauerat. Sed forte visus ibi à quodam Satrapa superbo, ad Regis conuiuium ab eo inuitatur. Quod Apelles, quamuis per illusionem dictum, nihilominus sibi faciendum putans, ad dictam horam Regis cœnaculnm adit, pánis, ita vt erat, obsitus: interrogatusq; quid sibi vellet, respondit, se cum Rege esse cœnaturum, quemadmodũ esset rogatus. Hîc quámuis acerbè iterum derideatur & exagitetur: tamen propositum non mutat, sed se ab aulico quodam inuitatum

esse constanter affirmat. Cumq; quis esset ille qui ipsum inuitasset, interrogaretur: dixit se nomen quidem ignorare, sed formam hominis pingere velle, vnde agnosci posset. Id cùm egregiè præstitisset, delata est pictura illa ad Regem, qui admiratus illius præstantiam, mox hominem accersitum cœnare secum iussit: cumq; quid ei accidisset in itinere: cognouisset, amanter eo vsus est in pingendo, & tandem magno donatum auro dimisit. Ita ipsi ars sua in summa egestate ornamento & præsidio fuit. Sciens hîc multa prætereo commoda, quæ ex Medicina & Astronomia in totam vitam ciuilem largissimè profluunt, vt & quæ salubria, & quæ noxia sint, sciamus, & sanitatem præsentem tueamur, amissam verò recuperemus: tum annorum etiam, mensium & dierum descriptionem habeamus, & aëris varias vices alterationesque ex Solis, Lunæ, aliarumq; stellarum influxu & efficacitate multo ante vtcunq; prospiciamus & æstimemus. Ex his vero, quæ dixi breuius, patet, ad priuatam etiam vitam ingentia bona ex artibus peruenire. Quod cum ita sit, quis dubitabit rectè bonorum fontes eas appellari? cum & publicè & priuatim ita prosint, vt Ecclesiam

& Respub.

& Reſpub. atq; priuatam etiam vitam ex illis rigari oporteat. Cumq; officinæ earũ ſint ſcholæ, quis non immenſam vtilitatem ſcholarum perſpicit? Magna igitur cura ſcholæ fouendæ ſunt, alendiq; Profeſſores, qui velut diſpenſatores, tot tantaq; artium bona in Eccleſiam, Rempub. & priuatam vitam diligenter fideliterq; diſtribuant. Neq; exiſtimandum eſt, parum, aut nihil referre, Profeſſores in ſcholis ſint, nec ne: ſed ita potius ſibi perſuaſum habeant ſinguli, nefariè & impiè defraudari Eccleſiam, Rempub. & ciues ſingulos, niſi in ſcholis ſint, qui artes propagent. Nec inutilia Reipub. pondera, qui literas docent, cenſeri debent: ſed diſpenſatores potius habendi ſunt communium ciuitatis bonorum, deducentes riuulos talium bonorum, quibus Eccleſia, politia, & priuatim ciues ſinguli indigent, nec carere vllo modo poſſunt. Quocirca nemo eos flocci pendat, qui & priuatorum, & publicorum bonorum fontes cuſtodiunt & propagát, ſed agnoſcat quiſque quantum beneficiorum cumulum per viros doctos orbi terræ Deus largiatur. Ita fiet, vt Eccleſia doctores habeat idoneos, & Reſpub. conſiliarijs nunquam deſtituatur: tum priuatim

etiam necessaria solatia atque præsidia in prospera pariter & aduersa fortuna singulis suppetant. Si verò hos, tanquam non admodum necessarios, neglexeris, quid ages aliud, nisi vt spretis, obturatisq; fontibus, necessarijs præsidijs omnibus te ipsum nefariè spolies? O beatam Rempub. quæ artes fouet, vnde tanquam ex fonte perenni in omnes partes longè lateq; diffunduntur bona. O verè infelicem politiã, quæ fontibus bonorum destituitur. Ac si quem fortè hæc bona nõ permouent, is saltem decus literarum ingens, quod ad omnẽ posteritatem durat, animo consideret. Quis non vehementer nunc hodiè laudãdos Athenienses censeat, qui artes virosq; doctos egregiè præter cæteros amarunt & fouerunt? Quis contrà sues Bœotios non detestetur, & vituperandos existimet, quoties nomen eorum tam fœdum audit? Sic profectò prædicata est aliquando hæc Vrbs magnificè, propterea quod artes, bonorum fontes, fouit: vnde in Ecclesiam, aulas principum, ciuitates; scholas viri eruditi prodierunt, & latè sparsi sunt. Immo celebratur hodiè, quod non ita pridem aliquos insigniter eruditos complexa est, quorum doctrina & virtus non sine ingenti

ingenti laude Erphordiæ à Ioachimo Camerario publicis ſcriptis illuſtratur. Ac ſanè magna laus eſt, à viris tantis in hac Repub. artes, bonorum fontes, eſſe propagatas. Nauata eſt à viris iſtis opera ſtrenuè præſtitit que in ſua quiſq; profeſsione, quantum conniti animo & contendere labore potuit. Eobanus politioris literaturæ quaſi ἔξαρχος quidam in hac Academia extitit. Camerarius verò doctrinæ literarum Græcarum fundamenta quædam iecit: & poſt eum mox, anno videlicet ſupra milleſimum quingenteſimum decimonono, Græca docere publicè cœpit doctor Langus. Interim ſuam profeſsionem egregiè exornauit Doctor Georgius Sturcius, cuius domus tanquam commune hoſpitium omnibus doctis patuit: fuitque tantus in illo viro amor renaſcentis literaturæ Græcæ & Latinæ, omniumque aliarum artium, vt nihil prætermitteret, quod ad augendam ornandamq; rem literariam pertinere videretur. Huius ſui ſtudij ſocios habuit, Eberbachium, lumen Academiæ Erphordianæ, doctorem Ionam, Ioannem Groningum, & alios, quos omnes, mentes ſimus, niſi veneratione & immortali honore dignos exi-

ſtimemus. Hos tunc habuit hæc Reſpub. artium propagatores, qui bona quam plurima in totam ciuitatem liberaliſsimè cõtulerunt, & Eccleſiam, Rempub. & priuatim ſingulos ditarunt, nomenq́; inſuper etiam toti Reipub. celebre pepererunt, & poſt ſe reliquerunt. Qui noſtrûm non oportet ſibi cum talibus viris commercium, ſi per fata liceat? Quis non ſeculum illud felix iudicet, quo tantos ſuorum bonorum œconomos hæc Academia habuit? Quouſq; tandem ſtertemus? An non hæc aliquando nos commouebunt, vt toto animi impetu in propagationem tam ſalutarium fontium incumbamus? Sed reprimo me, & ad vos me conuerto, Licentiati optimi: vos adſiſtere mihi in hac cathedra iubeo, vt coram quæ volo communicare vobiſcum poſsim. Inprimis autem ea autoritate, quæ mihi à ſpectabili viro, facultatis noſtræ Decano, conceſſa atq; tributa eſt, vos moneo, vt Academiam hanc Philoſophicam, communem noſtram matrem, verò amore complectamini, eamq́; pijs officijs certatim iuuetis & ornetis. Ita enim habetote, curam atq; propagationem fontium huius Academiæ, hoc eſt, artium bonarum, ad vos quoque translatam

tam esse. Quare videte diligenter etiam atq; etiam, vt boni fidelesq; œconomi sitis, & bona hæc ad Ecclesiam, Rempublicam, & ad priuatos vsus deriuare & transmittere studeatis. Cumq; in dispensatore inprimis requiratur fidelitas, quæ peritiam, naturæ bonitatem, & sedulitatem complectitur: seriò vos hortor, vt literarum solidam cognitionem expetatis, quo appareat vos eius rei, quã profitemini, non vmbram, sed scientiam mediocrem habere. Deinde luceat in vobis ἐνφύα, id est, indoles virtutis, vt alacri animo & iudicio recto officium vobis mandatum efficiatis. Tum assiduitatem & diligentiam in administratione dignam præstate, nec vllis deterremini conuicijs, contemtu, inopia, & incommodis alijs, quæ nobis obijci solent. Idq; accuratè cauete, ne vel inscitia forte, vel malis moribus professionem ipsi deformetis: quod perinde mihi videri solet, ac si vpupa, quod aiunt, proprium contaminet nidum, in quo postea volutari ipsam oportet. Deinde libros clausos vobis exhibeo, vt significetur, vos non nunc primum incipere has artes, quas profitemini, ex libris discere, sed ab ineunte ætate ita in eos incubuisse, vt memoria etiam

præcipua earum capita teneatis. Eosdem rursus apertos vobis cõmendo, vt sciatis ad lectionem Philosophiæ nullo nõ tempore vos impelli. Insuper vetus docentium insigne, pileum vobis impono, quo honos & dignitas vestri muneris maxima adumbratur: estq; non solum capitis ornamentum, sed etiam tegumentum aduersus inuidiam, obtrectationem, calumniam, & incommoda cætera, quæ docentibus Philosophiam occurrunt. Tandem aureum annulũ adijcio, qui & dignitatẽ auget, & vt in professione integrè casteq; versemini, efflagitat. His ornamentis & insignibus omnibus, pro more Academiæ vobis concessis & tributis, superesse nihil video, nisi vt apicẽ seu colophonem addã. Accipite igitur titulum & gradũ Magisterij, quem vobis iussu Præsidis atque Decani Philosophicæ facultatis cũ omnibus adhærentibus, iuribus priuilegijs, dignitatibus, emolumentis & immunitatibus, plena voce & autoritate cõfero, do & assigno, vosq; creatos Philosophiæ Magistratos renuncio in honorẽ Dei omnipotentis, vtilitatem Ecclesiæ, incrementum Reip. & ornamentum patriæ, parẽtum, & aliorum hominũ complurium.

Proponite ordine quæstiones vobis cõmendatas.

Gra-

Gratiarum actio.

Postremò ad te ora, vultus & mentes totas conuertimus, omnipotens & viue Deus, æterne & vnice pater Domini nostri Iesu Christi, autor & conseruator cœli & terræ, conditor generis humani & Ecclesiæ, vnà cum filio tuo, Domino nostro Iesu Christo, ὁμοουσίῳ καὶ συναϊδίῳ, & Spiritu sancto tuo, paracleto & viuificatore, gratias tibi agentes, quantas animi nostri angusti capere possunt maximas, quòd præter alia tua beneficia, quibus quotidiè nos afficis & cumulas, hodiernum etiam conferendorum honorum actum Philosophicum clementer gubernasti, & ad lætam hanc optatamq; catastrophen perduxisti. Agnoscimus tuam ineffabilem bonitatẽ, quòd Ecclesiam, scholas & politias in tanta tamq; acerba Diabolorum rabie, & inter tam horrẽdos tumultus, bella, odia, insectationes, & sæuas hostium minas protegis & defendis: eamq; vt indies magis atque magis agnoscamus & prædicemus, tu effuso in mentes nostras Spiritu sancto tuo effice. Rege scholam hanc & artes, quæ bonorum Ecclesiæ & Reipublicæ fontes sunt, nec deleri eas vnquam penitus sinito.

Da

Da doctores pios & fideles, quorum ministerio longè lateque artium bona deriuentur, & ad posteritatem etiam propagentur. O beatus quibus tu mentis oculos aperis, vt bona ista perspiciant & magnifaciant. O cæcos vero & miseros, qui bonis istis quotidiè magno suo commodo fruentes, impiè tamen & superbè illa contemnunt Dixi.

ORATIO XX. DE ELOquentia bene recitanda, Anno 1574.

VIdeo multorum ora, oculosque in me conuersos esse, expectariq; à me Orationem non tam verborum floribus conspersam, quàm rerum, sententiarumq; copia, ac varietate affluentem, tum singulorum etiam sensibus atq; mentibus accommodatam. Hanc enim de me expectationem mouet plerisque amplitudo, atq; dignitas muneris, siue professionis, ad quam in hanc Academiam vocatus sum. Nec parum auget etiam eandem ipsa nouitas, aut insolentia personæ meæ in hoc suggesto, quæ facit, vt noua etiam, non quotidiana,

rara, non vulgaria, singularia, non communia, & peruulgata à me requirantur. Mihi verò nihil tam inoptatis est, quàm vt huic amplissimæ opinioni, expectationiq; vestræ de me satisfacere possim: Et eiusmodi afferre orationem, quæ & professionem meam exornet, & ad audiendum, discendumq; plurimos literarum studiosos excitet. Hoc enim si possem, profectò nihil ex hac prouincia, quod iucundius sit, aut laudabilius, deportare possem: & audientiam mihi expectatio studiosorum de me faceret. Sed auocatæ quæso, & oro, mentes & opiniones à spe tanta & ad moderationem, æquitatemq; erga hospitem, non magnæ eloquentiæ, & sapientiæ, sed multi officij & studij in vos omnes & singulos conuertite. Nouit enim Senatus Academiæ huius, me præter operam, diligentiam, laborem, & fidem, nihil esse pollicitum: Nouit Academia Erphordiana, cui ad annos sedecim inseruiui, me ingenij vi, doctrinæq; copia, & dicendi facultate certasse cum nemine: studio vero, industria, & sedulitate faciendi muneris impositi operas æquare bonos omnes cupiuisse. Talem igitur me esse vobis persuadete, qui ad ostentationem nihil, ad communem

verò

vero vtilitatem Academiæ omnes ſuos conatus, curas, vigilias, atque labores conferre paratus ſit: Quiq; lædere neminem, cedere verò, & commodare cunctis in animo habeat. Talem vos me accipite, & habete, clariſsimi & ornatiſsimi viri, præſides, atque doctores huius Academiæ, domini, atque collegæ reuerentia, obſeruantia. pietateque omni colendi, qui ingenij, ſapientiæ, eruditionis, & facundiæ laudem omnem vobis relicturus ſit: operam verò, & laborem partem eam, quam ipſi conſilio iuſto, & voluntatibus conſentientibus ad me tranſtuliſtis, animo æquo ſuſcepturus ſit, & quantum vires ſinunt, ſtudiosè, diligenterq; obiturus. Cumq; ſciam, peſtes Eccleſiæ, & ſcholarum funeſtiſsimas eſſe ambitionem, & cœca æmulationum, contentionumque ſtudia, ex quibus diſsidia, & diſtractiones penè omnes inde vſque ab initio extiterunt, & etiam nunc exiſtunt: vitare has furias ex inferis ad excitandum turbas emiſſas, omni cura ſtudebo: Neque committam, vt occaſio vllius diſſenſionis, aut diſsipationis vlla in parte à me data, vel admiſſa eſſe videatur. Vos viciſsim, collegæ reuerendi, & & neceſsitudine, officioque mecum coniunctiſ-

iunctiſsimi, in me tales fore ſperabo, vt appareat, vobis nihil conſenſione animorum, & copulatione voluntatum inter nos eſſe carius, nihilque antiquius. Hæc conſenſio, atq; coniunctio inter nos non ſolùm vinculum erit concordiæ, ſed dulce etiam laborum communium leuamen, & remedium vel potius murus adamantinus aduerſus omnium maleuolorum, & contentioſorum hominum, inſidias, fraudes & molitiones nefarias, ad turbandas ſcholas, ac diſsipanda doctrinæ, literarumque ſtudia comparatas. Non odij acerbitas, non liuoris ardor, non hoſtilis impetus nocere nobis poterit, ſi hunc amicitiæ nodum tuebimur, & ſartum, tectumque conſeruabimus. Neque hæc eo pertinent, quaſi monitoris vocem, aut poteſtatem in vos, viri ornatiſsimi, ſumere mihi velim: Ad me iſta omnia referri volo: ego ignotus, & peregrinus declaratione, & teſtificatione animi & voluntatis in vos veſtramq; Academiam opus mihi eſſe perſpicio: veſtra virtus, eruditio, fides, atque induſtria iam ante cognita, atque perſpecta eſt omnibus in hac Academia verſantibus. Ad me igitur ſolum, quicquid in hoc genere attigi ſpectat: vt quæ

vt quæ ſpes de hoſpite nouo ſit, ſcire poſſitis. Vobis autem ſtudioſi hoc de me promitto, atque ſpondeo, mihi neque curam in meditando, neque aſsiduitatem in docendo, neque fidem in explicando, neque ſtudium in inculcando, neque candorem deniq; in communicando, quæ ſcio, quæque habeo omnia, defuturum eſſe: ſed erga minores patris, erga ſuperiores verò ſubditi perſonam me ſuſcepturum. Atque adeò nihil eſſe, vobis perſuadeatis velim, tam reconditum in pectore meo; quod non benignè, liberaliterq; vobiſcum communicare cupiam. Vos modo excitate curam, vt delatum ad vos tantum ſtudium, tamq; bonam voluntatem minimè aſpernemini, ſed animis gratis amplectamini: gratias agentes Academiæ tam prouidis curatoribus, qui cõſultum vobis, veſtrisq; ſtudijs per meam qualemcunque operam enixè cupiunt. Quos niſi tanquam patres, Præceptoresq; colueritis, atq; obſeruaueritis, tum ſtudio audiendi, & diſcendi gratitudinem, obedientiamq; erga illos declaraueritis: vehementer reprehendendi, & in Deum ipſum ingrati eritis. Nam ſi animaduertere volueritis, reperietis ſanè, eos omnes tacitis animis, & tantum non

edita

edita voce vos cohortari, obtestari, atque monere, vt cùm vestræ vtilitatisque causa hæc omnis suscepta sit professio curæ etiam sit vobis, vt fructum vberem, & præfuturum etiam aliquando posteris inde capiatis. Sed de me satis: de re copiosior nunc instituenda est oratio.

Cùm enim initium professionis eius, ad quam vocatus sum, hodierno die facere Academiæ Philosophicæ autoritas, & officij munus expostulet: parendum est scilicet necessitati, & suscipienda prouincia. Faxit modo Deus, vt benè, prosperè, feliciterque eueniat. Commendata est mihi professio eloquentiæ, & historiarum in hac Academia: De hac me agere in hoc instituto exordio oportet, hanc me tueri, & ornare, quantum conniti ingenio, & contendere labore possum, necesse est. Etsi autem eloquentiæ, vt taceam de historia, nomen tam amplum est, tamque magnificum & splendidum, vt aditus mihi ad eam nullus pateat, nedum dux esse alijs ad sanctissima illius, penetralia posim: Tamen profiteor, me de ea tantum facultate dicendi acturum esse, quæ ad explicationem, & propugnationem, dogmatum in Ecclesia, eruditæ doctrinæ in scholis, tractationem

causarũm ciuilium in administratione Reipublicæ vitæque communis, atque priuatæ ita necessaria est, vt ea carere absque detrimento intolerabili non possimus. Hæc siue eloquentia appelletur, siue facundia, siue copia, aut facultas disertè, perspicueq́ue, & vtiliter interpretandi, & declarandi sensum, vim, & pondera, in quacunque re, negocio, doctrina, aut controuersia, parum interesse ad rem causamq́ue nostram arbitror. Satis sit magnæ rei, quantulumcunq; cœperimus, participes fieri, quæ laus nõ est in postremis numeranda. Et pauca de magnis dicere satis est sapienti auditori, secundum Pindarum.

Caput autem, princeps, fons, autor, & dator huius facultatis est ipse æternus, æterni Dei filius, λογος, orator, concionator, interpres, & enarrator mentis, ac voluntatis paternæ erga gentem humanam. Hic prodijt ex arcano diuinitatis consilio, & decretum salutare de remedio, atque alleuamento pestifero morsui serpentis adhibendo nobis patefecit, exposuit atque enarrauit: quod hæc sit constans, perpetua & immutabilis Dei voluntas vt quicunque intuetur, & credit in filium, habeat vitam æternam. Hanc enim ipsam con-

cio-

cionem filius Dei primus in Paradiso stätim post lapsum habuit ad parentes nostros cuius ea vis fuit, vt iacentes erexerit, mœstos consolata sit, & dolori, desperationique succumbentes, ex mortis, inferniq́ue faucibus eripuerit, & in pristinam vitæ & salutis spem, possessionemq́ue restituerit. Hæc nimirum vis eloquentiæ genuina est, hic effectus proprius, vt exanimatis animum addat, & perterritis timorem periculumq́ue mortis adimat. Ab hoc λόγῳ λόγιοι, eloquentes, diserti, & potentes in scripturis Oratores & Concionatores inde ab initio Ecclesiæ vsque ad hunc diem extiterunt, & continua serie propagati sunt. Hic λόγος instruxit Moysen educturum populum Israëliticum ex Ægypto, & facultatem dicendi tribuit, cùm ait: Vade, & ego adero ori tuo, & docebo te quæ loquaris. Addiditq́ue illi interpretem cogitationũ, Aaronem, qui pro ipso tanquam orator loqueretur ad populum, & os ipsius esset. Idem ornauit dono dicendi omnes consequentes Prophetas, quorum conciones sunt contextæ ex flosculis fragrantibus odore cœlestis doctrinæ, tamq́ue efficaces, vt ab inferis educere animas afflictas, & dare lætitiam sempiternã posßint. Hinc oratio-

tionis tot figuras in Prophetis videre licet, vt nullum ſit inſtitutum, ornamentum, aut artificium oratorium, cuius non ſpecimen inſigne in illorum concionibus extet. Moyſi enim oratio eſt pura: Dauidis polita, ardens, ſenſus, ac dolores habens, par Atticæ: Salomonis grandis, & figuris tanquam floſculis identidem reſperſa. Eſaiæ ſplendida, ac copioſa, Ciceronianæ non multum diſsimulis, Ezechielis ſublimis. Hinc λόγιος eſt ille Apollos, concionator potẽs in ſcripturis & feruens ſpiritu, Actor. 18. Hinc oratores facti ſunt Apoſtoli, per eum ſcilicet, qui dixit: Non vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris eſt, qui loquitur in vobis.

Hinc μεγαλοφωνότατος eſt ille Paulus, orator grandis, copioſus, & veriùs tonans, ac fulgurans, quàm Pericles apud Græcos. Hinc profecti ſunt Athanaſius, Baſilius, Naſsianſenus, & alij qui lumina Eccleſiæ Græcæ fuerunt, & eloqẽntia ſua nõ ſuæ ætatis modo homines erudierunt, ſed omnibus etiã conſequentibus præclara exempla orationum, concionumq; poſt ſe reliquerunt. Hinc tot diſertiſsimi viri in Eccleſiaſtica hiſtoria commemorantur, qui non vi, neque ferro, aut potentia politica, ſed

ſola dicendi facultate valuerunt, & res maximas, maximeq́; neceſsarias, ac ſalutares in Eccleſia geſſerunt. Quid de Latinæ Eccleſiæ oratoribus dicam? quippe quorum oratio benè compoſita, & ornata eſt, tum artificio quodam, expolitioneq́; diſtincta, vt ad docendum atque pugnandum accommodatiſsima eſſe videatur. Auguſtino quid diſertius? Lactantio quid dulcius? mitto cæteros, & venio ad noſtros An non Lutherus orator amplus, copioſus grauis & ornatus omni iure habetur? quis vnquam res maiores, vtilioresq́; in Eccleſia dicendo illuſtrauit? quis plures controuerſias & difficiliora certamina de dogmatibus ſacris voce & ſcriptis explicauit? quis vnquam maiori contentione veritatem à ſophiſtica vindicauit? quis acrius pugnauit, aut diſertius aduerſarios refutauit? Si cui verò vehementior aut pugnacior huius viri oratio fortè alicubi videtur: is hoc reſponſum habeat: Talem eſſe eam, qualem tempora, qualem mores, qualem aduerſariorũ acerbitas & pertinacia, qualem deniq; corruptiſsimus Eccleſiæ ſtatus deſiderauit. Non enim lenitate ſola orationis, aut facilitate repurgari doctrina à tot corruptelis, quibus obſcurata & oppreſſa iacebat,

bat, potuit: nec expugnare, vincereque tot aduersarios, tam acerbè, inimiceque insectantes, atque reluctantes sine eloquentiæ viribus, & flumine orationis possibile erat. Iccircò cõtentione maiori opus fuit, & orationem ardentiorem peruenire ad hostes oportuit. Etsi autem in dimicatione cum impetu quodã decurrit Lutheri oratio, & hybernis niuibus haud multum absimilis est: Tamen in explicatione dogmatum, & concionibus ipsis, nihil est ea sanius, nihil integrius, nihil quod efficacius mentes auditorum, lectorúmue permoueat, atque feriat. Ea enim est, cui iure omni illud tribuitur, quòd aculeos in animis legentium relinquat: De Philippo Melanchthone satis mihi dixisse videbor, si Atticum illum oratorem, vel Atticis similem dixero. Est enim oratio eius pura, & propria, simplex, grauis tamẽ, ornata, & elegans, vt ex ea redolere ipsæ Athenæ videantur. Cumq; oratio rei inseruire debeat: nullũ verbum insolens, nullum ociosum posuit Philippus: sed verba rebus sic accommodauit, vt nihil in obscuro reliquerit, sed lucem magnam religioni & artium doctrinæ explicatio illius attulerit. Deus bone, quantum bonorum cumulum per hunc Oratorem nobis

tri-

tribuisti. Nemo enim est, qui doctrinam religionis disertiùs, distinctiùs,& breuius explicarit: nemo qui artes maiori perspicuitate declararit. Fuit igitur verè λόγιος ἀνὴρ, à summo λόγῳ filio Dei ineffabili munere, ac bonitate nobis in hac vltima mundi senecta excitatus, atque concessus.

Neque hi soli sunt, quos oratores nominari in Ecclesia volumus. Ita enim nimis exilis esset oratorum Ecclesiasticorum numerus, qui multos nostrûm, quibus tantum ingenij, & animi datum non est, à conatu eloquentiæ deterrere posset. Plurimi præter hos alij fuerunt, & sunt hodie concionatores, ἀγορηταὶ in Ecclesia, qui disertè copiosèque docere, & explicare dogmata Ecclesiæ, & refutare dissentientes possunt: qui omnes ab vno isto λόγῳ propagati, mentem, & voluntatem Dei in verbo patefactam, interpretantur, & enarrant. Quid enim est, cur oratorem non habeamus, & appellemus eum, qui doctrinam religionis oratione perspicua, & perpolita explicat? vniuersa in pares distribuit? obscura interpretando explanat? & vim, pondus, vsumque singulorum ver-

borum ac rerum auditoribus inculcat? Hæc enim ipsa facultas rectè eloquentia nominatur, & qui ea præditus est, λόγιος vel orator dissertus appellatur. Ad hanc igitur consequendã totis animis spectate, & rectis studijs contendite, studiosi, parantes prouidè & accuratè ea adiumenta omnia, quæ ad illam necessaria sunt, vt & ipsi oratores siue concionatores, interpretes, & enarratores oraculorum Dei, & administri τοῦ λόγου filij Dei in Ecclesia sancta esse positis. Tum præterea gratias agite τῷ λόγῳ, quoties disertum concionatorem auditis, qui res & verba scripturæ sanctæ luculenter, politeq; explicat & verum vsum eorũ cõmonstrat, atq; inculcat. Sunt enim omnes ἀλόγιοι, καὶ ἀγόρηται organa & dona τοῦ λόγου, oratoris summi, & maximi, qui quodam tempore, voce propria, nunc verò voce concionatorum, & ministrorum suorum nobiscum loquitur in Ecclesia, & voluntatem sui patris omnem liquido nobis ostendit atque declarat.

Ex quo sanè intelligimus, quanta sit dignitas, quanta item autoritas oratorum Ecclesiasticorum, cùm potestas tanta à λόγῳ summo ad illos tralata, aut certè

cum

cum ipsis communicata sit. Qui itaque λόγιον cōcionantem audit, λόγον ipsum se audire putet, & cum tremore, reuerentiaque digna τῶν τοῦ θεοῦ λογίων interpretationem accipiat. Digna vtique res est, studiosi, eloquentia, in qua omne studium, omnem operam, industriam, neruos denique totos contendatis atque consumatis. Huc igitur conuertite cogitationes vestras in hanc curam incumbite, vt intelligenter, perspicuè politeq; Dei λόγια, duce & autore λόγῳ, interpretari, explanareq; discatis, & dissentiētes, repugnantesq; conuincere, & repremere possitis: sic vt falsitate detecta, & fraude omni detracta, clarissima veritatis facies appareat, & inuicta maneat. Hoc si feceritis, boni studiosi & nomine & re eritis, & à Christo gratiam inibitis, præmiaque sempiterna, & coronam nunquam perituram tandem deportabitis.

Quid de scholis dicemus? nónne & his sui oratores à filio Dei sunt tributi? ecquid enim dubitabimus ἀπὸ τοῦ λόγου λογικοὺς dici eos, qui in scholis artificiosè & ornatè artium doctrinam tradunt, & linguas, quæ necessaria sunt adminicula eloquen-

tiæ, interpretantur? Vt enim ἀπὸ τῦ λόγυ λόγιοι propagantur ecclesiastici concionatores: Sic ab eodem λογικοὶ proficiscuntur scholastici doctores, & enarratores artium & linguarum, quæ quasi instrumenta sunt disciplinarum superiorum, quas facultates hodie vocant. Sic itaque habete, optimi studiosi, oratores bonos esse eos, qui in Academia, aut schola vobis explicant Dialecticen, Rhetoricen, Ethicen, & cæteras artes, atq; doctrinas. Quid enim aliud est oratoria, siue eloquentia, quam facultas explicandi doctrinas vtiles, & necessarias? Idque non solum, sed honorem etiam illis habete, qui tantis τῦ λόγυ ministris debetur. Tum parate vos omni diligentia, cura, atque labore, vt & ipsi talem facultatem explicandi artes necessarias vobis acquiratis: Et media, quæ ad eam ducunt, vtraque manu amplectimini, quæ sunt auditio frequens professorum, repetitio, lectio, & exercitatio. Per hæc enim siue facilia, siue difficilia eundum est, nec sine his ad eloquentiam peruenire vllus poterit.

Videbimus iam porrò politicos oratores, an & ipsi ἀπὸ τῦ λόγυ nomē, & officium suum acceptum habeant. Hoc disertè af-

tè affirmat Scriptura: Est enim hæc viua, & genuina vox sapientiæ apud Salomonē, quæ verè est λόγος patris, & orator, moderatorque consiliorum, actionum, atque successuum in politijs honestis: Penes me inquit, consilium, & successus est, intelligentia, & executio: per me Reges regnant, & iudices iusta decernunt. Audis oratorem dantem & gubernantem honesta consilia Regum, & Principum in politijs. At quo modo? ipse λόγος est Archicancellarius, & orator dictans, & exequens bona, iusta, & honesta consilia. Per quæ media, siue adminicula? per ministros suos, qui ἀπὸ τοῦ λόγου vocantur λέγοντες, dicentes, sicut Prophetæ vocabantur videntes, quasi dicas prædicantes, seu concionantes. Sic enim in Rep. Attica nominabantur hi, qui consilio, & eloquentia sua bonam, magnamq; partem negociorum, & actionum regebant, & quæ facienda Reip. essent, monebant, an non necessarijs verò, & nocentibus abducebant. Talem Demosthenē fuisse accepimus, itē Æschinem, Lysiam, & horum similes, quorum industria domi militiæque eminuit, vt ex frequentibus concionibus ducum apud

Thu-

Thucydidem, Xenophontem, & Liuium constat. Eosdem suos facit Reges ac duces Homerus, quippe quos identidem insigni nomine vocat ἀγορητὰς, concionatores, vel oratores. Qualem nobis describit Nestorem, Vlyssem, Menelaum, Phœnicen, & cæteros qui, dignitate & authoritate alijs antecelluerunt: quasi non alia res sit, quæ magis ornet, deceatque Principem virum, quàm dicendi facultas. Quo enim quisque oratorum grauiùs, disertiùsque concionatus est, eò plus laudis illi Homerus tribuit. Discernit etiam hos suos concionatores formis, siue characteribus dicendi, fermè vt nos in scholis solemus. Nestori suauitatem mirificam assignat, vtpote cuius oratio difficilimam illam societatem grauitatis cum humanitate consecuta sit. Vlyssi vehementiam, & quasi flumen quoddam orationis cum impetu decurrentis, & oculos, animosque audientium, quo vult impellentis, vnde autem vult, deducentis. Menelao autem lenitatem & breuitatem Laconicam cum proprierate, & suauitate coniunctam. Ex qua quidem descriptione vtrumque cognoscimus, & Principes Græcorum nulla re, quàm eloqūentia excellere maluisse, & filo orationis dissimili vsos

esse

esse. Quòd eo prodest nibis scire, vt & iudicare de oratione aliorum rectius discamus, & de nostra facilitate minus desperemus: etiamsi non omnibus numeris, ac partibus expletam cumulatamq́ue orationem conficere poſsimus.

Alium alio natura ducit. Quidam ita facundi sunt, vt naturali quasi quadã bonitate, & facultate fluere ipsorum videatur oratio. Nonnulli magis sunt aridi, & inopes, vt non sine conatu, & studio magno verba exprimere queant. Vtrique sciant, iam olim etiam idem vsu venisse magnis oratoribus & quidem vtramque facultatem sua tamen laude non carere.

Vlysses quidem amplus, ardensq́ue orator erat, & admirabatur eum, suspiciebatq́ue totus exercitus. Verùm nihilominus suam etiam gratiam, laudemq; inueniebat, ac merebatur succincta, ac lenis oratio Menelai. Sic & vos, studiosi cariſsimi, si Vlysseam copiam minus attingere poteritis, date operam, vt breuitatem Menelai saltem assequamini, & laude oratio vestra non carebit. Decet enim non artifices solum, sed communes etiam, & mediocres oratores honore afficere, qui cogitata, & sensa animi sui verbis perspicuis, planis &

ad res ipſas accommodatis, poſſunt efferre. Huiuſmodi δημηγόρους deſiderant nunc aulæ Principum, curiæ ciuitatum, requirunt iudicia, expoſtulant omnes penè huius vitæ ciuilis partes atque munia. Cùm enim perpetuæ & copioſæ orationis vſus hodie non adeò frequens ſit, vt fuit olim in Repub. Attica, & Romana: breuioribus orationibus fermè cauſæ negociaq; omnia expediuntur. Iam quot ſint principũ aulæ, quot politiæ, quot iudicia, quot cõmunitates inter homines videris, quarũ nulla eſt, quæ nõ δημηγόρους aut ἀγορητάς efflagitet. Neceſſe eſt igitur vos, ſtudioſi amantiſsimi, ad hunc neceſſarium Reip. vſum veſtra ſtudia, atque conatus omnes referre, vt inſeruire aliquando alicui parti Reipub. vnuſquiſq; poſsit & dicendo, ſcribendoque res, & cauſas quæcunque incidere poſſunt, aut ſolent, tractare, atque explicare, dubia diſcutere, lites dirimere, controuerſias componere, & quæ iuſto iudicio decreta cõſtitutaq; ſunt, cõmoda oratione exponere. Quid? quod neque priuata gubernatio domus cuiuſque dicendi facultate carere poteſt, ſiue enim quid cum altero agendum eſt, ſiue libri & fami-

milia regenda: oratione vti plena, & euidenti necesse est. Qui cum altero agit, parum proficiet, nisi id, quod sentit, politè eloqui posit. Qui respondere alteri necesse habet, siue coram, siue scripto: neque inimicos placabit, nisi sermone molli vtatur: neque molles, & ignauos excitabit, nisi orationis sonum grandiorem vsurpet. Quid verò faciet paterfamilias, nisi nunc verbis asperioribus contumaces liberos, atque domesticos obiurget, & reprimat, nunc languentes ac dimissos ad alacritatem exuscitet? Ita sanè fit, vt ne priuata quidem domus carere posit oratore, sed vsque quaque dicendi facultate opus sit. Quæ cùm ita sint, Studiosi, cognoscitis, tam necessarium esse eloquentiæ studium, vt omitti à nemine vestrum debeat, nisi sine damno maximo negligi ab vllo posit. Quid igitur? dubitabitis toto pectore in hoc studium incumbere, & adiumenta ea, quæ ad consequendam hanc facultatem ferunt, sedulò, diligenterque colere? iam parandi opportunitas datur: Ea igitur vtimini. Iam præcepta audire potestis: Ea igitur audite: Iam exempla autorum viua proponentur

ante

ante oculos: ea igitur amplectimini. Iam ratio, & artificium omne orationis formandæ vobis monstrabitur: Adeste igitur, vt percipere animis, ac comprehendere memoria possitis.

Cæterùm, ne quis putet fortè, me hîc de quibusuis Oratoribus loqui, quorũ magna pars pestem sese, perniciemque Ecclesiæ, & Reipub. præbet: sic habete, longum interuallum inter Oratorem salutarem & perniciosum esse interiectum. Habuit omnibus temporibus Ecclesia suos Oratores, sed multum disiunctos ac dispares: cùm tamen omnes Oratores dici & haberi voluerint. In Constantinopolitana Ecclesia concionator erat Nestorius, φυσικὸς εὔλαλος, vt Socrates narrat, id est, naturali facultate loquendi præditus, sed bonus, & salutaris Orator non erat: non quidem propter loquendi donum, sed quod cum inscitia arrogantiam & ambitionem intolerabilem coniungeret. Sic enim scribit de eo Socrates: Eruditum quidem se esse existimabat, cum reuera esset indoctus. Et veterum libros interpretans, turpe sibi ducebat discere. Tumens enim suauitate sermonis non accurratè perpendebat, quæ à veteribus essent tradita, sed, seipsum cunctis anteferebat

teferebat. Hactenus Socrates, cuius verba eò recitaui, vt causa perspiceretur, cur eloquentes etiam interdum Ecclesiæ pestes fiant, quàm in Nestorio nullam aliá fuisse audimus, nisi meram inscitiam, & fœdam ambitionem. Has igitur pestes eloquentiæ esse sciamus, easque tanquam faces dissidiorum, & horrendissimorum malorum, vel potius, vt furias infernales vitemus. Etsi autem Theodoretus author Ecclesiasticæ historiæ grauissimus, affirmat Arrianos hæreticos fuisse ἀπαιδεύτους, ἀκατηχήτους, καὶ ἀνασκήτους, ineruditos, rudes, & inexercitatos, à quibus funestum dogma de filio Dei, quasi non ab æterno fuerit, sed aliquando esse cœperit, in Ecclesiam Græcam inuectum, & longè lateque disseminatum est: Tamen vidit etiam hæc nostra ætas nõnullos alioquin eruditione & facundia præstantes, qui dogmata perniciosa suscitarunt, vel suscitata ab alijs acerrima contentione defenderunt, & latè dispersérunt. Vbi, si eloquentiam accusare vellemus, magnam iniuriam autori Eloquentiæ τῷ λόγῳ faceremus. Itaque potius petulantiam accusemus, & malitiam eorum, qui magnarum vtilitatum causa concessam hominibus eloquentiam ad

nefarios vſus conuertunt. De quibus ſi verè iudicare volumus, reperiemus eos nulla re magis, quàm τῇ φιλοτιμίᾳ καὶ κενῇ δόξῃ, vt Theodoretus de Arrianis ait, excæcatos tam ingrata Deo facere, & tantùm perniciem Eccleſiæ adferre. Sciamus igitur, ſobriè & non niſi religioſa fide, ac pietate hoc dono vtendum eſſe: ne nobiſmet ipſis cōfidentes, à duce & moderatore noſtro, filio Dei, deſeramur, & tanquam nauis, amiſſo gubernatore, ventis relinquamur, & in errores horrendos, & inexpiabiles prolabamur. Id ne fiat, cum ſtudijs eloquentiæ crebros, & ardentes gemitus, ſuſpiria, vota, & preces coniungamus, & à filio Dei ipſi nos regi petamus, vt veras ſententias aſſequamnr, & conceptas firmiter retineamus, nec eas petulantia, aut ambitione vlla iterum effundamus: ſed conſtanter vno ore & animo, quæ recta ſunt, ſonemus, tueamur, & dicamus. Aderit nobis ita precantibus abſque omni dubitatione filius Dei, facietque nos vaſa miſericordiæ, & organa Eccleſiæ ſuæ, & nobis ipſis ſalutaria: modò ipſi cōſcientia pura, & fide ſincera inſeruiamus: nec gratia, fauore, potentia, minis, atq; periculis vllis nos commoueri, atq; deflecti ſinamus. Hæc

enim qui pluris facit, quàm veritatem, qui est ipse λόγος: dicendi professionem mirè deformat, & Iliadem malorum, errorum, atq; lapsuum sibi, & alijs acersit. In Repub. Attica tantus Orator erat Pericles, vt eius eloquentiam Athenæ ipsæ admirarentur: sed salutaris eius eloquentia non fuit: Vnde ab Aristophane Poëta fulgurare quidem, & tonare, sed permiscere Græciam dictus est. Demosthene in eadem Repub. nihil erat disertius, sed consilium eius de defendenda Græcia aduersus Macedones, quod multis orationibus præclaris exposuit, infelix fuit, quia diuinitus non iuuabatur. Quamobrem etiam in politijs hoc adiumento opus est Oratoribus, vt se regi petant diuinitus à λόγῳ, qui eloquentiæ omnis ἔξαρχος est, moderator, atque præbitor.

In scholis reperiuntur etiam nostra ætate, qui omni quidem laude cumulati Oratores haberi possunt: sed iure in illis reprehenditur maledicendi libido, & petulantia conuellendi veterum inuenta: qui si vela orationis suæ nonnihil vellent contrahere, & ab aliorum reprehensionibus sibi temperare, plus vtilitatis adferrent scholis, & minus inuidiæ reperi-

rent. Verùm cùm istiusmodi digladiari propositum mihi hoc loco non est: attingere tantùm eos volui, vt ostenderem modestiam, & verecundiam in Oratore requiri, petulantiá verò, & maledicendi studium Deo & hominibus inuisum esse. Sit apud nos sancta autoritas scriptorum, quibus tot seculis omnes docti sunt vsi: nec facilè nos abduci patiamur, vt cornicum oculos cõfigamus, & ingrati in nostros maiores fiamus. Quin in mediocriter etiam traditis acquiescamus, & si quid possumus vel melius vel abundantius, id liberali pectore, siue cuiusquam obiurgatione, atque offensione, cum alijs communicemus. Hoc modo si eloquendi dono vtemur in scholis, grata erit oratio nostro τῷ λόγῳ Christo, vtilisque & salutaris auditoribus. Talem facultatem vobis quoque parare studete, studiosi, Deo & Musis cari, qua doctrinas salubres artium, & disciplinarum planè, diserteq; possitis explicare. A calumniandi verò libidine abstinendum esse omnino vobis persuadete: quod nec sanctum sit conuicium facere alijs, nec ad erudiendos alios quicquam prosit. Parate vobis sobriam, castam, moderatam,

& sim-

& simplicem dicendi, scribendique copiam, & studete res proprijs, & ad rem maximè accōmodatis verbis enunciare: candoris verò ac ruboris fucati medicamenta omnia in oratione fugite. Verùm de his aliæ erunt scholæ, cùm præcepta artis dicendi, & Orationes Ciceronis vobis exponentur. Hæc verò, quæ dixi, eo pertinent, vt ad amorem eloquentiæ incendamini, & cupiditate, frequentiaque maiori explicationem eius artis, quæ eloquentiæ præceptiones tradit, audiatis. Quod vt faciatis, vos omnes per gloriam Dei, & filij ipsius λόγου, ducis ac magistri Oratorum & Concionatorum Ecclesiasticorū, scholasticorum, & politicorum obtestor, & oro. Idque facietis alacrioribus animis, si, vt reuera est, λόγον hunc in medio nostri cœtus esse semper cogitaueritis, & tantum non edita voce monere vnumquemque vestrum, vt eloquentiæ studia magnifaciatis, seduloque colatis: quo vti vestra opera possit, non multò post in explicatione magnarum rerum Ecclesia & politia. Tantum igitur præsidem & moderatorem studiorum eloquentiæ nolite contemnere, sed piè reuerenterq; suspicite, veneramini, & quod maximum est, monitis illius cer-

statim optemperate. Is faciet, mihi credite, vt frustra nihil audiatis, sed omnis vestra opera, & labor felix sit, & fructum copiosum suo tempore afferat.

Te fili Dei, λόγε, & imago Patris tui & nostri Orator, & interpres mētis & voluntatis Dei erga nos, incensis pectoribus gemitibusque, & votis ardentibus oramus, & obtestamur, vt studiorum nostrorum dux & moderator esse velis, nostramque orationem diuino tuo numine sic formes & fingas, vt præceptis institutisq; tuis sanctissimis congruat, & te verum Deum, cum Patre tuo, & Spiritu coæterno, & coessentiali ritè celebret. Custodi hunc cœtum scholasticum docentium & discentium, eumq; in dies singulos tuis donis auge & orna. Fac nos vasa misericordiæ, & palmites propagatos ex te salutares nobis, & Ecclesiæ. Concede pacem & tranquillitatem, conciliatricem & conseruatricem studiorum, Auerte dissidia & bella, propropulsa à nobis furias illas, quæ ardentes faces ministrant, atque præferunt ad turbandum Ecclesiam, & vastandum scholas. Fac vt vnum simus tecū, quemadmodum tu cum patre vnum es, flecte mentes, voluntatesque nostras ad veram moderatio-

rationem, æquitatem, & comitatem: vt tanquam orbes cœlestes miris anfractibus sibi mutuo cedunt, quo harmoniam suam tueantur, & cursum ordinatum perficiant: sic nos alius alij cedamus, & concordiam omnibus veræ humanitatis, pietatisque officijs sic tueamur, vt sine gemitu, & querelis officij munus suo loco quisque exequatur, & tu cum Patre tuo, Spirituq; sancto, cum vniuerso angelorum choro, honore & lætitia afficiaris: contra verò hostes, si qui sunt, dolorem capiant, & vel rumpātur, nisi placatiores esse velint, & aliquid, de odij sui acerbitate remittere. Sis etiam huius professionis meæ, cuius hodiernus dies lætum dedit initium, tu ἀρχηγὸς, incoator, & dux, sis τελεσιουργός, perfector, & consummator, sis denique βεβαιώτης μόνιμος, confirmator, stabiliens totum opus: vt tibi honori, Academiæ vtilitati, & studiosis omnibus emolumento esse possit. Dixi.

Oratio XXI.

DE DIALECTICA PHILIPPI MELANCHTHONIS, *Anno Christi* 1579.

NVNQVAM credidi fore, viuo Philippo Melanchthone, tam benè de Ecclesia & scholis merito, vt vtilissimus eius, & verè aureus libellus Dialecticæ, ipso mortuo, in crimen contentionemque vocaretur. Quid enim est ab vllo vnquã scriptum in hoc genere, si quidem breuitatem spectes neruosiùs, si ordinem concinniùs & aptius, si perspicuitatem, dilucidiùs & planiùs? Equidem præcepta ipsa non aliunde, quàm ex veris, integerrimisq; fontibus hausta sunt. Exempla verò quæ ad illustrandum præcepta adhibentur, Deus bone, quanta copia, varietateque doctrinæ discentes instruunt? Quod si ordinem etiam quæris, ex Aristotelis organo, quo hactenus omnes scholæ & Academiæ certatim vsę sunt, is in omni parte expressus atq; decerptus est. Quæ est igitur insania nostri seculi, aut quis furor horum temporum, vt vel verbis extenuare aliqui, vel facto ipso imminuere dignitatem huius libelli audeant? Etenim cùm complector animo,

du-

duplex hominum genus, à quibus Præceptoris nostri Dialectica inuaditur, reperio: Vnum, quod præcepta impugnare audet, nescio propter quam prolixitatem, confusionem, aut ταυτολογίαν. Alterum eorum quos non pudet exempla ex medio, vel potius ex visceribus disciplinarum maximarum selecta, dente maledico carpere. Qui præcepta cauillantur, tenuia ea esse nimis suspiciosè arguunt, multaque continere superflua, quorum vsus nullus sit in hac arte, nec ordine satis apto tradi fingunt. De exemplis verò queruntur nonnulli, nimis ea esse ad Theologiæ studium directa & grandiora, quàm vt incipientibus hanc artem cognoscere conueniant.

Etsi autem ea defensio omnium optima est, quæ non verborum copia, sed rerum ipsarum grauitate, atque testimonio nititur: & absque meo patrocinio Dialectica Philippi à sanis, & rectè sentientibus omnibus, magni æstimatur: tamen non tam laudandi causa, quam vindicandi à calumnijs, orationem de ea breuem & verecundam habere instituam. Confido autem satis propugnatum iri hunc librum, si præcepta primùm ex veris fontibus hau-

sta esse, iustoque ordine exponi, planum fecero: tum exempla eiusmodi omnino esse demonstrauero, vt artem hanc, eiusq; vsum omnem illustrent, & meliora nullus in hoc genere hactenus vsurparit, neque adhuc adhibere quisquam posit. Ita duæ partes orationis meæ erunt, quarum prior de regulis, posterior de exemplis aget.

Præcepta dico in hoc libello, omnium optima, & saluberrima esse, primùm quia ex Aristotele excerpta sunt, & cum eiusdem Organo Dialectico congruunt. Ac de Aristotele quod dixi, nolo in controuersiam disceptationemq; ab vllo vocari, quin artifex sit ille atque Magister huius artis, omni exceptione maior. Id quod concedi mihi tribuique cupio, perinde vt Geometræ quædam dari sibi concedique postulant, quò facilius id quod volunt explicent atque obtineant. Non enim patrocinio vllius eget Aristoteles: neque is ego sum, qui patronũ, propugnatoremq; tanti autoris, cuius à tot seculis inuicta inuiolataque fuit autoritas, me constituere debeam. Equidem verè si iudicare volumus, ipsa fundamenta artis disserendi labefactat is, qui Aristotelis Dialecticen conuellit, aut vituperandam censet. Nec principia

pia alia Deus ipſe mentibus noſtris inſeuit, ex quibus Dialecticæ præcepta extrui poſsint, quàm quæ Ariſtoteles in Organo expoſuit. Vt igitur contra negantem principia diſputandum non eſſe omnes ſani iudicant: Sic nec Ariſtotelis Dialecticæ vituperatores operosè refutandi ſunt, ſed tanquam inſani explodendi.

Iam igitur hoc fundamento iacto, videamus quomodo ex vniuerſo Organo Ariſtotelis, fragrantiſsimos floſculos decerpſerit, noſter Philippus, eodemque ordine ſua præcepta explicarit, qui in fontibus continetur. Orditur enim Philippus cum Ariſtotelis Organo Dialecticam à primis elementis, hoc eſt, à vocibus ſimplicibus, vt Grammatica incipit à literis. Hinc adeò fit, vt in ipſo veſtibulo huius libri doctrina de prædicabilib. quæ nihil aliud ſunt quàm ſimpliciũ vocabulorum gradus, tradatur. Cùm autem talis vocabulorum diſtinctio omnis, prædicationum modis inſeruiat: mox poſt prædicabilia, quomodo vna vox prædicare de altera debeat, oſtẽditur. Tum prædicamentorum doctrina attexitur, quæ artificio admirabili genus in cuiuſq; vocabuli explicatione, tanquam in tabella exhibet.

At

At quorſum hæc de prædicabilibus & prædicamentis? huc videlicet, vt ex illis tanquam minutis particulis definitiones, diuiſiones, propoſitiones, & tandem argumenta ipſa conficiantur. Quid enim definiet aut componet is, qui vocabula atque particulas, ex quibus conflatur definitio aut propoſitio, paratas atq; expeditas non habet? Neceſsè igitur fuit in ipſo veſtibulo Dialecticæ, doctrinam prædicabilium & prædicamentorum collocari. Sed cur quæſtionum diuiſionem, ſtatim in principio Dialecticæ ponit Philippus? Vbi ea in Ariſtotele reperitur? Reſpõdeo in ipſo quoq; veſtibulo Organi, nẽpe in prima diuiſione quæ ſic ſe habet: Eorum quæ dicuntur ſeu enunciantur, alia ſunt cõiuncta, alia ſimplicia, iam quid ſunt ſimplicia niſi ſingula vocabula? vt Cœlũ, Terra, &c. Quid ſunt cõpoſita vel cõplexa, niſi integræ propoſitiones? Hactenus itaq; Dialectica Philippi cum Ariſtotelis ordine cõgruit, eodẽ enim modo vterq; initia huius artis ponit, & clauem diſcentibus ad aperiendũ fores totius Dialecticæ porrigit. Vt autem acumen atque ſolertia Ariſtotelis in inueniendo, ſic lumen atque facultas Philippi in explicando ſingularis eſt & admiranda. Quis

enim

enim maiori luce, atque perspicuitate prædicamentorum vsum monstrauit, quàm noster Philippus? Tenebræ sunt meræ, quæ ab alijs in hoc genere tradita sunt, & adhuc traduntur, nisi lumen à Philippi Dialectica accipiant.

Sequitur in libello Philippi definitio. At hæc in Aristotele vbi locum habet? Respondeo in analyticis posterioribus. Quid enim hæc tractant aliud, quàm de demonstratione & definitione? Ipsa verò definitionum doctrina, in libello Philippi, quàm est dilucida? quamq́; apta breuitate vniuersam definiendi rationem complectitur? Fateor autem non omnes difinitionum formas, quæ in hoc libello recensentur, inueniri in Aristole posse: sed interim tamen nihil est à Philippo additum, quod aut tanquam inutile, aut redundans, atq; superfluũ reijci possit. Quæ enim ex commentatoribus Aristotelis, Boëtio præsertim adiectæ sunt definiendi formæ, vsum certum & quidem amplum in omni ferè explicatione doctrinæ artium, & disciplinarum habent. Nec vllo sanè modo, reprehendendum est, hoc augendi præcepta artis studium, vnde euidens vtilitas emanat. Etsi enim Aristoteles copiosè, tenuissima

ſima quæque in hac arte perſecutus eſt: tamen non ita plenè perfecteq; omnia enodauit, quin vſus conſequentium ætatum, & noſtri etiã ſeculi aliquid requirat, quod in ſchola Ariſtotelis fortaſſe deſiderauit nemo, quod eodem modo de diuiſionum formis à Philippo noſtro commemoratis affirmare poſſum: non eas quidem omnes extare in Ariſtotele, ſed tamen cùm à recentioribus excogitatæ ſint magnarum vtilitatum cauſa, iure optimo in Philippi quoq; Dialecticam infuſæ ſunt. Quod qui negat, aut impugnat, manifeſtam ille vtilitatem diſturbare exiſtimandus eſt. Nec eſt, quod quiſquam mihi ſuperfluitatem in hac parte obijciat: cùm nihil ſit ſupervacaneum, nec quicquam, quod vſum nõ habeat, in ea reperiatur.

Additur tandem etiam tanquam ἐπιλογισμὸς doctrina de vocibus ſimplicibus, doctrinæ de Methodo, quæ nihil eſt niſi cõpendiaria & recta via explicandi voces, ſeu terminos ſimplices, nempe per definitionem, diuiſionẽ, cauſas, effectus. cognata, pugnantia, quo vſus doctrinæ hactenus de prædicabilib. prædicamẽtis, definitionibus, & diuiſionibus traditæ declaretur. Suntq; hæ ipſæ quæſtiones omni ex-

parte

parte ex Aristotele decerptæ, præsertim ex secundo Analyticorum posteriorum, ac congruunt cum his, quæ Cicero in 3. de Oratore recensuit. An sit, quid sit, quare sit, quæ caussæ, qui effectus. Quocirca nec ista Dialecticæ Philippi particula, reijcienda est, sed pro riuulo potius fontis Aristotelici habenda.

A vocum simplicium doctrina transit Dialectica Philippi ad contexendarū propositionum artificium. In hunc enim vsum termini simplices traduntur, vt ex eorum compositione aut diuisione, propositiones conficiantur. Ac ex compositione quidē affirmatiua, ex diuisione verò propositio negatiua gignitur. Est enim componere subiectum cum prædicato copulare, vt aurum est metallum: homo est conditus ad cultum Dei, & vsum proximi. Diuidere verò est prædicatum à subiecto diuellere siue disiungere, vt: mundus non est æternus. Anima non interit cum corpore. Eodem prorsus modo Aristoteles post κατηγορίας vtilem tractatū περὶ ἑρμηνείας, id est, de propositione instituit. Est enim intepretatio hoc loco Aristoteli nihil aliud quàm propositio, vel enunciatio, cogitata mentis exprimens atque declarans.

Quan-

Quanquam bona etiam pars doctrinæ huius explicatur in primo Analyticorum priorum, vbi artificiũ retexendi aut resoluendi syllogismum in propositiones, & eas rursum in partes suas, subiectum nimirum & prædicatum monstratur. Iam cogita, quantam lucem attulerit Philippus huic doctrinæ de propositionibus, & quàm perspicuè dextreq; multas quæstiones obscuras, & intricatas de modalibus propositionibus, de necessitate, de cõtigentia, de æquipolentia, oppositione modalium propositionum, & futuris contingentibus enodarit. Profectò tantũ est in his capitibus eruditæ & salutaris doctrinæ, nihil vt dici posse existimem vel luculentius, vel vsu ipso vberius. Penè dixerim fontes per hæc aperiri explicationis multorum vtilium capitum in Physica, Ethica & Theologia.

Vt autem ex vocibus simplicibus propositiones, sic vicissim ex propositionibus argumenta conficiuntur, Est enim nihil aliud argumentatio, quàm ex propositionum artificiosa connexione iusta conclusio, ad confirmandum aut refutandum aliquid accommodata. Hanc ipsam ob causam in organo Aristotelis post librum περὶ ἑρμηνείας sequuntur duo libri ana-

analyticorum priorum, qui toti in hoc consumuntur, vt argumentationis formas explanent. Meritò itaque in Philippi etiam libello, absoluta propositionum doctrina, mox argumentandi artificium in libro tertio monstratur. Fateor autem plures multò species argumentationis à Domino Philippo, quàm ab Aristotele tradi, quippe qui duas tantùm ponit, syllogismum & inductionem: cùm Philippus quinque numeret, & Aristotelicis formis Enthymema, Exemplum & Soriten adijciat. Non tamen iccirco dissentire Philippi doctrinam in hac parte ab Aristotelica putandum est. Nam quas Aristoteles argumentationis formas præcipuas generatim & vniuersè constituit, eas Philippus diffundens, in plures species, lucidioris doctrinæ causa distinxit.

Errat enim si quis putat Aristotelem Enthymema ab argumentatione excludere: cùm Enthymema ipse definiat, & syllogismo includat. Nihil enim differt Enthymema à syllogismo, nisi defectu alterius præmissarum, quando vel maior vel minor breuitatis aut infirmitatis causa occultatur atque omittitur. Quod eodem modo de exemplo dici potest, quod & ipsum

ab Inductione nulla re distat, nisi imperfectione. Vt enim Enthymema imperfectus syllogismus, sic exemplum imperfecta inductio est. Quid de Sorite dicam, qui neq; ad syllogismum, neq; ad inductionẽ quadrat? Fateor quidem hunc in argumentationis numero nullo esse apud Aristotelem: sed semina tamen illius sparsa ab Aristotele sunt in Canone, qui in antepraedicamentis de cõnexione vocum necessariò cohaerentium recitatur. Sic nec de hypotheticis syllogismis doctrinam ex professo Aristoteles tradidisse videtur: nihilominus tamen, quia necessária Dialecticae pars est: partim ex vestigijs, quae in Aristotele reperiuntur, partim ex Boëtio assumenda nostro Philippo fuit. Quia itaq; partim cũ Aristotele ipso, partim cum Boëtio interprete & commentatore Aristotelis congruit haec pars, & vsum habet magnum in omni ferè doctrina: causa quaerenda non est, cur in suam Dialecticam Dominus Philippus transtulerit. Consequentiarum porrò regulas tot, nempe viginti, vnde decerpserit autor noster fortè miraris. Sed neq; de his ipsis est, quod quisquam dubitet, quin ex ipsis visceribus Organi Aristotelis sumptae atq; expressae sint.

Su-

Supereſt liber quartus Dialecticæ Philippi, cuius vt tres ſunt partes primariæ, ita ex tribus voluminibus Organi Ariſtotelici delibatæ ſunt. Quæ enim in veſtibulo huius libri de demõſtratione Dominus Philippus aſpergit, tanquam floſculi ſunt de medulla poſteriorum analyticorum Ariſtotelis decerpti. Loci verè inuentionis, qui in ſecunda parte quarti libri exponuntur, an non riuuli ſunt fontis vberrimi, qui in topicis Ariſtotelis continetur? Certè hi à noſtro autore tanta luce verborum explicati ſunt, vt & Ariſtotelem omni penè ex parte redoleant, & ad noſtros vſus planè apti & quaſi ſculpti eſſe videantur. De fallacijs, quæ partim ſunt περὶ τὴν λέξιν, partim κατὰ τὴν λέξιν, dubium ſanè nemini eſſe poteſt, niſi qui Organum Ariſtotelis nunquam vidit, quin ex libello περὶ ἐλέγχων σοφιστικῶν Ariſtotelis omnino effictæ ſint. Inſerta eſt Domini Philippi libello vtiliſsima doctrina de modo ſeu artificio diſſoluendi vitioſa argumenta, quæ & ipſa ex corpore Organi Ariſtotelici tanquam ſuccus quidam ſalubris emanauit. Tandem addita eſt appendix, vel corollarium, ſiue προσθήκης μέρος de paruis

logicalibus, quod commentum quidem ſcholaſticum eſt, in ſcholis ſcilicet ſuperiorum temporum, neque temerè tamen, neque in vtiliter vſurpatum: quia de vocibus nonnullis, & loquendi modis lectorem commonefacit.

Ex hac breui commemoratione apertum manifeſtumque eſt, eodem ordine prorſus tradidiſſe noſtrum Philippum ſuam Dialecticen, quo artifex in hoc genere ſuum organum tractauit Ariſtoteles. Neque alia etiam ſunt præcepta, quæ in libello Philippi extant, quàm quæ iam olim ab ipſo Ariſtotele nobis relicta ſunt. Cùm ergo tantus ſit vtriuſque autoris, ipſius nempe artificis Ariſtotelis, & noſtræ apiculæ, Philippi Melanchthonis conſenſus: vituperari aut labefactari vnius opus non poteſt, niſi eodem motu impugnetur etiam, aut corruat alterius.

Iam verò certum eſt methodum συνθετικὴν, qua vterque ſuam Dialecticam conſcripſit, huic arti tradendæ omnium eſſe conuenientiſsimam, quis enim negare poteſt, quin vnum in vnoquoque genere prius ſit multis? & ſimplex ipſius naturæ ductu, atque ordine antecedat compoſitum? Rectè itaque primo loco in

Diale-

Dialectica nostri autoris, æquè atque in Aristotelis organo, simplicia vocabula in prædicabilibus & prædicamentis, tum etiam in definitione, diuisione, & methodo explicantur. Tum in secundo libro compositio & diuisio, hoc est, connexio & distractio vocum per propositiones affirmatiuas & negatiuas ostenditur. Tertiò autem loco ipsarum propositionum coagmentatio iusta & ad conclusionem accommodata, secundum argumentationis leges, exponitur. Postremò, vt ad corporis cuiusque vitam atque motum naturalem necessaria est anima: sic ad syllogismum, aut aliam quamcunque argumentationem opus est medio termino, qui est ipsum argumentum, siue causa probationis aut confutationis. Hîc ergo vbi & quomodo inueniendus aut eruendus sit, in libro quarto autoris nostri commodissimè docetur. Sic ergo & naturæ ipsius ductui, & diuino actionum mentis nostræ ordini congruenter tota doctrina Dialecticæ in hoc autore nostro procedit: vt qui ordinem hunc reprehendit, in ipsam naturam, & ordinis autorem maledicta conferre videatur.

At verò videmus in alijs huius artis vo-

luminibus, neotericorum præsertim, inuerti planè hunc ordinem, & ab inuentionis locis incoari Dialecticam: iccirco quia inuenire prius, quàm componere syllogismos, & de compositis iudicare oporteat. Callidum profectò inuentum, quod ante hoc tempus, neq; Aristoteli, neque Philippo nostro venire in mentem potuit. Quod tamen facilè quoque concesserim; si prius hoc docere aliquis potuerit: prius medium siue argumentum esse quærendum, quàm argumentandi artificium didiceris, quod cum persuadere potuerit nemo: quid est, quod recedere velimus ab eo ordine, quem Melanchthonis Dialectica tradit, vt ante omnia argumentatio integra doceatur, tum demum inueniendi medij siue argumenti via monstretur?

Sed age, rem ipsa quomodo se habeat, saltem consideremus. Quid quæso proficiet is in inuentionis doctrina, qui τεχνικὰ vocabula nondum ex prædicabilibus & prædicamentis didicit? quomodo ex genere argumentũ ducet, qui quid sit genus non didicit? quomodo ex definitione diuisioneq; argumentum eruet, qui nullas definiendi & diuidendi leges percepit? Nisi fortè miscere cœlum terræ

velimus

velimus, & vna cum locis prædicabilia, prædicamenta, definitiones, prædicandi modos tradere. Quod, quæso, quid aliud fuerit, quam cum ratione insanire? Non confundendo, sed distinguendo artes docentur, & illustrantur.

Cæterùm qui propter multitudinem præceptorum fastidio aut satietate quadam à Dialectica Philippi abalienantur, ociosa quædam aspergi, nonnulla etiam preter rem sæpius repeti arguunt. Habentque hi sua haud quidem reprehendenda Aristotelis præcepta, quæ velut leges in æs incisas accuratè, sanctéque seruanda in cuiusque artis explicatione existimant: κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον. Ad hæc igitur cum non omnia in Dialectica Philippi quadrent: nescio quo opinionis errore, satis magnam causam se nactos arbitrantur, cur ea relicta, commodiores libellos magisque ad præcepta illa sua directos, quærant atque amplectantur. Hinc adeò fit, vt mira varietas libellorum Dialecticæ, & nuper admodum noua quædam, quasi soboles ex Gallia in Germaniam importata sit. Hos ego neque inimicè insectabor, neque acerbè aduersus illos contendam. Axio-

mata ſaltem Ariſtotelica illa nego artium tradendarum leges eſſe proprias: ſed propoſitionum neceſſariarum gradus nominari multò rectiùs affirmo. Quocirca ad ſcientias tantùm, nequaquam verò ad artes & res contingentes detorqueri poſſunt: niſi quis contra autoris mentem ex loco proprio, ſiue materia ſubiecta dimouere, & ad alienum ſenſum vſumq; inſano prorſus conatu per ſophiſticam, ad eludendum Ariſtotelis doctrinam, & decipiendum imperitiores transferre velit. Ocioſa verò ego in Dialectica Philippi nulla inuenio, neque aliena etiam arte differendi admiſcuiſſe illum vllo in loco memini. Si qua tamen eiuſmodi animaduertuntur ab alijs fortè, ij ſuum iudicium relinquant Philippo noſtro, nec vitio id ei vertant, quòd ille ſibi iure omni duxit laudi, Quòd enim aſperſit paſsim popularia nimis, vt aliquibus videri poſſunt, & bonum præceptum iterauit, eò fecit, vt vſum huius artis magis declararet, & quo ad eius fieri poſſet, cum omnibus communicaret. Hanc ſi quis ocioſam ταυτολογίαν, aut copiam inertem appellandam ducit: næ is facit intelligendo, vt nihil de docentis munere intelligat. Ego verò facilita-

tatem & liberalitatem quandam in docendo nomino, quam Deus peculiari dono ad Dominum Philippum tranſtulit: & qui docere alios feliciter cupit, hunc virtutem iſtam imitari, quantum poteſt, neutiquam pudeat. Dandum eſt omnino aliquid naturæ excellenti: ſit liberior impetus in magnis viris nõ vinculis illis aut legibus in æs inciſis aſtringi ſemper volunt: ſed quæ habent, quæque ſciunt, liberali pectore effundunt. Nec interea tamen metas artis inſigniter tranſeunt. Hoc artificium nos ab ijs diſcere, non corrigere aut vituperare decet. Quid Socrates fecit apud Xenophontem? quibus verbis Hippiæ faſtidium refutat? cùm is quaſi irridens dixiſſet, adhuc ô Socrates, eadem dictas, quæ te dudum audiui prædicantem? Reſpondit Socrates: quod magis eſt, ô Hippia, non eodem modo ſemper dico, ſed de ijſdem. Hoc ſi vitioſum eſt, habet noſter autor cum Ariſtotele & alijs artificibus commune.

Contra nouitatem verò ex Gallia propagatam, quid dicam aliud, niſi quod Thucydides in ciues ſuos Atticos pronunciauit? δούλους τῶν ἀτόπων, ὑπερόπτας εἰωθότων eos appellans. Quod ipſum vi-

tium toties etiam in ijsdem notat Demosthenes. Quod si nouitatis studium, leuitatis argumentum est: haud sanè video, quomodo crimen hoc effugere posśint hi, qui Galli illius καινοτομίαν, καὶ ἀθυροστομίαν tāto cum applausu excipiunt, & cornicū oculos cum eo configere, quàm vestigia vsitata, trita, atque probata persequi malunt. Sed satis mihi de hac parte verborum fecisse videor. Relinquatur ergo hoc in causa neque in præceptionibus, neque in ordine tradendi quicquam desiderari, in hoc libello autoris nostri posse.

Sequitur vt de altera institutæ diuisionis parte dicere aggrédiar, quæ cum exemplorum copiam, quibus præcepta artis illustrauit Phiplippus, complectatur, summis viribus in id incumbendum mihi video, vt vtrumq; probem, & ritè accommodata esse præceptis exempla, & vsum ad omnes ferè disciplinas afferre amplissimum. Sunt autem exempla in hoc libello non vniusmodi, sed varia pro rerum scilicet varietate, quas Dialectica disertè explicare docet. Vt enim communis est ministra aliarum artium, & gubernatrix methodi in cuiuscunque doctrinæ explicatione: sic disciplinarum omnium exemplis communi-

muniter etiam vtitur: quo viam & rationem tradendi vniuersas & singulas artes demonstret. Itaq; reperiuntur in hoc libello exempla Ethica, Physica, Oratoria, Arithmetica, Geometrica, nonnulla etiam ex Medicina & doctrina legum petita. In primis tamen ex Theologia tot videas deprompta, vt penè ad eam solam digitum intendere, videatur. Neque sunt tamen ista leuia, aut momenti exigui, sed ex ipsis visceribus sumta, & præceptis ritè, ex omni parte accommodata.

De Ethica primùm vt dicamus, quis negat multum lucis doctrinæ toti de moribus accedere per difinitionem & diuisionem virtutis in prima specie qualitatis, tum per methodicam explicationem eiusdem in fine libri primi traditam? Etenim qui definitionẽ virtutis tenet, species nouit, causas, effectus, cognata, pugnantia didicit: an nõ iam is totius doctrinæ de virtute, ideam in animo suo conceptam atq; comprehensam habet? Mihi sic videtur, fores per hæc patefieri ad fontes, hoc est, ad totum Aristotelem & Platonẽ, quatenus de moribus disserunt. Ab Aristotele quidẽ doctrinam solidam accipimus, sed ex Philippi Dialectica methodum cognoscimus,

quæ

quæ facis instar prælucet legenti, & viam omnem monstrat, seriem partium, membra & argumenta exhibet. Quàm erudita est definitio legis naturæ in definitione causali? Quid dicam de affectibus, quorum doctrina per exempla huius libelli sic illustrata & perpolita est, vt & quid sint, ex tertia specie qualitatis, & quomodo distingui debeant, passim & perspicuis syllogismorũ exemplis cognosci possit. Quomodo item ab opinione differat affectus, regula de distinctionum nominibus disertè docet. De fine hominis vix quicquam dici potest luculentius, quàm quod in refutatione syllogismi sophistici, ex sententia Epicuri, & paulò post in exemplo Ethicæ demonstrationis commemoratur. Non libet prouehi longiùs in hac parte, ne quẽ offendat orationis vbertas.

De Physica porrò, quam præclara exempla in hoc libro proponuntur? An non eruditam tabellam rerum in tota vniuersitate existentium substantiæ prædicamentum suppeditat? idq; non solùm, sed modum etiam definiendi penè res singulas per genus & differentiam ostendit. Deinde naturalium potentiarum atque impotentiarum quam apta exempla in secunda

specie

ſpecie qualitatis adiecta ſunt? Quàm eruditè gradus neceſsitatis in fine ſecundi libri diſcernuntur? Quàm lucidè fontes contingentiæ aperiuntur, & denique fatum Stoicum refutatur? De cometa etiam diſputationem magna ex parte ſollogiſmorum exempla paſsim expediunt. Immortalitatem animæ duo ſyllogiſmi in ſecunda figura demonſtrant. Cauſarum porrò in libro quarto tot diuiſiones tam perſpicuè explanantur, vt totam Phyſicam ferè illuſtrent. In ſexta diuiſione cauſarum vnico argumento commentum Ariſtotelis de æternitate mundi refutatur. In loco effectuum probatur, Deum eſſe cauſam mundi, & quidem intelligentem.

Oratoria exempla quot & quàm illuſtria hic liber habet? etenim non ſolùm propoſitionem principalem in oratione aliorum, tum ordine argumenta monſtrat: ſed cum ipſi etiam ſcribere aut dicere aliquid volumus, propoſitionem prius certam conſtituere iubet, tum argumenta ad eam confirmandam aut refutandam ex locis adhibere. Hinc principalem propoſitionem orationis Ciceronis pro Milone didicimus: hinc principalem ſyllogiſmum Demoſthenicæ orationis de Corona

inter

inter exempla ſophiſticorum ſyllogiſmorum reperimus. Sed propero ad reliqua. Arithmeticæ & Aſtronomiæ exempla rariora ſunt, ſed aliqua tamen, præſertim popularia aſperſa ſunt. Ex arte Medica inſigne eſt illud de criticis diebus, vt alia prætermittam, quod ſub Dialectico ſyllogiſmo, libro quarto, recenſetur: vnde ſcilicet fiat, vt ſeptimo die plerumque tanta ſit naturæ cum morbo lucta, vt alterū ex ijs, hoc eſt, vel natura vel morbus vincat: nēpe ex mutatione humorum, quæ accidit ex acceſſu lunæ, ad contrariū ſignum, quod regulariter fit ſeptimo die. In loco de cauſis quam multæ voces ex medica arte, quot diuiſiones cauſarum ex Galeno declarantur? Deniq; vix poteſt quicquā eſſe vtilius ad intelligendam Philoſophiam, quàm diſcrimen ſectarū, quod appendicis loco additur doctrinæ de demōſtratione in lib. quarto.

Iam de exemplis ex iuris prudentia ſumtis dicturus, non volo quenquam adeo moroſè de me iudicare, quaſi putem legum doctrinam in Dialecticam transfundendam eſſe, aut ex ea peti poſſe. Hoc tantùm affirmo, ſemina quædā perſpicua doctrinæ Iuris ex noticijs natura inſitis, paſſim inter alia exempla eminere. Primùm certè

certè definitio illustris Iuris prudentiæ in prima specie qualitatis traditur. Deinde Lex quid sit, & ad quid obliget, in prædicamẽto relationis docetur. Quid multa? fontes doctrinæ Iurisconsultorum, prædicamentum relationis continet. De iudicijs, eorumq́; partibus, de litigatione forensi, de militia, de speciebus iuris, quàm pia vtiliaq́; exempla passim insperguntur?

Hæc omnia quamuis vtilitates magnas adferant, tam ad præceptorum vim, vsumq́ue intelligendum, quàm ad rerum cognitionem comparandam: tamen illustrius præclariusq́; nihil est in toto volumine, quàm Theologicorum exemplorum copia atque delectus. Ea enim, vt mihi quidẽ videtur, bonam partem doctrinæ Christianæ explicant. Initiò statim dispositionem Psal. 133. recenset, quæ quasi lumen aliquod de cæteris Psalmis iudicãdi præbet. In prædicabilibus modos prædicãdi de filio Dei in Ecclesia receptos & approbatos, explanat. In prædicamento substantiæ Dei & trium personarum diuinitatis definitionem recitat, & nomen ὀσίας ab hypostasi discernit. In prima specie qualitatis virtutum Christianarum definitiones ponit. In secunda specie genus peccati origi-

originalis inquirit, quod eſt impotentia ſeu defectus & inclinatio praua. In prædicamento relationis baptiſmi, peccati, fidei, iuſtificationis, gloriæ Deo debitæ, & gratiæ definitiones luculentas commemorat. In actionis prædicamento ſacramentum & ſacrificium definit. In prædicamento quando, argumento ex temporis circumſtantia ducto, Meſsiæ aduentum, contra Iudæos probat. In prædicamento Vbi, argumento ex loci circumſtantia ducto, confirmat Eccleſiæ ſedem in terris vſq; ad conſummationem ſeculi. In definitione nominis phraſes nonnullas Pauli, Rom. 6. Eſſe ſub lege, Eſſe ſub gratia. Item Pſalmi 110. De torrente in via bibet, interpretatur. In definitione eſſentiali peccati definitionem repetit, in definitione collecta ex partibus pœnitentiam definit. In commemoratione vtilitatis veræ diuiſionis diſcrimen euidens magiſtratus politici, & miniſterij eccleſiaſtici exponit. In tertia forma diuiſionum partes legis Moſaicæ, & vitæ Chriſtianæ ex Paulo enumerat. In libro ſecundo vim & naturam multarum propoſitionum in ſcriptura ſancta, ex linguæ Græcæ & Hebraicæ conſuetudine, ac phraſi declarat. Et neceſsitatem abſolutam à neceſ-

à necessitate consequentiæ adeò perspicuè discernit, nihil vt lucidius dici ab vllo posse videatur. Tum necessitatem illam Stoicam, quàm falsò multi omnibus ætatibus probarunt, funditus euertit. In tertio libro discrimen libertatis Christianæ & ciuilis proponit in regula tertia de syllogismis. Mox in regula quarta propositionem inusitatam: Verbum carò factum est, explicat. In quinta propositionem enarrat, de qua in Ecclesia disputatur: Omnis essentia diuina est Pater: vbi ostendit nomen essentiæ commune esse tribus personis. In sexta, refutat falsam opinionem Iudæorum de conseruatione Ecclesiæ scilicet eo modo, quem ipsi errore quodam fascinati sibi fingebant. Mox illustri syllogismo propositionem, fide sumus iusti, declarat, quam tota penè Ecclesia ante hæc tempora non intellexit. In secunda figura syllogismorum, modo quarto, ex Ecclesiæ definitione ducto argumento excludit sectam Mahometicam ab Ecclesia. In syllogismo expositorio discernit claues Ecclesiæ & politicum Imperium, & syllogismũ Christi, Matth. 22. repetit. De reductionibus argumentis duobus ordinem magistratus tuetur. In Enthymemate Abelis

exemplo docet, quid ſanctis ſiue Chriſtianis expectandum ſit in hac & altera vita. Paulo poſt Salomonis iudicium in controuerſia duarum mulierum ad fontes reuocat, & de regno Chriſti, ſentētiam veram, confutato ſomnio Iudæorum, exponit. De inductione impium decretum pontificiæ Eccleſiæ de cœlibatu ſacerdotum refellit. In exemplo factum Abrahami de immolatione filij diſcernit ab aliorum factis eiuſdem generis, per cauſas, & paulo poſt duobus argumentis à Petri exemplo ductis, poteſtatem Miniſterij Eccleſiaſtici, nō in gladio, ſed verbo ſolo ſitam eſſe probat. Tum contra communionem facultatum argumentum profert. In ſorite vſum crucis in Eccleſia, tum argumentum Epiſtolæ ad Ebræos cap. 7. exponit de diſcrimine ſacerdotij Chriſti & Leuitici, In quarta regula conſequentiarum piam tradit ſolutionē argumenti de concupiſcentia. In ſexta & ſeptima refellit argumentum ex Paulo malè citatum contra coniugium. In decima de vera ſententia dicti Auguſtini de autoritate Eccleſiæ diſſerit, & vnde Eccleſiæ autoritas omnis pendeat nempe à Chriſto autore, planum facit. In Hypothetica copulatiua iuſtitiam Chriſtianam

ſtianam cum infirmitate coniunctam in hac vita tota probat. In diſiunctiua iuſtitiã fidei ex remotione operũ legis confirmat.
In quarto libro tribus normis certitudinis in Philoſophia diſertè addit quartum κριτήριον, patefactionem diuinam, oſtẽdens aliam cauſam certitudinis in verbo Dei querendam non eſſe, præter ſolum verbum, ſiue autoritatem Dei dicentis. Mox certitudinem gratiæ Dei, remiſsionis peccatorum, ſalutis, & exauditionis precum euidenti argumento demonſtrat, contra horrendam dubitationem ſiue ἐποχὴν papiſticam & pernicioſam quorundam dogma de prædeſtinatione particulari, In loco definitionis dictum Pauli de gloria explicat. In Etymologia iterum ex vi vocis euincit certitudinem ſalutis noſtræ: quamuis cor & animus totus trepidet. Paulo poſt de ſententia dicti Chriſti diſſerit Matth. 5. de effoſsione oculi. In octaua diuiſione cauſarum rerum à Dauide in mandato munere geſtarum cauſas, item caſtitatis Ioſephi diſtinguit. In ſecunda regula de cauſa finali, fines diuerſos petitionis bonorum corporalium in quarta petitione dominicæ orationis recenſet. In loco antecedentium &

conſequentium ex Propheta conuincit non ſolùm mortuum eſſe pro peccatis noſtris Meſsiam, ſed etiam reſuſcitatum, contra pertinaces Iudæos. Tum ordinem in regeneratione & iuſtificatione oſtendit, in qua mortificatio præcedit viuificationem, angorem conſequitur pax. In loco ab impoſsibili doctrinam Eccleſiæ aſſerit. De connexis partes legis Moſaicæ, & filij Dei æternitatem explanat. In loco ſimilium exemplo Dauidis, docet opera legis moralis, longè anteferenda eſſe ceremonijs.

Penè defeſſus ſum enumeratione exemplorum. Quocirca ne copia faſtidio adhæreſcat, reliqua prudens omittam. Hæc autem hactenus commemoraui, vt magnitudinem vtilitatis Dialecticæ Philippi probarent. Ac ſi cui ingrata fortè eſt hæc Theologicorum exemplorum varietas, alienamq́; putat tractationem ab arte Dialectica, tanquam minus homogeneam, vel καθ' ἀυτο, hoc eſt natiuam & propriam: is hoc reſponſum habeat: exemplis ad docendam Dialecticam opus eſſe notis, vtilibus & illuſtribus, ex quibus vſus artis perſpici atque cognoſci poſsit. Abſque hoc enim Dialectica quorſum pertineat haud video.

video. Iam verò cuius doctrinæ exempla vtiliora, aut illustriora in Christianis scholis esse possunt, quam Theologiæ? quid notius nobis Christianis, aut maiori curæ esse debet, quam Christiana religio? An non hanc à teneris statim vnguiculis imbibere ipsa professio nos cogit? Quod si Aristoteli Geometrica inculcare exempla suis discipulis honestum fuit, iccirco quia eam artem inprimis didicerunt Aristotelici studiosi; quomodo non conueniet Christianis vsurpare exempla ex doctrina ea, quam inde vsque à baptismo nostro profitemur, & simul cum lacte ex ore parentum præceptorumq; percipimus? Non igitur ἑτερογένεα sunt talia, sed Christianæ Dialecticæ prorsus cognata. Estque profectò ingens donum Philippi, quod ad doctrinam Christianam penè primus huius artis præcepta, tam bellè dextreque applicauit, Christianamq; adeò Dialecticam ex Ethnica fecit. Confer huc aliorum librorũ Dialecticæ exempla: quid quæso ea eruditionis continent? quàm tenuia sunt & angusta? Huius vero nostri autoris exempla latè patent, sæpeq; integrã aliquam doctrinam, aut orationẽ, complectuntur, & mirè iudicium informant atq; acuunt.

Etsi autem neque artium confusionem probo, neque Theologiam in Dialectica docendam esse iudico: tamen aspersa & inculcata exempla religionis Christianę plurimum vtilitatis adferre discentibus planè statuo. Nec dubito firmissimè animis studiosorum adhærere exempla definitonũ, distinctionum, & argumentorum præcipuas partes siue capita doctrinæ Christianæ illustrantia atque munientia. Hinc enim fit, vt cum communiter audiatur hæc ars ab omnibus literarum studiosis: communia etiam omnes elementa Christianæ religionis percipiant, & refutare etiam dissentientes ex verisprincipijs discant. Hinc Iurisconsulti, hinc Medici, hinc Politici, qui aliquando Dialecticam philippi audiuerunt, doctrinæ Chtistianæ elementa norunt, & per omnem vitam in animis retinent: vt iam Theologiæ fundamenta à primis vsque annis iaciant, quotquot Dialecticam Philippi discunt. Hanc igitur tam salutarem, tamque liberalem & vberem scientiam religionis Christianæ, quid est, quod gratis animis amplecti, magniq; facere nolimus?

Inuident nobis aduersarij religionis tátam felicitatem, quàm nostro Philippo acceptam

ceptam meritò referimus. Et nisi quid me fallit, cœperunt iam tum, aut certè aliquantò post incipiente eodem modo suam Dialecticam tradere: quo & ipsi elementa Theologiæ, vnà cum præceptionibus artis inculcent discipulis suis, & propugnatores religionis suæ in scholis educent. Ac nisi Romanæ Ecclesiæ edictis arcerentur, obuijs quod aiunt, vlnis, Philippi nostri Dialecticam amplecterentur. Vident enim suos libellos, quotquot ferè scribunt, meras esse tenebras si cum Philippi Dialectica conferantur. Edita est Louanij Dialectica ab Hunneo, in qua quicquid lucis est, id omne ex libello Philippi excerptum est. Ac Philippica exempla si demas, nihil nisi caliginem relinques. Quamobrem gratus sit nobis Philippi nostri labor, eumque virum propter donum summæ perspicuitatis & facilitatis in docendo suspiciamus, veneremur, & amemus, nec diminui eius amorem in animis nostris vllius hominis odio, conuicijs, aut insectationibus patiamur. Philippi enim flosculos tanta solertia, tantoque labore ex tota Philosophia & Theologia decerptos, qui aspernatur aut floccipendit: huius impietatem ipsæ ministræ iustitiæ, Furiæ vindi-

cabunt. Nos quidem ô Philippe, & memoriam tui conseruabimus, & gratiam tibi habebimus toties, quoties fragrantibus tuis flosculis fruimur.

Oratio XXII.

DE DIALECTICA PHIlippi Melanchthonis Anno Christi, 1580.

SVperiori oratione duo à me satis explicata arbitror, vnum quidem quemadmodum ordo Dialecticæ Melanchthonis cum organo Aristotelis consentiat, vteo ad discendum & docendum commodius nihil esse posit: alterum verò quomodo luce præceptionum, & copia bonitatéque exemplorum eadem Dialectica Melanchthonis omnes omnium in hoc genere editos libellos superet. Sequitur vt eam in partibus nonnullis ex opinione eorum vindicem, qui sibi materiam probabilem esse datam ad detrahendum aliquid de illius dignitate atq; vtilitate arbitrantur.

Non enim quiescit Satanas, nec patitur deesse homines, qui simplicitatem & lucem admirabilem in hoc Dialectico libello

bello impugnent. Scilicet ardet odio simplicis veritatis, furit verò cupiditate Sophistices. Et quia Spiritus est & Princeps caliginis ac tenebrarum, offundere tenebras rebus cunctis, & miscere omnia conatur. Quo igitur intolerantius audacia & furor eius in nostra pernicie bacchantur: eo vigilandum est nobis acrius, vt declinare eius insidias possimus, & quam accepimus à Deo præceptores diuinos lucem doctrinæ ac literarum custodiamus. Quod sanè fieri minimè potest, nisi accuratè moneantur, ac probè muniantur discentes contra tot hostis astutissimi technas, quibus adoriri nos solet, & nisi cauemus, in errorem præcipites dare.

Cùm autem dico cauendas esse insidias, non vitupero aut reijcio penitus omnem lectionem libellorum logicorum, quicunque tandem sint, veteres aut recentes. Id enim ne per ipsius quidem Melanchthonis, aut Aristotelis Dialecticam facere mihi licet: Cùm vterq; autor non tam vera intelligendi ac iudicandi, quàm falsa dignoscendi ac refutandi artificium monstret. Sunt itaque in hac arte non minùs quam in alijs vera & falsa discenda, vt in vtrisque iudicandis & discernendis cautos

nos & prudentes præstemus. Quemadmodum in Theologia non solùm orthodoxæ Ecclesiæ sententiam inquirimus, sed etiam hæreticorum opiniones exploramus. Et in medicina non modo quid Hippocrates & Galenus senserint, verum etiam quid Herophilus, Chrysippus, atque Erasistratus, qui veterem artem Medicinæ corruperunt, & sectas pernitiosas induxerunt, commenti sint, indagamus. Quin etiam Paracelsi dogmata noua scrutamur, vt quantum vera à falsis distent, scire, & velut purpuram cum purpura, vt in prouerbio est, conferre possimus. Nec profectò cum aduersario disputare vllus satis eruditè ac neruosè poterit, nisi veteris & nouæ, immo etiam barbaræ logices vocabula, & quemadmodum vocant, terminos intelligat.

Quamobrem non est, quod quisquam mihi obijciat, cauillandi aliornm libros in hoc genere libidinem aut temeritatem, à qua vt abhorret animus meus, sic eiusdem etiam suspicionem vitare cupio. Satis est mihi tueri & vindicare Melanchthonis nostri libellum, qui in manibus est, & esse debet iure omni propter insignem lucem doctrinæ, qua reliquis in hoc artificio scri-

ptis

ptis tanquam lucifer aut heſperus aliquis antecellit.

Ordiar autem altius & capita nonnulla repetam, quæ ordinem Melanchthoniæ Dialectices ſtabiliunt. Incipit Dialectica Melanchthonis à ſimplicibus, & ab ijs paulatim progreditur, donec totum opus abſoluat. Simplicia autem, quæ & in complexa dicuntur, ſunt nomina & verba, quæ in prædicabilibus & prædicamentis exponuntur, & gradibus, domicilijsque certis diſtinguuntur. Ab his procedit ad definitiones & diuiſiones, quæ quoq; ſunt ſimplicium vocum explicationes & diſtinctiones. Ex ſimplicibus autem vocibus contexit propoſitiones, ſiue enunciationes, quæ ſunt orationes, quibus affirmatur aliquid vel negatur. Ex propoſitionibus cõponit ſyllogiſmos & alias formas argumentationis. Poſt expoſitũ argumentationis artificium, ad fontes digitũ intendit, & vnde argumenta depromenda ſint docet, nempe ex locis. Poſtremo etiam quomodo diſſoluere vitioſa argumenta oporteat, oſtendit. Hic ordo eſt omnium optimus & commodiſsimus in hac arte, congruens ad ordinem compoſitionis & actionum mentis humanæ, quæ primum cognoſcit

ſim-

ſimplicia poſtea componit & diuidit tandem ratiocinatur & iudicat, vera à falſis diſcernens. Equidem ſimplex natura prius eſt compoſito, & vnum in quoque genere prius multis. Quod cùm ita ſit, negari planè non poteſt, optimum hunc eſſe ordinem, quem Meláchthonis Dialectica tenet. At ſcio obijci poſse mihi illud, quòd in topicis ſuis poſuit Cicero, inuentionem ordine naturæ eſſe priorem iudicio, quod amplector & ego, valereq; in ſuo genere fateor, hoc eſt, in Rhetorica vbi nemo eſt qui neſciat, inuentionem antecedere, diſpoſitionem ſequi debere. Ac ſi quid inde controuerſiæ exiſtit, id omne ex vocabuli homonymia naſcitur.

Cum enim inuentionem nominamus in logica, non de materia loquimur, vtpote quàm Dialectica neque gignit neq; ſuppeditat, ſed vt Melanchthon noſter ait, monet tantùm, quomodo res inueſtigandæ ſint, vel, propoſito rerum cumulo, docet eligere ea quæ præſentem materiam illuſtrant. Quod artificium in locis traditur.

Vt autem inuentrix, ſecundum veterem diuiſionem, non gignit materiam, ſic nec iudicatrix à veteribus dicta de materia inuenta

uenta iudicat, ſed vt Melanchthon noſter tradit, voces diſcernit, iudicat quæ rectè connectantur. Iam ſi voces diſcernere iudicatricis munus eſt, de vocibus ante omnia explicari in Dialectica neceſſe eſt. Id quod fit in prædicabilibus & prædicamentis, vbi non ſolum gradus vocum diſcernuntur, ſed ipſarum etiam rerum appellationes diſponuntur. Tum quemadmodum in definitione & diuiſione vſus vocum monſtratur: Sic in propoſitionibus & ſyllogiſmis quæ rectè connectantur, & quæ membra ritè cohæreant, oſtenditur.

Poſtquam ad hunc modum ratio connectendi voces, & artificium componendi argumenta traditum eſt, tum demum ordo exigit, vt loci adijciantur, ex quibus omnis argumentatio ad omnem diſputationem inueniatur ſiue eruatur, vt inquit Cicero de locis Ariſtotelis. Ex quo liquet, inuentionem in Dialectica nihil eſſe aliud quam locorum doctrinam, qui ſunt quaſi argumentorum notæ, vel ſedes atq; domicilia, è quibus argumenta ducuntur. Quomodo verò argumenta duces, niſi modum ſiue artificium contexendi argumenta prius didiceris? Vides ergo præ-

cedere

cedere necessario iudicatricem, sequi verò inuentricem, quemadmodum veteres nominarunt.

Si quis porrò existimat eosdem esse hos Dialecticæ locos cum ijs quos Rethorica exhibet, eum falli opinione manifestum est. Etsi enim fontes forte congruunt, appellationes tamen & tractatio dissimiles sunt. Aliter vtiq; Rhetorica locos in singulis causarum generibus nominat atq; collocat quam Dialectica. In iudiciali quidem genere, statu coniecturali principales loci sunt voluntas & facultas. In iurediciali verò lex, Æquum, bonum, iudicatū. In deliberatiuo autem genere, honestum, vtile facile. Quanquam vero Rhetorica tanquam æmula Dialecticæ in elocutione eosdem penè locos retinet: multò tamen addit, qui ad ornatum & copiam propriè conducunt. Colligitur ergo aliam esse inuentionem in Rhetorica, alia in Dialectica.

Vnum occurrit in prædicabilium doctrina de vocabulorum speciei & generis promiscuo apud autores vsu: Ne quis fortè existimet, parum referre speciem an genus dicas in Dialectica, cum autores probati

bati non satis distinguant, nec Dielectica ipsa vsq; adeò distinctincte loquatur. Nam in tertia figura Syllogismorum procedi ait à specie, cum tamen indiuiduum quoque intelligi necesse sit, præsertim in expositorio syllogismo. Notum est etiam speciem vocari quicquid definiendum est. Quod tamen sic declaratur, vt species definiri, indiuiduum verò describi dicatur. Quid? Quod Aristoteles quoq; logicæ artifex in primo de partibus animalium Socratem & Coriscum species vltimas appellat. Nihil dico quomodo iuris cōsulti hæc vocabula in sua arte vsurpent, quippe quibus Titius, Pamphilus species sunt, homo autem genus. Certè Ciceroni inusitatū minimè est voce generis pro specie vti: vt cum ait, Sol efficit vt omnia floreant, & in suo quoque genere pubescant. Galenus quoque lib. 1. de tempera mentis ait: vitima genera sunt homo, ceruus, ficus, eæque species dicuntur.

Veruntamen nihilominus manet in doctrina prædicabilium discrimen immotum inter indiuiduum, speciem & genus, & qui hæc vocabula confundit, ipsos gradus vocum, qui fundamentum sunt disserendi artis, conuellit. Disertæ enim

enim Dialectica speciem discernit ab indiuiduo, dum ita collocat vt indiuiduo sit proxima. Tum indiuiduum vocat singulare, speciem vero commune nomen. Tertiò indiuiduum ait esse extra intellectum, speciem verò in intellectu. Indiuiduum deniq; dicit substantiam primam, speciem verò, substantiam secundam. Cicero etiam ait speciem ex numerabilibus indiuiduis existere. Ex his igitur fontibus discendum est quid sit indiuiduum, species, & genus in Dialectica, nempe ex Porphyriana Isagoge, Aristotelis organo, & ex nostri etiam Melanchthonis libro. Certè Aristoteles discernit perspicuè satis in Categoria substantiæ, cum hanc sortem recitat: ὁ τὶς ἄνθρωπος ἐν εἴδει μὲν ὑπάρχει τῷ ἀνθρώπῳ, γένος δὲ τοῦ εἴδους ἐστὶ τὸ ζῶον. Quod verò Socratem alibi dicit vltimam speciem, secundum subiectam materiam intelligendum est, nempe secundum doctrinam Physicam, de qua eo in loco tractat.

Post prædicabilia, Entis diuisionem posuit Melanchthon, vt sit vel substantia vel accidens. Quæ diuisio cum Aristotele penitus congruit, qui omne quod est aut

ὑπὲρ τόδε τι, aut τόδε ἐν τῷδε εἶναι, aut ipſum per ſe aliquid eſſe, aut in alio eſſe ait. Sat ſcio iam olim ab Auerrhoë hanc diuiſionem impugnatam eſſe, vtpote qui elementorum formas inter ſubſtantias & qualitates ſtatuit eſſe medias. Nec ignoro Cardanum diuidere ſubtilitatem ſuam in ſubſtantiam, accidentia & repræſentationes, id eſt, ſpecies & imaginationes. Verùm quid attinet in docenda Dialectica ſubtilitatem ſectari, aut vltra quam ſatis eſt diſputationes petere?

Etſi autem fatendum eſt, prædicamentum ſubſtantiæ eſſe Phyſicum, quantitatis mathematicum, qualitatis medicum & Ethicum, relationis Theologicum & iuridicum, quando Aſtronomicum & hiſtoricum, vbi geographicum: tamen quia communis diſciplinarum omnium miniſtra eſt logica, modum & artificium omne diſcendi & docendi artes ex ea peti oportet. Et negare prædicamenta, eſt rerum ſeriem tollere.

In actionis prædicamento, Ariſtotele ipſo autore, controuerſum eſſe poteſt de generatione & corruptione, inter motus referendæ ſint nec ne? Sed diſſoluit dubitationem ipſe Ariſtoteles, dum lib. 3. Phy-

ſicorum, generaliter accipit, motus vocabulum pro quacunque mutatione, in eáque ſignificatione etiam generationem & corruptionem inter motus numerat. In quinto autem libro in ſpecie loquens generationem & corruptionem mutationes vocat. Nō igitur errauit Melāchthon, cùm inter motus recenſuit generationē & corruptionē: præſertim cùm Galenus etiā generationem dicat viam eſſe ſeu progreſſum ad ſubſtantiam ſiue ad formam, lib. 2. Methodi, & lib. 2. de naturalibus facultatibus.

Abſoluta prædicamentorum, definitionis & diuiſionis doctrina, aggreditur Dialectica Melanchthonis ad praxin, & methodum, h. e. viam explicandi vocabulum ſimplex tanquam ἐπιλογισμὸν adiungit. In eaque re Ariſtotelem & Ciceronem duces magnos ſequitur. Etenim Ariſtoteles in ſecundo Analyticorum poſteriorum cap. 1. docet, quatuor quæſtionibus rei ſimplicis explicationem contineri, quarum prima eſt τὸ ὅτι, ſecunda τὸ διότι, tertia εἰ ἐστὶ, quarta τί ἐστι. Melanchthon verò has illuſtrauit & auxit, vt haud ſciam, an vlla res ſit, quæ non commodiſsimè & vtiliſsimè per has quæſtiones methodi exponi poſsit. Equidem Ariſtotelis & Ciceronis

ſcti-

ſcripta διδακτικὰ pleraque ad iſtum modum elaborata eſſe cernimus: niſi quòd cultus quidam maior, tanquam veſtitus adhibitus eſt, vt de officijs, & libris de oratore conſtat. Niſi ergò fateamur magnam, vel potius immortalē gratiam nos debere Melanchthoni pro iſta face methodi, quam in docendo & diſputando nobis accendit, amentes ſimus.

Infra autem in 3. lib. cùm Syllogiſmorum figuras ad σύνθεσιν καὶ ἀνάλυσιν accōmodat, plures methodorum formas nominat, ſed quæ & ipſe cum exemplis Ariſtotelis, & Ciceronis, tū Galeni etiā dogmatibus congruunt. Ariſtoleles enim alia methodo explicat doctrinā de natura rerum, alia doctrinā de moribus & vita. Phyſicen quidē tradit methodo συνθετικῇ, initium ducēs à principijs, à quibus ordine progreditur ad ſingularū partiū expoſitionem, de cœlo & mūdo, de generatione & corruptione, de meteoris, de anima, donec totū doctrinæ phyſicæ corpus abſoluat. Moralem verò doctrinā methodo analytica tractat, incipiens à fine philoſophiæ moralis, quæ eſt beatitudo, & ordine regrediēs ad initia principiaq;, ex quibus ille finis cōſtat. Hinc duas eſſe methodos intelligimus, quarum

vna à priori, altera à posteriori procedit. Quod etiam Plato in Philebo & Phædro confirmat, vt scribit Galenus in lib. 9. de placitis Hippocratis & Platonis, vbi vtramque speculationem, diuisoriam & compositoriam maximè necessariam esse ad artium constitutionem contendit. Galenus autem optimus post Aristotelem methodi artifex, his duabus tertiam quandam addit, quàm nominat ὁριστικὴν, latinè definitiuam vocare possumus, quod artem per definitiones & regulas simpliciter exponat. Nonnulli διαίρεσιν vocant, cum videlicet definitio aut doctrina ipsa in suas partes distribuitur, h.e. per omnes formas quæ sub ea comprehenduntur, explanatur. Tot igitur methodi formas agnoscunt & vsurpant artifices. Estque ratio, cur id faciant, non reprehendenda. Nam in omni cognitione aut doctrina, vel incipimus à priori κατὰ τὸν πρῶτον λόγον, nẽpe à causis rei, & ad effecta progredimur, vt cũ primùm docemus aut discimus quid Deus sit, deinde opera eius intuemur, & omnipotentiam, sapientiam, bonitatemque eius ex illis cognoscimus. Vel à posteriori, κατὰ τὸν δεύτερον λόγον, incipimus, & ad prius contendimus, vt cũ ex effectibus, vel signis vel expe-

experientia iudicamus de cauſa, quemadmodum S. Paulus in Epiſtola ad Romanos, ex operibus Dei cognoſci Deum opificem poſſe affirmat. Vel complectentes totum, ordine illud in ſuas partes diſtribuimus. Vt cum hominem in præcipuas partes diuidimus, in caput, pectus, ventrem, pedes. Tot igitur methodos eſſe conſtat, quot viæ ſunt cognitionis rerum, nempe Syntheſin, quę à priori, Analyſin quæ à poſteriori, ordine inuerſo procedit, & ὁριστικήν, quæ definitionem in ſuas partes reſoluit, & ordine explicat. Sic enim interpretes & explanatores Galeni magno conſenſu tradunt. Dubitatum eſt autem de accidentibus, quæ materiam ex qua nullam habere Melanchthon in methodi quęſtionibus affirmat. Sed dubitationem omnem tollit Ariſtotelis aſſeueratio, quæ extat τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ lib. η. οὐδ' ὅσα δὴ φύσει μὲν, μὴ οὐσία δέ, οὐκ ἔστι τούτοις ὕλη. Liquet ergo nihil alienũ ab Ariſtot. doctrina poſuiſſe noſtrum Melanchthonem. Rationem ſi quæris, in promptu eſt. Solius enim ſubſtantiæ eſt proprium eſſe habere. Accidentis verò proprium eſt in alio eſſe, vel eſſe habere à ſubiecto. In figuris Syllogiſmo-

rum etsi vnaquæq; illarum causam habet cõsequentiæ propriã & firmam: tamen modus reducendi reliquarum figurarũ Syllogismos ad primam in Melanchthonis Dialectica ostenditur. Idq; fit eo cõsilio, quod prima figura dignitate & perfectione reliquis antecellat. Quod præterquam quod res ipsa probat, etiã Aristotelis rationibus stabiliri potest. Sic enim docet ille lib. 1. Analyticorũ posteriorum: τὸ πρῶτον σχῆμα μάλιστα ἐπιστημονικόν ἐστι. τὴν γὰρ ἐπιστήμην διὰ τούτου θηρεῦσαι μόνου δυνατόν. Secundò prima figura efficit Syllogismos affirmatiuos & vniuersales. Tertiò quia reliquæ figuræ Syllogismorũ educuntur ad primam tanquã ad caput, quasi ope præsidioq; illius ad sui perfectionẽ indigentes.

In quarto libro Syllogismum diuidit Melanchthon secundũ materiam in Demonstratiuum, Dialecticum, & Sophisticum. In eoq; Aristotelis ductum sequitur, qui in primo topicorum ad eundem modum distinguit. Paulo post demonstrationis quædam semina spargit ac fontes aperit, dum principia & alia κριτήρια certitudinis exponit, tum exempla etiam demonstrationum ex omni ferè scientia &

arte

arte depromit. Scio autem alios alias leges demõstrationis ex Aristotele proferre, quasi ea non nisi in simpliciter necessarijs locum habeat. Sed si accuratiùs doctrinam Aristotelicam perpendetis, intelliges sanè eorum etiam demonstrationem esse, quorum causæ proximæ & in actu positæ sunt. Vt cum tonitru de nube, defectio luminis de Luna demonstratur.

Fatemur quidem, vel querimur potius, paucas nos habere πίστεις, id est euidentes probationes, siue demonstrationes: sed lætamur tamen merito plerarumque partium in doctrinis certitudinem aliquam esse. Quin etiam gratias omni iure agimus Deo pro his ipsis tam fragrantibus & gratam de Deo famam spargentibus probationibus, quas ex artium singularum visceribus noster Melanchthon eruit. Exempla demonstrationis illustria sunt.

Quicqd mouetur circulariter, finitũ est.
Cœlum mouetur circulariter.
Cœlum igitur finitum est.

Sumtum est hoc exemplum ex primo Aristotelis de cœlo. Sic enim ibi demonstrat Aristoteles: omne corpus quod fertur in orbẽ, est finitum. Alioqui enim ferri in orbem quonam modo posset? At cœlum

fertur in orbem. Cœlum igitur finitum esse necesse est.

Aliud ex octauo Physicorum. In causis essentialiter ordinatis, impossibile est progredi in infinitum. Sed in natura sunt essentialiter ordinatæ caussæ mouentes & motæ. Natura igitur postulat, vt in vna prima caussa resistatur, quæ infinitam habet potentiam. Vel vt Aristotelis vtar verbis: φανερὸν ἐκ τούτων, ὅτι ἀναγκὴ, εἶναί τι ἓν καὶ ἀΐδιον τὸ πρῶτον κινοῦν.

In doctrina morali demonstratio firma est. Omnes res in natura sunt conditæ propter aliquam finem siue vsum quod toties inculcat Aristoteles. Homo est res nobilissima & præcipua in rerum natura. Homo igitur ad certum finem est conditus. Hoc vestibulum seu fundamentum est doctrinæ de moribus & vita. In ipsa verò Ethica demonstrationes complures à Melanchthone expositæ & illusttatæ sunt.

Proprijssima actio est finis cuiuslibet naturæ.

Virtus est actio| proprijssima hominis, non voluptas.

Virtus igitur est finis hominis, non voluptas.

Docuit porrò Melanchthon virtutum

quoq;

quoque esse demonstrationes, quando videlicet medium est definitio. Cuiusmodi est: Intellectus iustitiæ est natura mentibus insitus ac, necessarius Fortitudo est propugnatrix iustitiæ contra vim iniustam. Ergo fortitudo lege naturæ est necessaria. In physicis quoque elementorum numerus quaternarius ex demonstratione euidenter euincitur, ἅπαντα τρέφεται τοῖς αὐτοῖς, ἐξ ὧν περ εἰσὶν. At experientia ostendit, quatuor elementis corpora nostra nutriri. Ergo ex totidem etiam elementis ea nasci atque cõstare necesse est. Hæc exempla monstrant vestigia Dei artium doctrinæ impressa, & de certitudine in disciplinis testimonium dicunt. Et sanè nisi demonstrationes aliquæ essent, nulla scientia, nulla ars certa, nulla denique propositio necessaria existeret. Atqui cum sit scientia, cùm sit artium certitudo aliqua, cum quoque propositiones quædam rectè appellentur necessariæ propter materiam necessariam & immotam: Concedendum sanè est, etiam demonstrationes aliquas in artibus reperiri: Cùm verissimum sit quod Aristoteles in sexto Ethicorum cap. 6, ait, Quicquid scitur, id demonstratione comparatur.

Non ſinit reliqua perſequi, aut oratione percurrere præſens hoc tempus, in quod me incluſi. Hæc autem quæ recenſui, eò ſpectant potiſsimum, vt diſcẽtium animi inflammentur ad amorem ſimplicis veritatis in Dialectica Philippi & muniantur contra eos, qui in tanta copia libellorum logicorum minus æquè de ea iudicant: ſed vel nouitatis ſtudio eò impelluntur, vt extenuare illam opinione & verbis incipiant, vel prorſus de manibus. deponant. Quod hoſti noſtro communi in optatis eſt maxime, vt videlicet nos à luce & ſimplicitate doctrinæ auellat, & ſophiſticen barbariemque priſtinam in ſcholas reportet, tum vt diſtractiones ſectaſque efficiat tales, quales ſuperioribus ſeculis in ſcholis regnarunt: cùm alij Scotiſtæ, alij Thomiſtæ, & hi quidem nominales, illi verò reales fuerunt dicti. Quorum inanem contentionem nemo ſanus non deridet. Quod enim in Eccleſia molitur Sathanas, vt diuerſas & diſſentientes inter ſe de religione ſuſcitet, id in ſcholis quoque efficere conatur, vt de contemtum vſitatè & ipſo vſu exploratæ & cognitæ doctrinæ logices pariat, & nouas opiniones tanquam μῆλον ἔριδος, ſiue ſeminarium diſsidiorum & diſtra-

diſtractionum diſcentibus obijciat, atque inſtillet. Huius igitur inſidias vitandas ſibi eſſe omni cura & contentione ſciant diſcentes, nec ſapientiam aut doctrinam veram ἐν ἀκριβολογίαις καὶ λεπτολογίαις ſitam eſſe arbitrentur, neque etiam in ſtudio omnia contrarijs ſententijs conturbandi, aut labefactandi vt Sophiſta in nebulis Ariſtophanis ait, eam quærant, ſed in ſimplicitate potius quæ dulcis nutricula eſt veritatis, comprehendi: penitus ſibi perſuadeant.

Lætamur non immerito luce artium & literarum per Melanchthonem accenſa in his ſcholis, & gratiam Deo habemus, quod ſophiſticen & barbariem per ſalutaria ſua orgna exploſit. Quid eſt igitur theſaurum tantum nobis relictum atq; creditum cuſtodire non velle? Certè amentia eſt extrema & peruerſitas indigna noſtra profeſſione. Retinet hoc decus eximium in hunc vſque diem Vuitenbergenſis Academia, dum traditam à Philippo doctrinam bona fide explicat & inculcat, ac cum fontibus eruditè confert. Inde non dici poteſt, quanta bona proueniant. Allicit, vt nihil aliud dicam, ſtudioſos

attra-

attrahit, detinet, erudit, & ad vſus neceſſarios in Eccceſia & Republica præparat. Inde non immeritò fit, vt copioſior non ſit Academia in Germania, quàm hæc ipſa, quæ Melanchthonis doctrinam perpetuò ſonat & conſtanter propagat. Nec dubium eſt eam à Deo ipſo amari & ornari, vt dum cæteræ Academiæ imminuuntur, hæc amplitudine, gloria, laude, ac honoribus amplificetur.

Oratio XXIII.

DE ORDINE, VERITATE & vſu in hiſtoriarum lectione ſpectando, Anno Chriſti 1582.

DE hiſtoriarum profeſsione in exorſu paucula commonendorum ſtudioſorum cauſa dicturus, non aliunde, quàm ab ipſa hiſtoria initium capiam. Tanta enim eſt artis hiſtoricæ magnitudo, vt ipſa per ſe ſatis ſeſe commendet, nec externis floribus aut coloribus vllis indigeat. Quamobrem poſthabitis omnibus, totum me in argumenti ſuſcepti expoſitione collocabo. Eſt autem propoſitum mihi, de tribus hiſce

capitibus commonefacere ſtudioſos, primùm de Ordine, deinde, de eVritate, tùm de vſu in hiſtoriarum lectione ſpectando. Quæ cùm ad commodum vtilitatemq́ue diſcentium omnia referantus: ſpero, abſq; cohortatione mea, attentis animis ea ſtudioſos eſſe excepturos. Quod ſi fecerint, rerum huius mundi, quem incolimus, non ſolùm primordiæ, ſed progreſsiones etiam, incrementa, in tot regna diuiſiones, varias formas, ætates, & declinationes ſiue ruinas aliquo modo cognoſcent.

Deinde cùm tot extent hiſtoriarum ſcriptores, quid de ſingulis, vel certè præcipuis ſentiendum ſit, ſcire & vtile eſt, & neceſſarium. Non enim omnium eadem eſt fides, nõ par autoritas, non æqualis dignitas. Hîc igitur limatulo, ac politulo iudicio opus eſt. Tùm, cùm operæ & ſtudij non parũ hiſtoriarũ lectio deſideret, noſſe profectò cõuenit, numquid operæ preciũ ſit, tantùm laboris & induſtriæ in earum cognitione ponere? Diligenter itaq; de vſu hiſtoricę lectionis præmonendi ſunt ſtudioſi, ne fortè nihil aut parum fructus inde percipi poſſe exiſtiment. De his igitur capitibus expoſitionem meam breuem, perſpicuam & euidenté accipite. Non certè ſpeciem aut pom

pam

pam in dicẽdo vllam adhibiturus sum, sed planè simpliciterque, quæ mihi proposui, pristino meo more persequar. Opus est enim in dicendo candore & simplicitate, vt capere possint animi juniorũ, quæ dicuntur, discantque adeò & ipsi ea, qui animi complexi sunt disertè, non obscurè, enunciare.

Vt autem ordo in rebus omnib. lumen præbet memoriæ: sic in historijs nihil est, quod plus adiumenti ad res pernoscendas afferat, quàm εὐταξία, id est, ordinis cõseruatio. Monstrat enim initia, progressum & finem, vt antecedentia, media, & exitus in vnaquaq; parte perspiciantur. Sic mundi quoq; historia suũ principium habet, cœpit tùm, quodcùm nihil esset vspiã, præter solũ & vnicũ Deum. Hoc principium Moses θεοῦ ὁ ἀριστης ad memoriam posteritatis prodidit: Aristoteles verò vehementer negauit. Sic enim ait Moses: in principio creauit Deus cœlum & terram, Aristoteles autem ingenti opinionis errore ἄναρχον, id est, absque principio mundum esse statuit, nec fidem Mosi asseueranti habuit, quod ipsum etiam Plinius, Galenus, & alij secuti sunt: ex quo in errores turpissimos prolapsi sunt. Plato ipse alioquin sapientissi-

mus

mus, in Atlantico ait, ante nouem millia annorum Athenienses bella gessisse. Et de Ægyptijs scribit Herodotus in Euterpe, quod crediderint, tot annorum millibus floruisse Ægyptum, vt in eo spacio temporis bis sint mutata loca ortus & occasus Solis, sic vt bis illinc exortus sit, vbi nunc oritur. Quin Cabalistæ etiam, Magister Israëlis, impudenter dicunt, duo-millia annorum præcessisse huius mundi, in quo nos sumus, initium, vt quidem Reuchlinus in arte Cabalistica tradit.

Etsi autem Græci & Latini incunabula & originem mundi non negant: tamen in supputatione annorum ab initio mundi vsq; ad diluuiũ, indeq; ad natum Messiam mirè discrepant ab Hebræis. Ex quo sanè dissentio doctissimorum hominum, & penè dixerim, luminum mundi, de mundi initio cognosci potest. Verùm nos hisce opinionibus tanquam deliramentis repudiatis, vnius scripturæ cœlestis ductum & autoritatem sequimur, & à principio mundi annos 5546. vsque ad hunc præsentem 84. numeramus. Ab hoc orsi pertexeimus historiam mundi & in partes sex distribuimus, secundum

sex

ſex millenarios, quibus duraturã eſſe hanc mundi machinam credidit antiquitas.

Sic enim Iudæi in Sanhedrim ex traditione Rabini cuiuſdam Eliæ ſcriptum habent: Sex millibus annorũ durabit mundus: duobus millibus durabit vaſtitas: duobus millibus lex, duob. millibus dies Meſſiæ. Hanc partitionẽ mundi retinebimus, & quæ memorabilia, eximia, ἀξιομνημόνευτα καὶ ἐξαίρετα in quaque parte acciderint, tanquam notas recenſebimus.

Primis duobus millenarijs fuit vaſtitas. Quid? inquies, nũ vaſtus adeò fuit ab initio mundus, talisq́ue annis compluribus quàm quot ſunt à nato Meſsia ad noſtram ætatem, permanſit? Hic D. Lutheri omnium maximè concinnam & luculentam interpretationem audite. Sic inquit ille: Vocatur primùm illud tempus mundi tohu, id eſt, vacuum vel inane, ſiue etiam vaſtitas, quòd non lex, nec libri, ſed viui fuerunt ſermones per Patres ad poſteros traditi. Vnde Cabala eſt appellata traditio iſta, quæ Græcis eſt ἀκρόαμα, id eſt ſcientia auditione comparata. Non enim licebat Cabalam docere aliter quàm viua voce. Ex quo intelligitis, primo illo mundi tempore extitiſſe homines non corporibus

bus solùm robustiores & saniores, sed intelligentia etiam & memoria præstantiores: vt doctrinam de Deo & artibus bonis, non perscripta, sed viua voce inter se communicauerint & custodierint. Sequentibus ætatibus mundus cœpit sensim labefactari & diminui. Ex quo etiam intelligentia ipsa hominũ & sensus cæteri languidiores sunt facti. Itaq; quærere oportuit subsidia & adminicula memoriæ ac cæperunt scribi tot libri siue volumina, vt vix capere mundus potuisse videatur. Nam vt de alijs nihil dicã, solus Salomon, testè Iosepho lib. 8. τῆς ἀρχαιολογίας; composuit volumina Carminũ & Canticorũ circiter quinquies mille, & sententiarũ atq; imaginum libros ter mille. Hæc altiùs considerare pium est & vtile, vt quò redacti simus, & quàm miserè de spacio curriculoq; maiorum deflexerit hæc natura siue ætas nostra, agnoscamus. Hoc tempore librorũ ingens est multitudo, quæ ipsa nos admonet de imbecillitate nostra, quæ facit, vt nunc tanto studio atq; sudore cogamur ex libris discere, quæ maiores viuis sermonibus inter sese tradebant. Alij aliter hanc primi temporis mundi inanitatem interpretantur, videlicet de hominum, vrbium, legum

gum ciuilium, & patefactionum diuinarum paucitate. Quod consentaneum sit, nondum tunc tantam fuisse populorum frequentiam, non oppidorum multitudinem, non legem copiam, necdum etiam ad familiam & politiam certam, obligatam fuisse de nasciturо Messia promissionem. Incipit autem primus millenarius à condito mundo, & in Henochi translatione in cœlestem consuetudinem desinit. Hunc enim terminum, tanquam notam primi millenarij placet constituere, memoriæ caussa. Nam tamesi tredecim anni desunt millenario, tunc, cùm Henochus viuus in cœlum receptus est: tamen causa certa est cur de singulis millenarijs aliquid decedere Deus voluerit: quia finem facere properat.

Quæ porrò fuerunt res gestæ in hoc primo millenario? Facta præcipua sunt primum lapsus & restitutio gentis humanæ in integrum, per promissum Messiá moriturum pro peccatis mundi. Secundum, propagatio generis humani. Tertium, cædes miseranda Abelis, facta à Caino fratre. Quartum, distractio horrenda Ecclesiæ in duas sectas siue familias dispares prorsus, & immani odio disidentes,

vnam Adami, alteram Caini: quarum illa, Adami ſcilicet, veram doctrinam de Deo, & pietatis ſtudium cultumque retinuit: hæc verò idolomaniam & nouos cultus introduxit & propagauit, quæ ſeminarium fuerunt omnis idolatriæ, quæ tanquam diluuium aliquod in mundum inuaſit & latè diſperſa eſt. Vt autem Meſsias perpetuum bellum ſerpenti Diabolo indixit, ita ſanctis patribus etiam in hoc primo millenario confligendum & dimicandum fuit acerrimè cum Eccleſia Cainica, quæ ſuum regnum minis, cæde, tyrannide, fraude & furore ſtabilire & amplificare conata eſt. Interim tamen nihilominus nomen Domini inuocatum eſt, & propagata religio vera à ſanctis Patribus Adam, Seth, Enoch: donec Deus memorabili ad omnem poſteritatem atque illuſtri miraculo ſuam in Ecleſiam beneuolentiam atque amorem declarauit, & curriculum primi millenarij receptione Henochi in cœlum clauſit. Fuit itaq; huius primi millenarij gubernator Adam cum nepotibus ſuis, vſque ad ſeptimum nepotem Henochum.

Secundi millenarij lumen & moderator præcipuus fuit Noha, natus anno mun-

di 1056. cum filijs ſuis Iaphet, Sem & Ham, vſque ad Abrahamum. Acta huius millenarij maximè inſignia ſunt, primùm diluuium, quod priſco mundo vniuerſalem interitum attulit, dum anno ſpacio vaſtis vndis merſa omnia fluctuarunt, ſeruato ſolo Nohamo cum his, qui vnà in arcam ingreſsi erant. Secundò inſtauratio generis humani per Nohami filios, quorum vnus Iaphet ad has Occidẽtis ſiue Europæ regiones tranſijt: alius Sem ad Orientis loca migrauit: tertius verò Ham Meridionalem plagã occupauit. Tertiò Nimrod primus regnum in mundo incoauit, quæ Aſſyriorum Monarchia appellatur, ex qua alia regna, tanquam ſoboles, paſsim nata ſunt.

Tertij millenarij præſes fuit Abraham cum ſuis poſteris vſq; ad natiuitatem Eliæ. Eſt autem natus Abraham anno mundi 1949. ſed circa annũ mundi 2020. demùm vocatus à Deo ex Vr Chaldeorum, emerſit è tenebris, & in luce Eccleſiæ verſari cœpit. In hoc potiſsimùm elucet promiſsio Meſſiæ, ex ſemine ſeu poſteris Abrahami naſcituri. Secundò, continua ſucceſsio Patrum in Eccleſia, Abrahami, Iſaaci, Iacobi, Ioſephi, Moſi, Ioſuæ. Tertiò ſeries Iudicum. Qartò, regnum Saulis & Dauidis. Extra

Ec-

Ecclesiam verò floruerunt & dominati sunt latè Assyriorum reges & aliæ gentes. Incidit in hunc millenarium quoque Argonautarum expeditio in Cholchidem, bellum Troianum & regnũ Latinorum. Dominata est autem & sonuit in hoc millenario lex, quia Abrahamo circumcisio mandata est, & promisio de certa sede facta. Per Mosen verò lex in monte Sina inter tonitrua & fulgura, audiẽtibus sexcentis millibus virorum, promulgata est, anno mundi 2454.

Quarti millenarij dux fuit Elias Propheta cum regibus & ducibus, vsque ad Christum Regem Regum & dominantium Dominum. In hoc non solùm Prophetæ in Ecclesia floruerunt, sed extra Ecclesiam duæ Monarchiæ Persarum & Græcorum extiterunt, tum regna & Respub. potentes viguerunt, bellaque plurima inter Asiaticos, Græcos, Afros & Romanos gesta sunt. In Iudæa regnum destructum & populus in exiliũ Babylonicum proiectus est, tandemq; expletis septuaginta annis in patriam redijt, & templum vrbemq; Ierosolymam instaurauit, vt nascentem exciperet Mesiam. Affluxit etiam hic millenarius liberalissimis studijs, & eruditissi-

mis Philosophis, Oratoribus & Poëtis, passim in Ægypto, Græcia & Italia.

Quintum millenarium rexit ipse Christus æterni Dei æternus filius, totius mundi Dominus & Seruator. Est autem natus Messias anno mundi 3970. nondum scilicet completo, aut finito millenario quarto. Causa eadem est cum ea, quàm suprà exposui: quia Deus anteuertit, & finem facere cupit. In hoc Ecclesia per Christum, Apostolos, & eorum successores dispersa est totum terrarum orbem, facto Euangelij præconio in cunctis gentibus de gratuita remissione peccatorum, iustitia, salute, & vita per Christum natum, mortuum & resuscitatum pro peccatis mundi, accipienda. Extra Ecclesiam verò potentissima fuit Monarchia Romana, quæ totum terrarum orbem complexa est. Acriter quoque impugnata est doctrina Euangelij, & innumerabilis multitudo martyrum, profuso sanguine pro veritatis confessione, facta est. Exorta est hæreticorum turba ingens, qui dogmatibus varijs turbârunt & lacerârunt Ecclesiã, in erroremq; abduxerũt Christianos. Incidit in hunc millenariũ Imperij Romani in Occidente ruina, & Episcopatus Romani conuersio in Papatum,

tum, per quam lux doctrinæ veræ horribiliter obscurata est, & Mahometus dominari cœpit. Longo interuallo post in Occidente Imperij dignitas per Carolum Magnum recuperata est, tandemque à Francis ad Saxones translata. Desinit autem millenarius quintus in Ottone tertio, qui dictus est mirabilia mundi. Et verè etiam mirificum fuit illius curriculum. Nam prodigia multa acciderunt, terra concussa est & tremuit, cometa illuxit, cœlum discessit, & ex fissura quædam facula instar fulguri in longo cœli tractu ingenti splendore emicuit, & homines in terris perstrinxit. Ea verò sensim euanescente serpentis species in cœlo apparuit, cuius caput & pedes cœrulei inspectantibus hominibus creuerunt.

Superest millenarius sextus. In quo Ecclesiæ status mirè fuit corruptus Pontificia idolomania, & per Saracenos atque Turcas diminutũ est Imperium Rom. Sub istis tamen tenebris scintillæ quædã lucis remãserunt in aliquibus, qui Põtificiæ idolatriæ reclamârunt. Intestinis quoq; dissentionibus miserè quassatũ est imperium, & sedes imperij in Oriente à Turcis occupata est. Literæ ex Græcia in Italiam & Galliã tan-

quam in exiliũ, profugerunt, indeq; in Germaniá propagatæ sunt. Hinc excitati multi præstantes viri Academias & scholas locupletârunt. Lutherus & Melanch. doctrinam Ecclesiæ repurgârunt, & vniuersa artiũ & literarum doctrina illustrata est. In huius millenarij postremo curriculo nos viuimus: & quamuis multis adhuc annis à fine suo is absit: tamen finem in dies singulos, & momentis cunctis expectamus ac desideramus. Deus enim abrumpet filum mundi vt in æterna tabernacula cœlestis cõsuetudinis suos Christianos, luctu, squalore & gemitu propè enectos, recipiat. Cuius rei coniecturã capere facilè ex mundo ipso & singulis eius partibus possumus. Est n. mundus hic similis corpori senili & labascẽti, immò Sol ipse demittit sese, & natura tota tantùm non edita voce gemiscit, & finẽ liberationemq; à vanitate, cui subiecta est, expetit. Plato in Philebo recitat Orphei versum: ἕκτῃ δ' ἐν γενεῇ κόσμον καταπαύσατ' ἀοιδῆς, in sexta generatione finite ornatum cantus. Quem etsi Plato in aliũ sensum transfert: tamen haud alienum fortè fuerit à veritate, ad mundi ætatem siue millenarium sextum accommodare: vt sit scientia Orphei, fore vt in se-

xto

xto millenario mundus ſuum ornatum amittat, & omnia deſinant.

Hic ordo eſt, hæc ſeries temporum & rerum præcipuarum mundi in ſex millenarios diſtributa, quam animis comprehendere atque tenere ſtudioſi debent, vt tanquam conſignatã in mentibus notionem habeant totius curriculi mundi, & quo quæq; res mundi millenario acciderit, meminiſſe poſsint.

Agè porrò ex quibus autoribus, & quo modo iſtorum ſex millenariorum hiſtoria continua contexi poteſt? Duorum millenariorum & dimidij tertij res geſtas deſcripſit Moſes in Penteteucho, nempe ab initio mundi vſq; ad ſuam mortem, quod eſt interuallum annorum 2493. Deinde Ioſuæ Iudicum & Regum libri complectuntur hiſtoriã 892. annorum, vſq; ad excidium Ieroſolymitanum, & captiuitatem Babylonicam, quæ incidit in annum mundi 3365. Tot igitur annorum geſta continet hiſtoria ſacra ſiue Prophetica, videlicet, millenariorum trium & amplius, ab initio mundi vſq; ad Monarchiã Perſicam. Hiſtoriam porrò Prophetarũ excipit & continuat hiſtoria Herodoti, quæ annorũ 240. ſeriem deſcribit, à Gyge, Lydorum Rege,

vsq; ad Xerxis fugã in Græcia Herodotum è vestigio sequitur Thucydides, cuius historia belli Peloponnesiaci annos cõprehendit septuaginta. Vbi autem historia Thucydidis desinit, ibi Xenophontis narratio de rebus Græcorũ per annos 44. incipit. Ita pertexitur historia mundi vsq; ad annum 3610. Quæ post acciderunt, exponit decimus sextus liber & consequens Diodori Siculi de rebus Philippi Macedonis, Alexandri Magni, & successorũ eius. Hunc sequitur Liuij historia vsq; ad Augustũ, & penè ad natũ Christum. Sic complentur fermè millenarij 4. A nato verò Christo historiam rerum in Ecclesia & Repub. gestarum luculentè persecuti sunt scriptores Ecclesiastici & profani multi, quos iã recensere nimis longum foret. Quocirca hæc de ordine historiæ mundi satis sit monuisse.

Superest, vt de veritate historiarũ multò pauciùs disseram. Certæ leges sunt historiæ præscriptæ vt ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ aut maleuolentiæ sit. Et notũ est discrimen hoc: Historia verò sequitur, Oratoria veri simile, Poësis fictum, de quo Ouidius:

Exit in immensum fœcunda licentia Vatum:
Obligat historica nec sua verba fide.

Ha-

Habet autem historia nomen ab inspectione seu intuitu rerum, quas narrat: vt sic expositio eius, quod probè exploratum & cognitum habemus. Veruntamen nõ eadem est omnium historiarum fides. Moses quidem & Prophetæ cæteri testimoniũ habent omni exceptione maius, quòd nihil falsi scripserint. Eadẽ est autoritas reliquorum historicorum librorum, quos Biblia sancta continent. Narrant enim simpliciter & fide minimè suspecta, bona pariter & mala facta, præmia & pœnas benè vel secus factorũ. Nec vllo metu aut assentatione reticent vitia, lapsus & peccata sanctorum Patrum, Regum, & aliorum piorum in populo Dei. Et rectè quidem. Multò enim ad consolandũ efficaciores sunt næui, errata & infirmitates sanctorum, quàm præclara illorum facinora & virtutes. Tum vt rectè factis maiorum ad imitationem incitantur posteri: Sic prauè dictis & factis eorundem exterrentur, vt turpitudinem refugere & infamiam vitare incipiant. Sola igitur historia sacra ἀξιόπιστος est, & omnis dubitationis expers, dum τῇ ἀληθείᾳ μόνῃ, vt ille inquit, θύει soli veritati sacrificat. Reliquos historicos secundum leges præscriptas examinari necesse est.

Etsi

Etsi enim consentaneũ est, quemq; quantũ conniti ingenio, & assequi labore atque industria potuit, veritatem inquisiuisse & explorâsse in historiæ scriptione: tamen falsa pro veris, probabilia pro certis arripere admodum procliue est. Thucydides quidem suam scripturus historiã milites mercede sua conductos habuit in vtroq; exercitu, hostili & amico, à quibus verã narrationem omnium, quæ susciperentur, deliberarentur, aut gererentur acciperet. Laudanda est magnopere hæc eius industria & cura veritatis explorandæ. Non enim vni parti fidẽ habere, sed alteram quoq; audire voluit. Xenophon etiam ipse cum Cyro militauit, vt omnium, quæ fierent, αὐτόπτης siue inspector esset. Polybius verò Scipionis Æmiliani in Punico bello tertio comes indiuiduus fuit. Ait enim lib. 3. se plurimarum rerum in isto bello gestarum nõ inspectorem tantùm, sed adiutorem etiam & administratorem fuisse. Ac de Thucidide quidem, Polybio & Liuio, minùs est dubitandum, quin veram omni ex parte historiam literis mandârint. Quorum in numerum etiam Iulium Cæsarem adscribo, vtpote qui rebus ijs, quas descripsit, ipse non solùm interfuit, sed etiam præfuit.

Item

Item Dionem Nicæum, qui toties affirmat, ſe ea quæ de Commodo, & quibuſdam alijs Imperatoribus Rom. narrat, non ab alijs fama & auditione accepiſſe, ſed coram ſpectâſſe, audiuiſſe, & comperta habere. Socrates lib. 5. hiſtoricæ Eccleſiaſt. cap. 19. ait: πᾶσαν σπουδὴν παρ᾽ ἑκάστου τῶν εἰδότων ἔθεμεν μανθάνειν τὰ πράγματα, καὶ ἀκριβῶς ἐρευνᾶν, ἵνα μὴ ἔξω τῆς ἀληθείας τι γράψοιμεν. Sed de Xenophonte nō ſatis certum eſt, vtpote qui κύρου παιδείᾳ ornare magis Cyrum quàm hiſtoriæ fidem ſequi voluerit. Herodotum quoq; in ſuſpicione ponit Strabo, quaſi non hiſtoriam veram, ſed fabuloſam ſcripſerit. Laude etiam digna eſt Suetonij integritas, qui næuos, ſcelera & flagitia ſuorum Principum non minùs quàm virtutes, & rectè facta, fide minimè ſuſpecta memoriæ prodidit. Ex animo meo nunquam effluit vox Chriſtophori Carolouitij, eius qui ſapiens, qui eruditus à pleriſq; habebatur & cognominabatur. Is quoties mentio Sleidani commentariorū incidebat, ferè cum gemitu quodam multa aliter commemorabat, quàm ſcriptor ille expoſuit, affirmabatque, ſe non ſolùm interfuiſſe pleriſque con-

conuentibus imperij, & priuatis communibusque consultationibus, actionibus, & decretis sed nonnullis etiam præfuisse: vt fidem mereri ipsius oratio omni iure videretur. Sic igitur de Sleidano dicebat, tanquam Epiphonemate quodam narrationem claudens: Sleidani historia adimit mihi fidem omnium superiorum historiarum. Quod bono tamen studio à me commemoratum existiment studiosi, non vlla calumniandi libidine, aut cupiditate detrahendi aliquid de autoritate Sleidani optimè de Republica literaria meriti.

Sic autem se res habet τὰ εὔφημα de se dici & scribi omnes facilè patiuntur, sed vitia, errata, & facinora si attingas, seu proferas, vix capitis periculum & vitæ discrimen euitaueris. Hinc adeò fieri solet, vt periculosum sit historiam scribere, & satiùs sit multò hisce moribus tacere: ne dum pulcra forâs vertimus, deformia verò occultamus, turpissimum adulationis crimen subeamus. Sola historia Prophetica idcircò pro vera est habenda, quia tàm vitia, quàm virtutes recitat, nullius existimationi aut famæ parcens sed pro re nata historiæ cursum exequens. Pro tanta luce veritatis gratias agere Deo debemus

&vel

& vel nihil ſcribere, dicereuè, vel verum dicere & ſcribere, adulationem verò ſummo ſtudio declinare. Nullus mortalium eſt abſq; næuis & peccatis. Nec eſt ſanctus in terris, cuius non plura ſint delicta & crimina, quàm benefacta. Quanta igitur eſt peruerſitas, bona tantùm prædicare, mala verò vel excuſare, vel tegere prorſus velle?

Monachi perniciosiſsimè errârunt in hoc genere, qui nō niſi virtutes ſanctorū extulerunt, vel potius finxerunt, infirmitates verò & lapſus horrendos ſilentio præterierunt. Hoc non eſt hiſtoriam, ſed fabulam, vel mendacium potiùs ſcribere. Nec ad conſolandum peccatores facit, ſed ad deterrendum. Quid enim ſolatij ex eo capere poſſumus, quod imitari & aſſequi nobis impoſsibile eſſe experimur? Metamorphoſis hæc eſt Ouidianæ ſimilis, quia transformat hominis naturam miſeram & prauam in angelicum ſtatum à quo longiſsimè in hac imbecillitate abſumus. Ad ſummam, ne agam de ſingulis, nota veritatis hiſtoricæ illa eſt certiſsima, ſi bona ſimul & mala, ſimpliciter, abſque vllo metu cuiuſquam offenſionis, commemoret.

Scio

Scio Pontificiæ sectæ scriptores hoc nomine criminari nostros, quòd vitia Principum, statuum & doctorum dissimulent atq; prætereant. Sed haud video, an non eodem crimine condemnari à nobis ipsi multò rectiùs possint. Id quod vel ex solo Sturio cognosci potest. Suis enim tribuit omnia bona nõ quidẽ vt historicus, sed vt adulator Pontificius, nostris verò mala tantum.

Sed confero me ad tertiam institutæ orationis partem, & vtilitates historiæ strictim attingo. Primùm quidem historia, vt inquit Cicero, est testis temporum, *id est*, quid quoq; tẽpore mundi vsu venerit, aut factũ sit, prodit, & seriem rerũ factorumq; bonorũ & malorũ manifestat. Hoc quantum sit cõmodum facilè intelligitur. Quid enim est vsu vberius aut fructuosius, quàm in consilijs, & cogitationibus, institutisq; cæteris ex omni ætate, cunctisq; seculis testimonia atq; exempla eruere, & ante oculos proponere? Nec est quod putetis, studiosi, alienum à vobis esse hunc primũ historiæ vsum. Nemo vestrûm est, quin egeat huiusmodi temporum testimonijs ad se & res suas regendũ ac cõstituendũ: sæpe obstrepit inopia, sæpe aduersa fortuna, sæpenumero

alij

alij casus in vita incidunt. Hîc nisi exempla & testimonia ex historijs in conspectu & animo habeas, quibus te soleris aut confirmes, in errorem labaris, aut fluctues necesse est.

Secundò, historia est lux veritatis. Iam cogita, luce quid est formosius? quid carius? quid amabilius? Hæc enim illuminat obscura, & cuiusmodi sint, quid veri falsiúe, boni aut mali in se habeant, perspici posit. Debent itaq; studiosi ob hunc etiam vsum amare lectionem historiarum, quòd lumen affert omnibus obscuris & dubijs rebus. Ex quo sanè intelligitur, in luce versari, quicunque in historiarum lectione versantur: & contra in tenebris vagari & errare: quotquot historias vel ignorant vel aspernantur.

Tertiò, historia vocatur vita memoriæ, hoc est, custos & thesaurus memoriæ, quæ effluere ex animis siue memoria non sinit ea, quorum recordari vtile est. Reuocat enim nobis in memoriam historiarum lectio, quicquid antè actum est. Non est autem vlla expeditior, neq; promtior hominum gubernandorum ratio, quàm præteritarum rerum scientia, autore Polybio.

Quartò, historia etiam magistra vitæ

dicitur, quòd mores & actiones in vita regat. Cùm enim duæ sint viæ perueniendi ad sapientiam: vna propria experientia, altera consideratio alieni exempli: tutiùs est vtiq; ex alijs discere, quod sibi ex vsu sit. Nihil est autem, quod tàm erudire nos per aliena exempla posſit, quàm historia, vtpote quæ speculum est variorum consiliorum, actionum & euentuum in vita: vnde qui effectus ex quibus antegreſsis causis & actibus secuti sint, clarè conspicitur. Nec vox aut concio vlla efficacior est, quàm quæ exempla ante oculos ponit pœnarum vel præmiorum, quibus animus legentis ita incenditur atque feritur, vt vel lætitiæ, vel horroris motum inde percipiat. Fieri enim minimè potest, quin mens bona ex honestè factorum præmijs ad virtutis amorem incitetur, turpium verò facinorum exemplis atque pœnis ad odium fugamque vitiorum extimuletur. Tales motus qui non capit, leuis est prorsus, sicut in versibus dicitur:

Qui legit historias, nec mores inde gubernat,
Dixeris huic viui sanguinis esse nihil.

Iustus Ionas Iurisconsultus paulò ante

capitis

capitis supplicium, hoc distichon pronunciâsse fertur:

Quid iuuat innumeros scire atque euoluere casus?
Si facienda fugis, si fugienda facis.

Quintò, nominatur historia vetustatis nuncia, eò quòd veterum siue maiorum dicta & facta ἀξιομνημόνευτα recenseat & nota faciat.

Audistis, studiosi optimi, de ordine historiarum, cognouistis de veritate, & nunc postremo loco etiam de vtilitate. Quæ spero ad id profutura esse omnia, vt in animis vestris excitent amorem & curam audiendi enarrationem eorum autorum, qui historias grauiter politeque scripserunt. Ad quam cum præparare vos inprimis cupiam, ista præfari placuit. Et vt ordinem totum & præcipua capita vno quasi intuitu complecti possitis: Isagogen qualemcunque vobis tradam, quæ viam & progresionem in vniuersa historia mundi demonstret. Hoc tantùm vos moneo & hortor, studiosi, vt ne ipsi vobis desitis, sed in audiendo asiduos & frequentes vos præstetis. Ego quidem nihil prætermittam, sed quæ habeo,

quæq; ſcio, liberaliter fideliterq́; vobiſcum communicabo. Quod ſi ego meo, vos veſtro loco feceritis, dubium non eſt, quin fructus induſtriæ & vigilantiæ vberes diuturnosq́; cap turi ſimus.

Quod ſupereſt, Deum toto pectore oro, vt cùm totam Academiam, tùm meum etiam hunc in docendo conatum, veſtrum verò in audiendo & diſcendo ſtudium clementer regat & fortunet, vt grata ipſi faciamus, & nobis ſalutaria. Dixi.

Oratio XXIIII.

DE DISCIPLINA NOua & veteri, tam Domeſtica, quàm Scholaſtica.

Ad conſolandum erudiendumq́; parentes, præceptores & liberos.

Partes libri.

1. *De difficultate diſciplinæ huius temporis.*
2. *De exemplis diſciplinæ veteris.*
3. *De ſeueritate & laxitate diſciplinæ.*
4. *De præmijs diſciplinæ.*

PRI-

PRIMA PARS.

PHILIPPVM Melanchthonem dixiſſe aliquando accepimus ad Eraſmũ Sarcerium, tria eſſe opera difficilima, dicentis, regnantis, & parturientis. Quod quidem elogium tantum momenti atq; ponderis habet, vt qui illud negat, re & facto oſtendat, ſe neque legendis aliorum ſcriptis, neque vſu & experiundo aliquid profeciſſe. Etſi autem regnantis partes certiùs noruntilli, qui Imperia aut Reſpub. magnas gerunt: tamen difficultatem eius experiri ſuo quemque loco neceſſe eſt, qui modo munus regendi liberos, familiam, & pueros adoleſcentesq; in ſcholis ſuſtinet. Parturientis verò labores atq; dolores, quamuis muliebrem ſexum inſtituto ac mandato Dei propriè attingant: tamen cùm Paulum non pudeat affirmare, omnes res creatas vna ſuſpirare & parturire vſque ad hoc tempus: non abſurdum fortaſſe fuerit, parturientium dolores ad eos etiam transferre, qui magnitudine laborum oppreſsi, ingemiſcunt, & liberationem totis animis expectant. Quo in genere ſunt abſque dubio multi parentes pij atque Præceptores, qui laborando, mo-

nendo, castigando, docendoque ita franguntur atque fatigantur, vt velut suspirantes leuationem votis assiduis à Deo petant. Quid de dicentis officio arduo commemorem? Quis est, nisi audaculus indoctus & impudens, qui non statim in principio orationis exalbescat, difficultatem persuadendi considerans, iudiciaq; varia, & euentum ancipitem pertimescens? Fatendum est igitur, difficilima omnium opera esse, docere alios, regere & parere: & quidem separatim vnumquodq; istorum sudorem & vires infractas desiderat. Attamen difficilior multò est illorum conditio, qui dicentis simul & regentis munere funguntur. In quorum numero profectò sunt ij, qui vel domi liberos erudiunt & educant, vel in scholis adductos ad se pueros, dispares natura, moribus, studijs & voluntatibus, ad vnum pietatis doctrinæque cultum instituunt & assuefaciunt. Hi ergo, quia vtroque onere docentis & regentis, grauati sunt, verè molem Æthna monte grauiorem, in humeris suis baiulant. Hinc tot tamque graues querelæ docentium in scholis audiuntur, fitque adeò, vt è millibus vix vnus in hoc scholastico puluere perseueret, & vitam consumere

sumere suam in tam ardua militia velit. Franguntur enim plerique laboris ma- gnitudine, & deterrentur professionis a- speritate: ad quæ accedit etiam egestas & contemtus, qui velut comites è vesti- gio plerosque in scholis delitescentes con- sequuntur. Vt autem forti morbo, valens opponendum est remedium, nisi naturam ipsam velis succumbere: ita huic docen- tium querelæ iustæ & graui adhibendum est solatium efficax, quod & acerbitatem molestiæ leniat, & animos ad spem boni maioris exuscitet, quo labores perferant tolerantius, & ad finem propositum pro- perent contentiùs. Initio igitur de causis quæ augent disciplinæ puerorum diffi- cultatem, disseremus, deinde exempla maiorum nostrorum dispiciemus: tertiò disciplinæ seuerioris, & mollioris vsum considerabimus: tum de fructibus vtri- usque, bonæ & malæ disciplinæ: ea com- memorabimus, quæ & sustentare bonos in officio eruditionis & castigatio- nis, & terrere simul discipli- næ contemtores possint.

PRIMVM CAPVT: DE *difficultate disciplinæ huius temporis.*

AGE consideremus, quænam causæ tantæ difficultatis disciplinæ huius ætatis existant, tantosq; labores atq; molestias experiantur hodie omnes, qui iuniorum mores, vitam atq; studia moderantur. His enim causis perspectis atq; cognitis, Præceptores partim asperitatem sui muneris admirari desinent, partim ad labores suæ militiæ reddentur paratiores. Sic ergo statuamus, idque exploratum omnino ducamus, conflictandum esse Præceptori cum eiusmodi ingenijs, quæ bestijs ipsis vel paria sunt, vel certè non multò mansuetiora. Causæ in promtu sunt. Primum enim natura ipsa distortus & prauus est pueri animus: deinde accedit plerunq; educatio mollis & indulgentia vel patris vel matris vel vtriusque: tertiò suppeditant mala exempla, quibus velut contagio inficitur ac corrumpitur puerilis animus: quartò mundus totus in malo positus non nisi ad malum irritat: quintò Satanas ex professo disciplinæ hostis est, eamq; conturbat & labefactat: postremò

ætas

ætas mundi hæc vltima partim laxa, partim ad luxum Veneremq; propensa, modo non aduersa fronte repugnare disciplinæ videtur. Tot ferè sunt, tamq; potentes disciplinæ veræ hostes, cum quibus congredi atque luctari Præceptores oportet. Hos cognoscere nos decet accurratiùs, vt feliciùs confligere cum illis posimus.

DE PRIMO IMPEDIMENTO seu hoste disciplinæ: Natura ipsa.

INgens est cordis humani prauitas, incredibilis contumacia, quam nõ tantùm discimus, vsuq; corroboramus & augemus; verùm ex natura ipsa arripimus, haurimus & exprimimus, & ad quam non tam instituimur, quàm nascimur & imbuimur, vt disciplinæ vincula fugiamus, & liberè impuneque quiduis agere pro animi libidine cupiamus. Quis enim est omnium, qui non ferri cæco & temerario animi impetu malit, quàm si regi flectiq; ab alijs pati? Documenta huius malitiæ suæ satis expressa dat ipsa natura cuiusq; pueri, statim initio, cùm asperum se præbet & contumacem castigantibus, & vel voce vel

vultu ac gestibus ostendit, se vel ferre nolle, vel certè animo inuito, & repugnante natura correctionem admittere. Causa in diuinis scripturis luculentè exposita est. Circumferimus enim in cordibus nostris fontem contumaciæ, ipsam ingenitam prauitatem & peruersitatem. Quæ sanè Deum conditorem ipsum sic permouit, vt pœnituerit ipsum fabricationis hominis. Referti etiam sunt Philosophorum libri querelis de innata homini malitia. Nam & Plato lib. 7. de Legibus ait, puerum esse omni bestia intractabiliorem: item, insidiosissimum, acerrimum & petulantissimum omnium bestiarum, ideoque multis quasi frenis vinciendum esse. Et Aristoteles: 1. politicorum: Puer, inquit, nisi legibus & iure coërceatur, omnium animalium pessimus est. Scimus autem quorundam animalium feritatem esse insignem, vt leonis, vrsi & similium: & his tamen ferociorem esse puerorum naturam, hi summa autoritate Philosophi asseuerant. Quid igitur? Hyperbolen esse in his eorum sententijs putabimus: Res vtrunque nos fateri coget, & esse horribilem pertinaciam in animo puerili: & ipsam pueri naturam, nisi cura & assuefa-

ctione

ctione cicuretur, à beſtiarum feritate parum differre. Exemplum vnum recitabo, quod in Chronico Erphordiano extat, de infante, in quodam Heſsiæ pago, parentum negligentia amiſſo: quem cum diu requiſiuiſſent, non tamen reperire vllo ſtudio potuerunt. Fuit autem locus ille frequens hortis & arboribus, nec à nemore procul remotus, vnde excurrere lupi crebrò conſueuerunt. Aliquando inter alios lupos in hortis oberrantes, conſpectum fuit animal, non planè lupi ſpeciem referens, nec pari celeritate cum cæteris ſepes hortorum tranſiliens. Id cum ſæpius cum quadam admiratione intuiti eſſent incolæ, & ſubeſſe aliquid, ſuſpicarentur, tandem ad præfectum loci retulerunt, qui mox ipſi Landgrauio indicauit. Is verò capi quocunque modo animal iuſsit, & ad ſe adduci. Sic captum inter medios lupos quadrupes illud, nihil niſi feritatem ſpirauit, & in aulam inductum ſtatim ſub ſcamno ſeſe occuluit, ſibilum edens, beſtiæ quàm homini ſimiliorē. Nonnulla tamen interim lineamenta humanæ effigiei, licet obſcura, comparebant. Datum eſt igitur à principe mandatum, vt aleretur aliquandiu inter homines, donec cognoſci natura

tura

tura eius penitus posset. Hic dum cura & assuefactio diligens adhiberetur, paulatim mitescere animal, & erecto incedere cœpit corpore, donec loqui etiam humana voce didicit, remque omnem, quantum quidem meminisse poterat, commemorauit, quomodo inter lupos vixisset in antro, vbi meliorem semper prædæ partem lupi sibi dedissent, & benignè fouissent. Hactenus Chronicon: de fide statuat pro suo quisque arbitratu. Certè congruit exemplum cum descriptionibus Platonis & Aristotelis, qui consentientibus sententijs bestia deteriorem puerum esse dicunt, nisi diligenti cura & industria à teneris, vt aiunt, vnguiculis, ad humanitatem flectatur. Etsi autem nequaquam è natura hominis tollo rationem & orationem, quibus homo bestias omnes longè superat, tamen hæ ipsæ dotes, nisi studio educationis suscitentur & conformentur, velut ignis in silice latent. Quocirca cum natura ipsa pugnare necesse est Præceptores, qui à feritate ad moderationem pueros traducere conantur. Naturam verò voce innatam prauitatem & disciplinæ odium, quod ex animis euellere & extirpare, táquam sentes ex agro, quem excolere volumus, opor-

oportet. Nec labor exiguus est, naturam sic immutare, vt feritatem exuat, & modestiam morum imbibat, vt alia prorsus facta esse videatur, nec agnoscas eandem. Hoc opus, hic labor est: in hoc contendere omnes neruos oportet Præceptorem, vt in hac militia fidum, constantem & infractum se præbeat. Impedimenta multa sese offerunt, & aduersitates validæ occurrunt. Resistit puer, responsat, tergiuersatur: emendationem pollicetur, probitatem simulat, ad ingenium tamen redit. Natura enim, quamuis expellatur furca, vsque tamen recurret, secundum Poëtam. Sed contra Præceptor acriter instabit, nec monendo, increpando, castigando, retrahendoq; fatigabitur, donec moderatior puer esse incipiat. At si quidem correctio aliqua naturæ apparuerit, bonum certamen se certasse existimet, gratum inprimis DEO, & salutare humano generi: sin minus, suo tamen officio perfunctus, conscientia recta sese sustentare poterit.

Quorundam etiam ea est ingenij tarditas, linguæq; stupor, atque debilitas, vt natura ipsa respuere omnem disciplinam videatur. Hoc vitium naturæ corrigere magni laboris est: & tamen tentanda est cor-

rectio, & quod natura denegare videtur; id aſsiduitate ſtudij penſandum eſt. Non enim decet, à diſciplina ſtatim arcere puerum, quòd doctrinæ non admodum ſit capax: ſed aſſuefactione accurata frangere & emendare naturam oportet. De Socrate etenim accepimus, quòd & ipſe ſtupidus, tardus ac mulieroſus fuerit natura: & tamen ſic compreſſum & edomitum eſt eius ingenium, vt factus ſit ſapientiſsimus. Studio opus eſt frequente & aſsiduo, vt crebris repetitionibus & iterationibus inculcetur doctrina, donec adhæreſcat animo, & radices agat. Non enim alio remedio iſta naturæ labes elui aut deleri ex animo poteſt, quàm aſsiduitate precum, & laboris diligentia.

DE SECVNDO IMPEDImento diſciplinæ, indulgentia parentum.

Naturæ prauitatem excipit educatio mollis, alterum diſciplinæ impedimentum atque incommodum. Etſi enim multi parentes inueniuntur, quibus recta liberorum educatio magnæ curæ eſt: pauci tamen ſunt, quos non poſsis in ali-

qua

qua parte cernere suffenos. Vel enim indulgentior est pater natura, vel alias ob curas & occupationes negligentior: vel mater laxas dat habenas liberis, si non natura, quod plerunque fit, tamen opinione, seu metu duritatis & seueritatis patris, propter quam occultat filiorum flagitia, ne qua rescis cat pater, & duriùs flagellet liberos, aut per iram faciat aliquid, cuius pœnitere illum oporteat. Poëta quidem accusat patres hoc versu:

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Attamen maior plerunque est culpa matrum, quarũ animi vt molliores sunt, ita natura propensiores sunt in filios.

Nec sanè vituperanda est talis propensio, nisi tractatio mollior, flagitiorumque occultatio, aut excusatio puerum eneruet, &, secundum Comicum, ægrotum eius animum ad deteriorem partem applicet. Omnino amoris ea vis est, vt occæcet amantem, ne cernat vitia in persona amata: vnde sanè fit, vt quæ mala sunt & acerba, pro bonis & dulcibus habeant & amplexentur amantes. Idem euenit matribus plerisq;, vt præ amore dissimulent filiorum næuos & errata, quæq; in alijs vituperant, ea in natis proprijs osculentur.

Iam

Iam quoquomodo vel imbuti, vel deprauati pueri delicata educatione domestica in scholam ad Præceptorem mittuntur, adferentes secum stirpem ac semen mali, imis præcordijs conceptum & nonnihil etiam indulgendo firmatum. Hoc euellere cum tentat Præceptor, indignatur puer, reluctatur, & iniuriam sibi fieri queritur. Ad parentes igitur recurrit, eosq; patronos sibi expetit. Hic si parentes inuenit indulgentes & blandos, quis locus disciplinæ est reliquus? At si Præceptori assentiuntur parentes, & vno animo atque ore correctionem filij quærunt, spes emendationis magna superest. Et tamen, *Deus bone*, quàm difficulter naturæ vicia exuuntur? & quàm ægrè id, quo semel imbutus est animus, eluitur? Hic pugna opus est & contentione non parua, vt mores, quos puer in scholam affert, vel mutet, vel corrigat. Diophantus, Themistoclis filius, domi sic à matre benigna assuefactus erat, vt quicquid vellet, idem vellet etiam mater. Ex hoc insolentior factus Diophãtus, etiam in schola pro sua libidine agere & agi voluit omnia. Tantum effecerat domestica matris educatio. Quamobrem seriò hoc optandum est, & expetendum vo-

tis

tis pijs atque aſsiduis, vt parentes non ſolùm domi non laxent habenas pueris, ſed ne poſtea quidem, cum in ſcholas miſsi ſunt, blandiantur eis: ſed vnà cum Præceptore idem velint, & operam dent, vt videlicet rectis moribus & ſtudijs puerilis informetur animus. Certè Præceptoris conditio in hac parte dura eſt & operoſa.

DE TERTIO DISCIplinæ impedimento, imitatione exempli.

Tertium diſciplinæ impedimentum eſt exemplorum copia, quæ vbiq; occurrunt puero, quocunq; aſpicit, aut ſeſe vertit. Domi ſimul atque ſentire incipit, auditione & viſu viciorum alimenta percipit. Falli parentes à familia intelligit, eandem artem ad imitandum ſibi proponit: occultari flagitia, & confictis mendacijs excuſari perſpicit, ad idem artificium ſeſe præparat: obſcœna audit, eadem loqui & ipſe geſtit. Foris diſcurſiones liberas puerorum cernit, ijſdem delectari ſtatim incipit. In ſchola nihil tam vicioſum eſt, quod, cum vſitatum ſit alijs, non exprimendum ſibi putet. Ita exemplis, vbique ob oculos poſi-

tis, repletur & irretitur animus pueri, vt non nisi labore magno ac difficili posit abduci. Quanta enim vis sit exemplorum in vtramque partem, bonam & malam, etiam in hac parte experiri Præceptor cogitur. Plus vtique valet apud puerum alterius exemplum, quàm scripta, vel in æs incisa regula: quodque exemplo se facere posse existimat, id iure fieri optimo arbitratur. Cum hac igitur consuetudine, tanquam cum tyranno, dimicandum est Præceptori, quamuis conflictu insuaui & laborioso. Nec facile est, hoc disciplinæ incõmodum sanare atq; tollere.

DE QVARTO DISCIPLINÆ HOSTE, MUNDO.

DE QVARTO DISCI-plinæ hoste, mundo.

Quartum impedimentum locus ipse affert contagiosus & pestilens. Iacet enim mundus totus, in quo hospites sumus, in malo. Nunquam mores, quos extuli, refero, inquit ille in fabula. Non parua igitur contagio, & lues ab ipso domicilio in animos puerorum peruadit. Vt enim Medeæ gypsatas manus effugere is, qui in sinu eius commoratur, haud facilè potest: ita mundi illecebras, voluptates & insidi-

as, quæ blandissimæ sunt dominæ, non facilè est puero vitare, qui in mundo versuto & fallaci versatur. Inde non dici potest, quantum animus puerilis corrumpatur. Qui enim in mundo est, mundanos mores vtique sibi imitandos putat. At, quinam sunt seculi huius mores? Praui omnino & peruersi. Talis igitur esse puer quilibet cupit, vt par esse alijs posit, nec propter morum suorum insolentiã contemnatur aut derideatur. Vestitum alij pro vicio seculi gerunt laxum & preciosum: eundem ipse sibi quoq; expetit. Fert labes huius seculi luxum, discursationes, lusus & licentiam immodicam: eandem ipse sibi quoq; sumit, nec legem sibi tenendam putat aliam. Denique numina alia neque agnoscit, neque credit, præter eã quæ mundum colere omni contentione perspicit. Quæ verò sunt illa?

Ambitiosus honos, & opes, & fœda voluptas:
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Ab his sese abstrahi multò molestius fert puer, quàm leæna sibi eripi patitur catulos. Quid? quòd parentes ipsi, prout nunc sese dant mores & tempora, metuunt liberis, ne auulsi ab his vsitatis mundi moribus, parum apti postea ad mores

 ciuiles

ciuiles in mundo reddantur. Vident enim, in numero nullo esse eos, nec rem facere posse, qui technas mundi non didicerint nec sese applicare ad homines, foroq; vti sciant. Itaque fit, vt versutos malint, quàm probos: negociatores, quàm doctos: audaces, quàm verecundos. Quid mirum: vox ea communis est multis: Non satis esse, probum esse in mundo, nisi cum probitate coniungatur astutia. Quod dici quidem posset absque impietate, nisi astutia requireretur, cum fraudandi studio copulata. Tot tamque speciosis corruptelarum mundi illecebris quomodo non irretiri animus pueri potest? Et tamen abstrahendus à talibus est puer: alioqui certè disciplinæ capax esse minimè poterit. Est igitur Præceptori in hac etiam parte propositum certamen arduum, quod sanè studium acre, & laborem, Herculis non dissimilem, desiderat. Quid enim tam operosum esse potest, quàm communem mundi morem oppugnare?

DE QVINTO DISCIPLINÆ impedimento siue hoste, Satana.

Graue infligitur disciplinæ vulnus à mun-

mundo: sed grauius à Satana, principe mundi. Is enim dedita opera in id incumbit, vt effractis omnibus disciplinæ, pudoris atque pietatis repagulis, liberè frena libidini & furori laxentur. Nec partem tantum vnã disciplinæ conatur labefactare, sed totam conuellere & è medio tollere studet. Deus bone, quas turbas dat scholis & œconomijs hic inuentor scelerum, fraudum Magister & Autor? Animum pueri ipsum, natura procliuem ad malitiam, incitare non desistit, priusquam in exitium præcipitet. Parentum amore profuso & lenitate vtitur sceleratè ad corrumpendos & perdendos liberos. Exempla praua ob oculos ponit, vt teneras mentes perstringat atque decipiat mundi voluptates, libidines, licentiam, & proteruos mores ostẽdat, vt suis illecebris imperitos capiant. & à disciplinæ amore, & cultu omni auertant. Odium doctrinæ discentium animis instillat, fastidium præsentis sortis excitat, contemtum Præceptorum ingerit & auget, varios decipiendi modos monstrat, ad maledicendum Deo, Præceptoribus, parentibus inflammat, ad conspirationes & molitiones illicitas incitat, ad fugiendum vias pollicetur, ad potandum occasiones

præbet, & denique iurgia, rixas, pugnas, clamores, & alia innumerabilia mala suscitat. Quocirca, si in vlla parte, certè in hac opus est vigilijs, cura & diligentia Præceptoris, vt his tam nefarijs conatibus occurratur. Cumque humana industria par tanto hosti esse non posit, diuinum implorare oportet auxilium, & rogare filium Dei, vt ipse reprimat furorem Diaboli, & disciplinæ suæ custos esse velit.

DE SEXTO DISCIPLINÆ impedimento, deflexa mundi ætate.

Habuerunt quidem omnia tempora sua quædam incommoda, nec vlla ætas querelis caruit: sed haud scio, an grauiora impedimenta disciplinæ vnquam obiecta sint, quàm hac vltima, delira & squalida mundi senecta. Vt enim robur animorum & corporum insigniter diminutum est: ita cultus disciplinæ omnis maiorem in modum languefactus est. Nec mirum, si cum ruente natura, animi quoq; humani vis labatur atque debilitetur. Etenim scimus, Solem ipsum delabentē ad terras sese demittere, & ad finem suum properare: & Pla-

Planetarum vltimos nunc humores & mores hominum temperare, Venerem & Lunam, quæ animi neruos incidunt, & libidinem cupiditatesq́; effrenes mirabiliter inducunt. Neq; ignotus est postremus Diaboli in hoc seculo furor, conantis bona omnia euertere, & contemtum disciplinæ, securitatemq́; capitalē in animis puerorum confirmare. Hæc quoq; labes est seculi, & inclinantis mundi vicium, cum quo pugnare omni contentione Præceptorem oportet. Experimur enim hoc tēpore non modò insignem ardorem cupiditatis atq; libidinis in animis puerorum, sed incredibilem etiam ad intemperantiam & luxum procliuitatem. Ex quo profectò coniectura capi facilè potest, fore, vt in libidinem & luxum propediem totus mundus diffluat atque dissoluatur. Huic nocentissimo malo occurrat quicunq; potest, detq́; operam pro se quisq; Præceptorum, vt abstrahat ab hoc delirantis seculi vicio quotquot potest, occasiones intercipiat, & aditus omnes intercludat, coërceatq́ue adeò pueros ipsos, vt metu pœnæ id tandem prætermittere cogantur, quod vel vitium seculi suadet, vel quod vitare virtutis amore pueri non volunt.

Tot tamq; valida disciplinæ impedimenta in scholis inferuntur, à natura, educatione domestica, exemplis, mundo, Satana, & ipso ætatis mundi elanguescentis, & ad finem ruentis vicio: quæ Præceptoris pij animum mirè percellunt, & eò interdum adigunt, vt vehementer de successu dubitet, & penè desperet. Firmo igitur solatio opus est, quod vel inprimis ex eorum exemplis sumi debet, qui in eadem olim militia versati, eandem fortunam experti sunt.

SECVNDA PARS DE *exemplis disciplinæ maiorum.*

MAgna vis est exemplorum, in vtramque partem, vt vel in rebus asperis animum afflictum consolentur, vel exultantem comprimant, & ab improbitate arceant. Memini quandam matronam nobilem dicere de primis nostris parentibus: Miserrimi fuerunt Adamus & Eua, vel hoc nomine, quòd exemplum ante se nullum habuerunt, in quod intueri potuissent, & casum horrendum filij sui Abelis solari. Iccirco vtiliter docet Basilius, piorum virorum vitas tanquam commu-

nes imagines diuinæ Reipub. ad imitationem bonorum operum propositas esse: vt quicquid occurrerit, inde, tanquam ex communi officina, conueniens suæ infirmitati medicamentum quisq; depromat. Atque haud scio, an solatium valentius reperiri possit, quàm sentire, se neq; primum esse, neque solum, neq; postremum etiam fore, cui aduersa tot in vita sua accidant; sed eadem etiam, vel grauiora iam olim accidisse maioribus, & sine dubitatione euentura esse posteris. Nihil enim noui sub Sole, secundum Sapientis dictum: sed eadem in mundo semper agitur fabula, mutatis tantùm personis. Nimis molles sumus, blandientes nobis ipsis; & talia nos ferre opinamur, qualia ante nos tulerit, aut hodie ferat nemo. Ac procliue quidem est, eam opinionem animo suo inserere, vt suum malum omnium ducat esse maximum. Quod enim quis non sentit, quomodo id magnum aut graue esse arbitrabitur? Relinquitur ergo opinione nostra, nullius hominis conditionem duriorem esse aut fuisse, quàm illa ipsa est, quam nos sustinemus. Verùm is error opinionis inde nascitur, quòd aliorum sortem lippientibus oculis, & ociosis animis

intuemur, nostram verò ipsi sentimus atque perferimus difficiliùs. Quod si æquo iudicio rem perpendere voluerimus, reperiemus sanè, nihil nobis accidere posse tam aduersum, tamque luctuosum vlla in re, quod non eodem modo maioribus nostris euenerit. Eorum igitur exempla disciplinæ puerilis antè oculos nobis proponamus, vt moderatiùs ferre nostram sortem in hac scholastica militia discamus. Indignum esse censet Cicero homine sapiente, præcipuam sibi fortunam postulare communemque recusare. Quod igitur nobis contingit, idem contigisse patribus & maioribus existimemus: nihilq; differre nostram ab illorum conditione, nisi quòd nos nostra mala sentimus, aliorum verò tantùm auditione aut lectione percipimus. De quo scitum est illud Thucydideum: τὰ οἰκεῖα μᾶλλον πιέζει, τῶν δὲ ἀλλοτρίων οὐ μέλει: domestica siue propria mala magis premunt, alia verò curæ non sunt. Prodest itaque, piorum, qui antè nos fuerunt, exempla in hoc genere euoluere, & euoluta intus contemplari, perinde ac si eos ipsos coram loquentes nobiscum, & suam nobis fortunam exponentes audiamus:

vnde ſane fiet, vt ad eos nos penitus aggregemus, & ſuccum inde ſalutarem trahamus.

EXEMPLVM ADAMI ET EVÆ.

Duos filiolos educabat primus ille pater atque Præceptor, Cainum & Abelem, & vtrumq; ſumma cura atq; induſtria ad cultum pietatis atque virtutis inſtruebat. Concionabatur domi quotidiè de horribili ira Dei aduerſus peccatum, & recens exemplum triſtiſsimæ eiectionis ex paradiſo propter inobedientiam, ſedulò inculcabat. Tum in quantam miſeriam ex florentiſsimo ac beatiſsimo ſtatu innocentiæ deiectus eſſet, commemorabat, crebris gemitibus atq; ſuſpirijs: Non ſatis, inquiens, dici poteſt, filioli, quàm intolerabilis ſit ira Dei aduerſus contumaces. Me intuemini, & matrem veſtram. Heu, quàm præſtantibus corporibus fuimus, quanta lux diuinę ſapientiæ mentes noſtras compleuerat, quàm dulcis erat nobis cõuictus cum Deo patre. Omnia tunc ridebant, & erat formoſiſsimus orbis. Nec quicquam nos latebat, quin primo ſtatim intuitu omnẽ eius naturã atque efficatitatem perſpiceremus.

Subdita

Subdita nobis erant omnia. At nunc, quàm squalida & luctuosa facta sunt cuncta? Imago Dei, quæ relucebat in nobis, amissa est: corpus sordet: Sol, Luna, stellæq; omnes deformiores sunt factæ: terra maledicta sterilescit, & conflictus nobis ingens cum Satana, hoste nostro perpetuo, relictus est. Quocunque aspicitis, signa reatus tristissima reperitis. Hoc igitur exẽplo nostro commonefacti, pueri, pietatem colite, & Deo nobisq; parentibus obedite, contumaciam deponite, & vos regi flectiq; nostris monitis sinite. Deinde foràs etiam in campum eos deduxit, stellas, arbores, plantas, radices, gemmas, & alia terra nascentia monstrauit: alicubi sub arbore sedens, cœli motum conuersionemq; admirabilem exposuit, ac in tabula depictam oculis subiecit, vt, secundum Platonem, oculi ad agnitionem Dei opificis duces imperitioribus essent: Videte, inquiẽs, filioli, hæc sunt opera DEI nostri opificis quæ nobis contemplanda post lapsum nostrum reliquit, vt notæ sint & præcones magnificentiæ ipsius. In primis verò Gratiam DEI, nobis promissam in filio, commendatam vobis habete, hanc amplectimini, in hac omnis spes & salus est sita.

Con-

Contrà verò, qui hanc negligit aut aspernatur, ille Satanæ est mancipium, & æternæ Dei iræ reus. Timete igitur Deum, ô filij: credite nobis parentibus vestris, qui vtrumq; sumus experti, & iram Dei, & gratiam. Cauete, ne in manus Dei irati incidatis. O quàm intolerabilis res est ira Dei, quàm durum onus est peccatum. Fugite igitur toto pectore omnem impietatem, & sequimini meum ductum atque consilium: audite verbum Dei orate & amate castigationem paternam. Eiusmodi vocibus quotidie personabant aures Abelis & Caini, nec cessabat vnquam paterna castigatio. Et quidem multum profi-cere talem educationem ad virtutem facilè crederes, nisi res & euentus aliter doceret. Quid enim accidit? Abelus in eiusmodi educatus disciplina, probus euasit & simplex, obtemperauit parentibus, operam dedit ijs studijs, ad quæ ducebatur. Contrà Cainus factus est subdolus, audax, vanus castigationem odit, religionem derisit. En hic est disciplinæ bonæ effectus dispar, & multum dissimilis Instant boni parentes, vrgent, & parte nulla officio suo desunt, quo coërcere improbam petulantiam Caini possint: sed quò instant acrius,

eò minùs proficiunt. Admonuit absque dubio ipse etiam Abelus sæpenumero distortum fratrem, vt desisteret à malitia, nec parentes tantoperè perturbaret: interdum quoq; indicauit parentibus fratris scelera maledictaq;. Et accersitus Cainus obiurgatus est, & castigatus à parentibus. Sed quomodo tulit castigationem præfractus filius? Oblocutus est, responsauit, proditorem mendacemque vocans fratrem, vt qui falsa crimina detulisset: & vel palàm minatus est illi verbera mortemùe, vel vultu & gestibus satis declarauit, se disciplinæ & castigationis hostem esse iuratũ & implacabilem. Cuius nostrûm sensus aut cogitatio comprehendere, aut assequi magnitudinem mœroris parentum istorum satis potest? Experti sunt quotidiè, augeri malitiam pueri, nihilq; proficere minas, nihil verbera, nedũ admonitiones. Quoties in eas angustias redacti sunt, vt vel palàm præ dolore exclamauerint, vel tacitè secum vota fecerint talia, qualia multis bonis parentibus degeneres exprimunt filij? Quantò satius esset, nullos planè liberos habere, quàm tantam quotidiè ob oculos videre contumaciam? O virus Satanæ, ô vulnus naturæ nostræ horrendum. Quid
misera

misera mater? quoties reflexa est mens eius ad eam cogitationem & spem, quam de Caino conceperat, cum gaudio velut exultans diceret? Nacta sum virum Domini. Certè vir est, qui nos in luctum & mœrorem tantum conijcit, à quo tam tristia mala nobis & fratri alteri impendent. Quæ hic vota, qui gemitus intercesserunt? Et tamen non penitus prætermittenda castigatio fuit, nec abijcienda omnis disciplinę cura. Restiterunt igitur miseri parentes succrescenti improbitati pueri, quantum potuerunt: & cum blandè quandoq; locutus est, spem emendationis conceperũt. Ideoque precari pro eò non destiterunt, & ad sacrificia sua illum ipsum quoq; adduxerunt, exemploq; fratris hortati sunt, vt & ipse preces, animo ad pietatis cultum composito, recitaret, & munus Deo offerret. Aspice, inquit mater, Abelem: pius est, beneque moratus: scit preces Deo adhibere, & acceptus est illi. Tu similiter disce precari, & æquè eris Deo gratus, atque frater. Has voces vel risit in animo suo Cainus, vel palàm odium suum in fratrem ostendit: donec tandem insidiosè illum in agrũ eductum occidit, cumulatè animi sui effrenem libidinem explens. Hic exitus fuit disci-

disciplinæ parentum piorum & sedulorum, tragicus planè & luctuosus: in quem intuentes cohorrescamus animis, cogitantes naturæ prauitatem, & corroboratam auctamque quotidiano vsu, assuefactione & incitatione Satanæ malitiam, in tam accurata disciplina primorum parentum. Et simul tamen nos eodem exemplo consolemur in nostra disciplina, domestica & scholastica, quoties successum eius multipliciter impediri videmus: adeò quidem, vt opprimamur interdum, & vix dolori resistamus. Fit enim sæpe, vt in eas angustias redigamur, vt quasi resilientes omittere omnem conatum in animum inducamus. Tot enim, tamque valida nobis obijcit Satanas impedimenta, vt expedire nos nullo modo posse videamur, quocunque tandem nos vertimus. Sed commonefacti hoc illustri primorum nostrorum parentum exemplo, meminerimus sanctissimis multò atrociora euenisse. Quota enim pars miseriæ Adami & Euæ est calamitas illa, quam nostrûm aliquis experitur? Quod si sanctus ita exercere placuit Deo, vt luctari cum Satana fortiter discerent: quid mirum, si nos quoque in parte aliqua dimicare cum Diabolo, & vim eius-

eius, alioqui incredibilem, experiri Deus velit? Non meliores certè sumus patribus nostris, quamuis molliores & imbecilliores. Quid ergo est, quòd meliorem fortunam nobis optemus, aut communem recusemus?

EXEMPLVM NOAMI.

TRes erant filij Noamo, Sem, Ham, & Iaphet, qui ingenijs conflictati improbissimis, in mundo peruersissimo, sæpe eius illecebris capti, facilè à pietatis curriculo deflexissent, nisi patris concionibus, & minis assiduis retracti fuissent. Quod enim difficilius est, quàm cum immundis versari, nec tamen ab ijsdem cõtaminari? Erat mundus totus inquinatus & coopertus sceleribus. Ab hoc igitur abstrahere filios, operosum fuit vehementer. Vt enim fluminis incitatum cohibere cursum, difficilimum est: ita graue fuit Noamo, feruidos furiososq; seculi sui mores sustinere, ac ab ijs arcere liberos suos ne & ipsi sequerentur, quò cæca fert libido, & ducit impetus. Hîc profectò opus fuit admonitionibus & castigationibus crebris, tum domestica etiam vigilia atque

custodia, vt domi tanquam in carcere, filij continerentur, ne vicijs hominum, tanquam contagio, inficerentur.

In ipsa verò arca quid factum putemus aliud nisi quod fieri solet in pœnis, vt Diaboli technas & sarcasmos nusquam ferè magis sentiamus, quàm cùm inclinata ad præcipitem ruinam omnia esse cernit. Hîc igitur rixas contentionesque inter fratres concitare nõ destitit, quo afflicto patri afflictionem adderet, & mœstitiam eius duplicaret. Nec mirum hoc vlli debet videri. An non nobis quoq; euenit, vt, cum pij maximè esse, & concordes propter periculorum magnitudinem, & calamitatũ concursum debemus, securis animis frena cupiditatibus laxemus? Petulans inprimis fuit absq; dubio Ham: id quod postea re & facto satis comprobauit, cum patrem ebrium, in somno denudatum derisit. Non enim tum primùm cœpit improbus esse, quantumuis tragico Diluuij exemplo cõterritus: sed iam ante quoq; animum improbũ declarauit pluribus exemplis, quæ tamen pater verbis & verberibus haud dubiè castigauit. At hoc postremum delictũ maledictionis pœna vindicauit. Nec sic tamen repressa fuit eius libido: sed patri

propter

propter hanc pœnam ſuccenſuit & moleſtus fuit: fratres verò, propter benedictionis prærogatiuam, odio proſecutus eſt. En ſic actum eſt cum ſanctiſsimo patre Noamo, quem filius impius ita perturbauit, vt tandem maledicere illi coactus ſit pater. Quod quidem quàm graue ſit pio patri, & luctuoſum, ipſa philoſtorgia, ſingulorum parentum pectoribus innata, docebit.

Exemplvm Isaaci.

Filij Iſaaci fuerunt Eſau & Iacob, diſpares ingenijs, ſtudijs & moribus. Iacob enim domi educabatur, & ad pietatis cultum inſtituebatur, parentibus obtemperabat, & ad nutum voluntatemq́; matris ſe totum conuertebat: iccirco charus matri inprimis fuit. Eſauus verò campo delactatus, venationi operam dabat: diligebatur tamen à patre, cùm propter venationis peritiam, tum vel inprimis propter ius primogenituræ, & additam promiſsionem de benedictione. Etſi autem Iacobus modeſtior fuit: tamen cum frater eius Eſauus tumidus eſſet, & altos ſpiritus gereret. perpetuæ extiterunt inter eos æmulationes atque

concertationes: dum Iacobus in matris; Eſauus verò in patris amplexibus hæreret: & Eſauus quidem, vt qui in belluas Imperium ſe hahere crederet, Iacobum, matris filium, tanquam mollem, delicatum, ſimplicem & probum præ ſe contemneret. Quoties igitur in tanta diuerſitate ingeniorum & ſtudiorum querelæ ad miſeros parentes ſunt delatæ? quoties vis & iniuria Eſaui ab imbecilliori Iacobo propulſanda fuit? quoties fremitum præpotentis Eſaui compeſcere oportuit? Senſit iam tum inflatus ille Centaurus, Iacobum ſibi prælatum iri: ideoque maleuolentia & liuore eum proſecutus eſt acerrimo. Vtque vanus erat, & minus curabat diuinæ benedictionis donum: ita leuiſsimo precio ius primo geituræ fratri Iacobo vendidit. Cuius facti cum poſtea eum pœnituiſſet, odio capitali à fratre diſsidere cœpit, mortem illi minitans. Tum, vt parentibus mœrorem & luctum crearet, vxorem de filiabus Chanaan duxit. Vnde in tantam acerbitatem luctus incidit Rebecca, vt ſuæ vitæ ipſam tæderet. Ita diſtortus filius vitam, per ſe breuem & acerbam, ipſa morte acerbiorem reddidit matri, propter contumaciam. Fit exul Iacobus, metu ſæuitiæ fratris,

fratris, deserit patrem & matrem in senectute graui. Ex quo quanta mœsticia oborta sit, sensus ipse paternus edocet. Filios habebant duos, quibus benedictionis promißio nitebatur, alter sæuit, & nihil nisi minas aduersus alterum spirat: alter verò fugere conspectum parentum cogitur, & degere in exilio. Ita gaudium ipsorum omne in luctum est conuersum, & spes ampla in desperationem meram mutata est. Metuerunt enim parricidium, quam primùm in Iacobum Esauus crudelis incideret. Sic ferocia Esaui excruciabantur domi: foris verò vitæ & incolumitati Iacobi timebant. Sed bene se res habet: tandem æquanimitate Iacobi, sic dirigente DEO gressus hominis, placatur Esauus, & amplißimam nanciscitur familiam Iacobus. Ad eundem modum adhuc piorum parentum & Præceptorum mœrorem luctumque Deus tandem conuertit in gaudium, vel certè sic temperat & moderatur, vt cognita Dei præsentia & ope, in eius bonitate acquiescamus.

EXMPLVM IACOBI.

PRodeat tandem exercitatißimus pater atque Præceptor Iacobus, & suam in

educatione liberorum sortem atq; successum exponat. Liberos is educauit complures, quos omnes quidem ad pietatis virtutisq; amorem & cultum exercuit: sed quot impedimenta, quantasq; difficultates expertus sit, age ex illo ipso audiamus. Sic enim alloquitur & consolatur omnes parentes & Præceptores, suos illis casus & fortunam ob oculos proponens: Ego multorum liberorum pater functus sum officio patris atque Præceptoris, ea sedulitate, quæ homini possibilis est. Hortatus sum eos à teneris vnguiculis ad cultum Dei, & vitæ morumque integritatem: assuefeci ad precum recitationem, & laborem assiduitatem. Docere omnia, quæ nosse ingenuos vtile est, conatus sum: Sed bone Deus, quãtas miserias in hoc ipso institutionis curriculo vidi, quamq; graues mihi aduersitates obiectæ sunt? Domus disidijs, rixis, criminationibusque, & odijs mutuis plena fuit. Alius alium æmulatus est, & tantùm nõ opprimere studuit. Alius obtemperauit iussis meis, alijs refragatus est. Inprimis verò graue mihi fuit reprimere atq; coërcere ardorem atq; impetum eorum ad fastum moresque & vestitũ gentium imitandum. Placuit enim illius nouitas in vestitu, arri-

ſit conuictus atq; conuerſatio. Soline nos ſumus, multoties dixerunt, quos ſingulari ſanctimonia viuere oporteat? quantò præſtabilius eſt, communi vſitatoq; more vicinorum noſtrorũ vti, quàm ita vitam ſolitariam agere, & cum nemine conſuetudinem aut familiaritatem iungere? Atq; hæ quotidianæ fuerunt & domeſticæ querelę. Foris verò quid in ſe non admiſerunt? Contineri ſe vnica mea filia domi nõ paſſa fuit diutius: ſed egreſſa, vt virgines regionis, in qua hoſpites eramus, ſpectaret, ad ſtuprum rapta eſt ab adoleſcente regio. Quod facinus quantum luctũ ſqualorem-que mihi conciliarit, non facilè dixerim. Vulnus certè ſunt mihi, pariter & Eccleſiæ toti grauiſsimum. Nec dum dolor iſte, vix conſolabilis, repreſſus erat, cum nouus mihi mœror infertur à filijs meis, Simeone & Leui: qui per dolum aggreſsi Sichemitas, ſtragen horrendam ediderunt, & vindictam inordinatam exercuerũt. Fuit mihi profectò illa dies tam luctuoſa & funeſta, vt actum eſſe de familia mea tota putarem. Nec certè diſcedere, ex eo loco incolumis potuiſſem, niſi pauor diuinitus vicinis gentibus incuſſus fuiſſet, ne familiam meam perſequi auderent.

In tanto calamitatum concursu, cùm vix diuina consolatione paululũ essem recreatus: Ecce noua procella irruebat, cum filius meus Ruben cum nouerca sua incestam cõsuetudinem haberet. O quantus hîc dolor animo meo obortus fuit? quamq; tetra labes Ecclesiæ aspersa est? Pios certè præ cæteris & bene moratos nos habere liberos decebat: at hi ipsi, proh dolor, superant omnium gentium scelera atque turpitudines. Ipsa morte acerbius mihi fuit, audire crebra illa conuicia: En hic est populus ille sanctus: En ista est Ecclesia vera, à cuius flagitijs & scandalis abhorrere scilicet omnes mortales conuenit. Intercesserunt quidem alia mala non exigua, obitus carissimæ coniugis, amissio patris Isaaci: sed vix quicquam tam me perturbare potuit, quàm liberorum crebræ contentiones, odia mutua, & offensiones: quibus ego mederi quidem studui verbis, minis & castigationibus: verùm quid profecerim, euẽtus, proh dolor. satis indicat. Solebat ad me deferre Iosephus scelera fratrum, quibus se polluebant. Ob hanc igitur causam odio plus quàm Vatiniano persequebantur illum & tanquam proditorem extinctum cupiebant: Et tamen hoc ipsum peccatum

catum suum mendacio excusare conabantur, à bestijs illum esse laceratum fingentes. Hoc facinus exanimauit me: & haud dubiè dolori succubuissem, nisi diuina meam infirmitatem sustentasset potentia. Quid commemorem consuetudinem incestam Iudæ cum nuru Thamar, quam ipsæ etiam gentes reformidant? Habeo plura multò, quæ dicam, sed hæc exposuisse de disciplina liberorum meorum satis sit, ad commonefaciendos & consolandos parentes atq; Præceptores, ne difficultate disciplinæ & educationis frangantur: sed exemplo meo in iusto etiam dolore, & desperatione successus animũ inuictum reretineant: donec tandem, perruptis omnibus repagulis, & superatis asperitatibus, in locum quietis penetrent, & mecũ æternæ gloriæ decus, ab eo qui potenter me in ærumnis exercuit, & sustentauit, partum accipiant.

EXEMPLVM IPSIVS DEI.

SOlatium est magnum in malis, intueri homines, & quidem sanctos, nostræ cõditionis & sortis socios, ac penè pares: sed maius multò est, socium laborum ac querelarum ipsum habere Deum. Hunc igitur

audiamus, & ab eo difficultates nostræ disciplinæ ferre animo æquiore discamus. Sic autem queritur conditor cœli & terræ: Filios educaui & exaltaui: ipsi autem iniquè egerunt contra me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe dominorum suorum: Israël autem non cognouit, & populus meus non intellexit. Audis, Deum educasse liberos. Quos? Iudæos, atque Christianos omnes. Hos enim, vt pater benignus, & Præceptor bonus, alit, instituit, docet, castigat, tuetur, & bonis omnibus, aq corporis animæque vsum atq; cultum necessarijs, cumulat. At hi quomodo se aduersus talem patrem atque Præceptorem gerunt? In medio sunt Iudæorum mores præfacti & indomiti: neq; manifestis beneficijs ad obedientiam inuitantur, neque atrocibus pœnis à pertinacia deterrentur. Hinc tot tamque graues querelas habet Deus apud Mosen & Prophetas, vt dicat: Pœnitet me fecisse homines. Quandoq; sic exarsit ira eius, vt delere suum populum voluerit, nisi Moses intercessisset. Quoties repetit has increpationes & minas suas: Vos estis populus duræ ceruicis, faciam aliquando in te subitam impressionem, & deuorabo te. Et tamen curá

educa-

educationis nunquam penitus abijcit Deus: perinde vt pater humanus, aut Præceptor fatigatus magnitudine laboris, cū nihil profici posse monendo, vrgendo, castigandoq; intelligit, consilium quidē interdum de deserendo officij munere capit, gemit & angitur: sed mox tamen sensu diuinæ consolationis sese colligens, ad operas mandatas redit, & sibi laborem commissum, Deo euentum committendum esse recordatur.

Graue profectò est, à brutis vinci homines: & tamen queritur Deus, bouem & asinū magis obtemperare voci domini sui, quàm homines voci conditoris Dei. O clementiam Dei ingentem, & misericordiā admirabilem. Quis nostrûm tam patiens esse potest, vt est is ipse, qui apud Prophetam ait: Gestaui & portaui vos: ipsi autem rebelles fuistis, & contristauistis Spiritum sanctum meum. Quis nostrûm non defatigatur benefaciendo, vbi nihil benefactis proficitur? & tamen Deus tam benignus est, vt Solem suum omnibus ingratis & rebellibus illucescere sinat.

Veruntamē, quò admirabilior est diuinæ clementiæ vbertas, eò horribilior est pœnæ eiusdem atrocitas. Eodem igitur modo

pater,

pater aut Præceptor, vbi monitis salutaribus nihil relictum loci esse videt, benignitatem tandem in iram & sæuitiam conuertit, vt in quem illuserint contumaces liberi, aliquando magno suo malo cognoscant.

Hoc exemplum Dei quò maius est, eò efficacius ad consolandum ærumnosos parentes atq; Præceptores esse potest. Quoties itaq; liberorum educationem minùs ex sententia succedere, nec laboris magnitudini euentum respondere videmus: toties patris nostri cœlestis recordemur, qui & ipse liberos educat benignè ac liberaliter, sed rebelles & ingratos.

Quare, vt Prophetam iubet Deus clamare & instare, nec quicquam de sui muneris debita cura atq; diligentia remittere, siue obediant homines, siue non obediant; sic parentes quoq; atq; Præceptores existiment, exequendum sibi esse à Deo mandatum, officium erudiendi, monendi, obiurgandi castigandiq;, sine tædio & fatigatione, siue obsequantur liberi, siue non obsequantur. Si enim non omnes, aliqui saltem corrigentur: nec committet Deus, vt labor noster in Domino prorsus inanis esse videatur.

EPI-

EPILOGVS EXEMPLORVM.

EXtant etiam in historijs profanis exempla memorabilia educationis liberorum, quæ & ipsa ostendunt, quantum sit onus, quamq; arduum munus, instituere liberos: nec vsquam ferè minùs respondere euentum nostris cœptis, quàm in puerili educatione. In medio enim sunt exempla tragica: cuiusmodi est Lini, qui ab Hercule discipulo suo occisus est, cũ enim obiurgasset eum Linus, ira incitatus Hercules tabulam, in qua literas pingebat, arripuit, & capiti Præceptoris illi sit ex quo mortuus est Linus. Damascenus quoq; à proprio discipulo interemtus esse scribitur. Casianus à suis discipulis confossus est. Seneca à Nerone trucidatus.

Arcadius Theodosij Imperatoris filius ob delictũ ab Arsenio Præceptore castigatus, mortem ei molitus est. Quod cum resciuisset Arsenius, aufugit cœlesti quadã voce admonitus. Sed posteaquã ad Imperium euectus fuit Arcadius ad Arsenium scripsit, & precationem benedictionem que eius tum peccati gratiam ab eo petiuit. Nicephorus lib. 12. cap 23.

Sed ea prudens omitto: Nulla enim est

ætas

ætas, quæ non Herculi ſimiles producat alumnos, obiurgationes Præceptorum immanitate horribili à ſe repellentes, & quamuis plagam accipere potius cupientes, quàm parentis aut Præceptoris reprehenſionem.

Quoties audire aut reſciſcere oportet bonum atq; fidelem Præceptorē minas diſcipulorū non minores, vel etiam acerbiores Herculis impij immanitate, quam aduerſus præceptorem ſuum exercuit? Quoties mortem minitatur improbus diſcipulus Præceptori, à quo & officij diligentiam à turpi ocio, libidine, cupiditate, luxu, aut flagitijs cæteris reuocatur.

Sed inania terriculamenta plerunque ſunt eiuſmodi voces, nec nocere bono parenti aut Præceptori poſſunt, qui Dei magni, atq; potentum eius, Angelorū præſidio ſatis tutus eſt. Quid enim? Deùmne putabimus munus regendi caſtigandíque parentibus aut præceptoribus commendare nec defendere officium facientes poſſe aut velle? Imò videas, mirabibiter ſæpe tegi Præceptores, & diuinitùs propulſari ab illis omnem vim hoſtilem atque impreſsionem, cogitatam aut ſuſceptam ab improbis diſcipulis. Contrà verò, diuina vltione

vltione plecti impios discipulos, liquidò experientia monstrat: vt vel manum amittat, amputatam ab improbitate, is qui manum inferre Præceptori voluit: vel alioqui miserè pereat, qui Præceptori aut parenti maledixit, oblocutus est aut minitatus. Ad summam, ne agam de singulis, καθολικὸν θεώρημα est: Nemo impunè parenti aut Præceptori resistit.

TERTIA PARS DE seueritate & laxitate disciplinæ.

POstquam disciplinæ difficultatem exposuimus, & exempla, quibus solari molestias eius possimus, supposuimus, noua nunc quæstio, de modo pueros regendi, incipit. Cùm enim duæ sint viæ educationis, vna mollior, altera asperior: rectè quæritur, vtra disciplina sit præferenda, seuerior ne illa, & rigidior, an verò laxior ac lenior?

Fatendum est autem, medium, vt in alijs, sic in disciplina quoque, cum extremum vtrumque sit in vicio, esse optimum. Sed cùm tenere medium sit difficile, statim quæ-

quæret aliquis, vtrum ſeueritas lenitati, an verò lenitas ſeueritati in diſciplina ſit anteponenda. Etſi autem in medio eſt Iſocratis planè philoſophicum conſilium, qui cenſet, ſatius eſſe, cùm à medio diſcedere res cogit, in defectum peccare, quàm in exceſſum: tamen aliqui fortaſſe hoc cōſilio non contenti, ſeueritate liberos coërcere melius eſſe clamitabunt, quàm lenitate & indugentia corrumpere. Eſt enim notus, & omnium approbatione dignus verſiculus: Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos.

Sed expedita eſt reſponſio: Cum minus facere, quàm plus, ſatius eſſe dicimus, non vicium probamus, ſed tanquam in delectu, minus malum maiori anteferimus. Sic itaq; tandem concludendum eſt: Omni cura & contentione in id eſſe incumbendum, vt modus in educatione legitimus ſeruetur, ita vt neq; nimis dura, neque laxa nimis diſciplina pueros regamus. Sed quoties extra hunc modum prodire neceſſe eſt, nunc relaxare, nunc exaſperare diſciplinā oportet. Vt enim ingenia diſsimilia ſunt, aliud durius & ferocius, aliud verò mollius atq; flexibilius, ita accommodare ad hanc naturæ varietatē opor-

oportebit etiam disciplinā, vt alius verbis, alius verberibus & frenis coërceatur. Hoc discrimen qui non accuratè in liberorū educatione obseruat, is fateatur, se à boni parentis aut præceptoris officio longè abesse. Notum est Senecæ dictum: Rectiùs, inquit, ducitur generosus animus quàm trahitur. Atque id quidem non tam de disciplina, quàm de institutione, siue doctrina ipsa intelligi debet. Nam in docendo alius alio plus minusuè vrgēdus est. Quemadmodum de suis discipulis, Ephoro & Theopompo, fecisse Isocratem accepimus. Ephorum enim simplicem & segnem calcaribus Theopompum verò acerbo ingenio, copiosum & vehementem, frenis regendum esse dixit.

Deinde & hoc adiungendum est, quod monet Plutarchus: Quemadmodum medicus, dum amara medicamenta dulcibus succis temperat, delectionem, ceu transitum quendam, ad vtilitatem inuenit: sic & pater atque præceptor debet castigationum acerbitatem mansuetudine temperare. Vt igitur non perpetua seueritas, ita nec perpetua vsurpanda est in educatione lenitas. Sed vbi seuera obiurgatione & animaduersione tantum profecit præceptor,

vt emendari puer nõnihil cœperit, aliquid remittendum esse de asperitate sciat, & pro verberibus verba vsurpet, hoc est, benignè inuitet eum, vt in incepto discendi & obediẽdi cursu alacri animo pergat, nihil mali à præceptore sibi metuens. Nõ enim quicquam fieri debet à præceptore ad nocendum discipulo, sed potius ad commodum illius omnia dirigi. Ita cognoscet puer, verum esse illud Poëtæ:

Sit licet in natos facies austera parentum,
Aequa tamen semper mens est, & amica voluntas.

Et alius quidam rectè dixit:

Fer patris imperium, quamuis videatur iniquum.
Est pater, & natum non cupit esse malum.

Cùm etiam nulla capitalior pestis sit educationis liberorum, quàm ira: etiam in hac parte excessum omnem sibi vitandum esse præceptor meminerit. Nihil enim, quod per iram fit, moderatè fieri potest. Et tamen non omni prorsus ira vacare debet castigatio: sed ea quasi quodam aculeo incendenda interdum est animaduersio, vt sentiat puer vim & autoritatem officij parentis, intelligatque se, si spontè facere officicium nolit, metu iræ, & acerbitatis pœnæ ad id faciendum impelli. Vt enim equus sessorem leuem negligit, vel etiam excutit:

tit: ita puer imperium parentis ac præceptoris floccipendit, nisi illorum autoritas satis ponderis apud eum habeat. Ex quo bene Clemens Alexandrinus dixit οὓς οὐχ αἱρεῖ λόγος τιθασσεύειν φόβος.

Sed interim cauendum, ne sic ira exardescat, vt supprimatur ratio & temere aliquid fiat, cuius ratio reddi honesta non possit. Oportet enim in ipsa quoque ira moderationem elucere. Nec diu irasci conuenit, sed tempore iusto ad plababilitatem redire.

Ex his satis cognoscitur cùm moderationem vbiq; adhibendam esse censemus, vitium siue excessum nullum à nobis probari. Quod cùm demonstratum satis esse videatur, ponam nunc tantum in medio pauculas autorum sententias, & adiungam exemplo, quæ iustam disciplinæ seueritatem nobis comendabunt.

Sic autē optimus ætatis puerilis formator, morūq; magister Siracides cap. 30. ait:

Diligens filium suum asiduus disciplinæ custos est, vt postea eodem lætetur.

Qui nimis erga filiū indulgēs est, deplorat vibices eius, ad lacrymas eius expauescit.

Filius indulgentia corruptus, fit ferox, sicut equus indomitus.

Ne blandiaris ei, ne postea sis in luctu: nec laxes frenum iuuenilibus cupiditatibus eius, & ignorantiam eius ne excuses.

Flecte collum ipsius, dum adhuc iuuenis est: tunde dorsum eius, dum adhuc pupuer est.

Ne fiat contumax & inobediens, & animo tuo dolorem afferat.

Plato quoq; in Protagora iubet pueros à teneris annis erudire atq; monere: ac si quidem obtemperent, benè esse ait: sin renitantur, tunc velut contortum obliquumq́ue lignum, minis plagisq́; dirigi oportere.

Plutarchus etiam illustribus imaginibus curui ligni & horridæ terræ docere conatur, quomodo naturā vincere oporteat disciplinæ asiduitate & constantia. Non enim remittendo, sed reflectendo ramus curuus dirigitur, ita pueri pertinacia non indulgendo, sed aduersando & coërcendo corrigitur. Sicut nec terra fit frugifera, nisi aratione tempestiua, & fossione diligenti molliatur, & zizania eradicentur.

Ad eundem modum vicia è puerili animo non nisi contentione magna, crebrisq́; exercitationibus, & tempestiuis castigationi-

talis morum gubernatio, quæ & assuefa-ctionibus euelluntur. Est enim disciplina & quotidiana exercitatione,& tempestiua castigatione perficienda. Quòd autem Plato lib.7.de Republica ait,nullam animæ violentiam disciplinam esse stabilem: id eò pertinet, vt absit à disciplina ingenuorum puerorum crudelitas, & seruilis metus, debet enim regi puer in schola filiali, non seruili metu. Quod fieri etiam tum potest, cùm iusta seueritate in petulantes animaduertitur. Inest enim in hac ipsa quoque seueritate digna patre ac præceptore beneuolentia: nec bonus pater est, qui filium à malis moribus non retrahit: nec præceptor fidelis, qui discipulum aberrantem monendo castigandoque in viam non reuocat: licet interdum in aliquibus conniueat,& errata nonulla,quasi non videat aut sciat, dissimulet. In Terentij Adelphis disputatio est Demeæ & Mitionis, satius ne sit,asperitate & metu regere liberos, an lenitate & liberalitate? Et eò tandem adducitur durus ille Demea,vt,relicta acerbitate, æquas partes Mitionis sectari velit,inquiẽs: Ego quoq; amari meà meis, & magnipendi postulo. Sed non per omnia tamen Mitionis exemplum boni

patri atq; præceptori licet imitari. Non est flagitiũ inquit, adolescentulũ scortari, neq; potare, neq; fores effringere. Scimus dandum esse aliquid adolescentiæ, vel Cicerone autore, nec nimis acerbè inquirendum est in eius mores & facta, concedimus: sed eiusmodi delicta adolescentiæ, qualia tolerauit Mitio, ferre pium parentem aut præceptorem minimè conuenit nec impunè quisquam concedet. Si enim semel frena eiusmodi enormibus cupiditatibus laxaueris, reprimere postea nõ facilè poteris. Idcirco obstare principijs melius est si possis. Sed si tale quid adolescens in se forte admiserit, non statim cura omnis & spes correctionis abijcienda est: sed coërcendus est potius verbis, minis & pœnis, vt deinceps ad peccandum tardior reddatur. Ita locum habebit suum Terentiana lenitas, ne iusta & necessaria excludatur animaduersio. Peccauit puer aut adolescens, abiungetur, moneatur & castigetur, vt delictum agnoscat, & emendationem polliceatur. Quòd si spes emendationis nulla appareat, eijciatur, tanquam inutile membrum, ne alijs exemplo suo noceat.

Exem-

Exemplum insigne de Rhacone extat, quod recitabo.

Regnante Artaxerxe, Persarum Rege fuit quidam Rhacones, septem filiorum pater, è quibus vnus, Cartones nomine, effuse audax atque petulans, multum molestiæ exhibuit patri atque fratribus suis. Eum ergo pater crebris admonitionibus & comminationibus à malitia ad probitatem traducere conatus est. Sed cùm nihil proficeret fidelis patris castigatio: En, dixit aliquando pater, quia mihi obtemperare prorsus non vis, curabo, vt ab alijs tua coërceatur improbitas. Itaque acceptum filium ad iudices ordinarios adduxit, manibus eius post tergum reuinctis: Hic, inquiens, iudices, filius meus est, sed proteruus & temerarius. Cumque ego imbecillior sim, quàm vt corrigere illum possim, à vobis peto, vt vita eum priuetis. His auditis, iudices perturbati responderunt, rem illam esse difficilem, ideoque ad Regem referri oportere. Rex igitur, causa cognita, interrogauit Rhaconem, cum perseueraret, & in sententia permaneret: Potes tu ferre, vt filius tuus,

te inspectante, occidatur? Respondit: pater Immò verò possum: Cùm enim in horto meo folia amara nascentis lactucę decerpo, non modò non læditur radix, sed crescit inde lætiùs, & succo augetur amabiliore. Quamobrem, si videro, Rex, eum qui mihi & familiæ meæ tantopere nocuit, mori, nec mihi malum ab eo amplius impendêre: animo deinceps alacriori esse potero, & vitam tranquilliorẽ cum familia mea agere. Hanc magnanimitatem atq; seueritatem laudauit Rex, & mox Rhaconem regium consilarium atque iudicem fecit, inquiens ad adstantes: Qui in causa proprij filij tam seueram potest ferre sententiam, is multò magis in aliorum hominum sceleribus vindicandis, grauis & constans iudex reperietur. Filio autem contumaci vitam quidem condonauit Rex, sed ita tamen, vt acerbiorem illi mortem minitaretur, nisi ab improbitate sua desisteret. Durus hic pater fortasse nonnullis videbitur, aut etiam crudelis, vt qui necem filij tam fidenter postularit, expectare voluerit: sed quid facias aliud, vbi coërceri improbitas alio remedio nullo potest? an non secundum Poëtam: *immedicabile vulnus.*

Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur?

Vo-

Voluiſſet vtique mœſtus ille paterhumaniùs tractare filium, ſi humanitate aliquid proficere potuiſſet. Sic nemo eſt bonorum parentum aut præceptorum, qui non malit verbis caſtigare filium aut diſcipulum, quàm verberibus. Quemadmodum Catonis præceptor, autore Plutarcho, ad verba, quàm ad verbera pronior fuit. Dent modò hanc operam pueri, vt verbis ſe regi ſinant: & non erit, quòd verba metuant.

EXEMPLVM PERſicæ diſciplinæ.

Perſæ ſcholas habuerunt iuſtitia, bono ordine, & diſciplina iuſta conſtitutas. Docuerunt igitur in illis Magiſtri, quid iuſtum, quidvè iniuſtum ſit, quid facere aut omittere oporteat. Tum ad pietatis, modeſtiæ, gratitudinis temperantiæque ſtudium atque cultum diſcipulos exercuerunt. Duces verò pueris ad has virtutes ſeſe præbuerunt ipſi Magiſtri, quippe qui præſides, cuſtodes atque executores iuſtè iniuſteque factorum vigilantiſsimi fuerunt: nec facere quicquam diſcipulos inſſerunt, quod

ipſi non primi feciſſe videri voluerunt. Addita fuerunt exercitia iudicandi de iuſtis aut iniuſtis. Alij enim pueri accuſarunt crimina: alius iudex electus, cognitis cauſis, ſententiam tulit, & controuerſiam diremit. Victus fuit tenuis, veſci enim conſueuerunt pane cum naſturtio, obſonij loco, & aquam ex flumine hauſtam biberunt: & quidem non apud parentes, ſed apud magiſtrum, vt in cibo & potu etiam exemplum haberent præceptoris, quod imitarentur. Nec abire vlli licuit, niſi venia à Rectore impetrata. In delinquentes animaduerſum eſt grauiter. Nam ipſe Cyrus narrat matri, ſe verberibus cæſum eſſe à rectore ludi, cum iudex conſtitutus iniuſtam ſententiam tuliſſet. Accuſatus enim fuit puer grandiuſculus, qui alteri minoris ſtaturæ tunicam ſuam longiorem eripuerat, pro eaque illi ſuam breuiorem reddiderat, quaſi æquum eſſet, vnumquemque pro modo corporis veſtem gerere. Huic controuerſiæ iudex datus puer Cyrus, pronunciauit, rectè factum eſſe: decere enim, vnumquemq; veſtem, ſuo corpori conuenientem geſtare. Quod quidem verum eſt de proportine ſeu æqualitate Geometrica, non de iure poſſeſ-
ſionis

ſionis ſiue proprietatis ſecundum cuiuſque facultates. Ideo vapulauit Cyrus à magiſtro.

QVARTA PARS DE *fructibus diſciplinæ.*

HActenus varia diſciplinæ impedimenta expoſui. & conſolationem in tantis difficultatibus ex viuis ſanctorum & bonorum virorum exemplis ſubieci: tum de ſeueriore pariter, & molliore diſciplina ſententiam explicui. Supereſt, vt fructus diſciplinæ perſequar.

Dignum eſt autem memoria inprimis hoc apud Ciceronem dictum: Vt ſementem feceris, ita metes. Secundum hoc igitur diſciplinam laxam perpetua incommoda, rectam verò & moderatam præmia nunquam intermoritura comitantur. Sic enim & Æſchines in Timarchum concionatur: Puer rectè educatus, virili ætate vtilis erit ciuitati: ſin autem hominis initium, malum diſciplinæ initium cœperit, mali inſtituti pueri, in viros malos euaſuri ſunt.

Exempla illuſtria extant in Platonis libro tertio de Legibus, de Cyro, Cambyſe,

Dario, Xerxe, Perſarum Regibus. Etſi autem Cyrus valde bonus dux fuit, filios tamen molliter inter fœminas educauit. Iccirco facti grandiores, aſſentatoribus patefecerunt aures, & adulari ſe turpiter ſiuerunt, donec vulneribus mutuis conciderunt. Cambyſes etiam vitioſe à puero educatus, & ſibi & regno propè exitio fuit. Xerxes verò ex molli educatione tragicum exitum ſortitus eſt.

Hiſtoria memorabilis eſt ab Euſebio deſcripta libro tertio Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, de iuuene per indulgentiam corrupto. Fuit is corpore valido vultuque elegante, & ingenio acri. Itaque à Ioanne Euangeliſta commendatus eſt cuidam Epiſcopo, in viſitatione Eccleſiæ, his verbis: Hunc tibi Epiſcope, ſummo ſtudio commendo, teſte Chriſto & Eccleſia tota. Nec ſemel id dixiſſe ſatis eſſe putans, iterum atque iterum commendauit accuratiùs. Suſceptum igitur puerum Epiſcopus educauit, quanta fide & diligentia potuit, tandemque etiam baptiſmi gratiam illi impertiuit. Poſtea verò, cum plus illi fideret Epiſcopus, & minùs obſeruaret, degenerare cœpit paulatim, ocio, luxu & ſodalitio prauo ſeductus: donec omnis pietatis at-

que

que pudoris oblitus, nullum turpitudinis aut ſceleris genus reformidauit, adeò quidem, vt quos antea ſocios ducesque maleficiorum ſecutus erat eos poſtea audacia & crudelitate omnes ſuperarit. Itaque latronum manum ipſe duxit, & vita fortunisque plurimos priuauit. Rediјt aliquando ad Epiſcopum Ioannes, & ſtatim depoſitum ſibi reddi poſtulauit. At ille obſtupuit, pecuniam à ſe repoſci exiſtimans, quam ſibi creditam eſſe non meminiſſet. Mox igitur Ioannes; Iuuenem illum, inquit, repeto, quem aliquando tibi commendaui. Perterritus hac voce Epiſcopus, illacrymatus eſt, & vix tandem reſpondit: Ille verò mortuus eſt. Quomodo, aut quo mortis genere, ait Ioannes? Deo, inquit ille, mortuus eſt: quia degenerauit penitus, & ad extremum factus dux, montem quendam occupauit, vbi latrocinium exercet. His auditis, veſtem diſcidit Apoſtolus, & cum gemitu feriens caput ſuum: Bonum te, inquit, cuſtodem fratris animæ reliqui. Sed age, paretur mihi equus cũ miniſtro qui iter monſtret, moxq; adducto equo, intineri ſe dedit, & properans accurrit ad locũ, vbi latronum cohors commorabatur. Ibi cùm incidiſſet in eos qui in inſidijs locati erant,

ni-

nihil veritus, statim exclamauit: Quia ad hoc ipsum veni, adducite mihi principem vestrum. Is verò cum venisset armatus, eminus agnouit Ioannem, & pudore prohibitus, fugere cœpit. At ille incitato cursu fugientem insecutus est, ac clamauit: Quid fugis, ô fili, patrem tuum? quid fugis inermem senem? consiste miser, noli timere, reliqua est tibi spes vitæ. Ego rationem Christo pro te reddam; quin meam ipsius animam pro tua dimittere paratus sum: consiste modò & crede mihi, quia Christus misit me. Hæc ille audiens, constitit tandem, ac vultu in terram demisso, armisque proiectis, accessit ad Ioannem cum tremore & gemitu, prostratusque ad pedes eius, magnam lacrymarum vim effudit. Solam verò dexteram occultauit, tot à se interfectorum hominum sanguine cruentam. Hanc igitur præhensam Apostolus osculatus est, & à cæde retraxit, crebras pro emendatione iuuenis preces DEO adhibens: nec prius destitit, quàm ad Ecclesiam eum reduxit, & mores eius feros mitigauit atque correxit.

Tantum mali attulit adolescenti relaxatio disciplinæ, vt breui tempore ex probo

probo factus sit sceleratissimus. Ita ergo moderari oportet disciplinæ habenas, ne ad inertiam & nequitiam aperiatur aditus. Qua quidem in re cùm metuenda sit animæ & corporis iactura, excitanda profectò est animaduersio & cura diligens, ne indulgendo causam tanti dispendij cuiquam dedisse videamur.

Pueri verò discant, hoc ipso commonefacti exemplo aut ferendam esse disciplinam, aut metuendum exitium tale, quale huic adolescenti contigisset, nisi singulari cura & industria retractus fuisset. Itaque reuerenter sese disciplinæ subijciant, à Deoque se regi petant sedulò, ne pertæsi disciplinæ, licentiam exitialem quærant. Quæ vbi semel concessa est, iterum atque iterum expetitur, donec tandem à disciplinæ amore & cultu prorsus alienatur animus. Id quod huic adolescenti contigisse, historia eius testatur.

Quin ita animum suum inducant iuniores, se mandato Dei impelli ad sustinendam disciplinam, nec sine hac cognosci aut percipi vllam doctrinam salutarem posse. Si cui verò duriora fortè illa frena videbuntur & diuturniora, is à Deo opem

opem postulet, vt perferre posit tale votum in animo & ore semper habens.

Duc me, nec sine me per me, Deus optime duci:
Me duce nam pereo, te duce fausta gero.

Item: Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu: Spiritus bonus tuus ducat me in viam rectam. Sentio me, ô Deus, tædium disciplinæ, & fastidium præsentis sortis: sed tu excute torporem, & excita in me verum amorem, & alacritatem, ad faciendum officij mei operas mandatas atque debitas. Huic voto annuet Deus, & successum in studijs optatum præbebit. Quòd si alia causa perferendæ disciplinæ non esset, certè hæc satis magna fuerit, quòd qui in iuuentute sua regi se non patitur, nunquam postea regere alios rectè posit. Nunquam enim poterit alios continere is, qui seipsum non continuit: neque castigare iuniores, qui se à superioribus castigari nō siuit. Hoc igitur cōmodum longè vberrimum ex disciplina capimus, vt cum ipsi rectè alijs obediuerimus, vicissim imperare liberis aut discipulis nostris rectè aliquando posimus.

Quin prodest etiam id imperium tolerare, quod durius & iniquius aliquando vide-

videtur. Nescis enim, an tu, cum alios aliquando gubernaturus es, rectè omnia moderaturus sis. Notum est, quid fecerit Diogenes, cùm ab Antistene arceretur à lectionibus, vel quòd non satis diligenter audiret, vel non admodum conuenienter cum doctrina viueret, certè tantum abfuit, vt sese expelli à lectionibus eius pateretur, vt quò magis arceretur, eò studiosiùs audiret. Cumque baculo etiam illi minaretur Antisthenes, ni abiret, & insuper percuteret, cedere tamen Diogenes planè noluit: sed, age, inquit, percute modò, ego caput tibi præbebo: neque fustem tam durum inueneris, quo me à tuis disputationibus abigas. His permotus Philosophus, summus illi amicus est factus. En patientiam hominis, en quoque tolerantiæ fructum copiosum. Prosunt igitur verbera præceptorum, non obsunt, nisi ijs fortè qui resiliunt, nec per patientiam expectare fructum volunt.

At quinam illi fructus sint, quæuè præmia, quæris? Permagni profectò: adeptio doctrinæ vtilis, moderatio in consilijs, dictis & factis, patientia, fauor præceptorum, commilitonum, & aliorum rectè iudicantium de virtute: denique Dei ipsius gratia,

& Angelorum bonorum approbatio, successus in studijs, & multorum malorum vitatio. Hæc bona decet profectò anteferre omnibus alijs in vita mortali commodis. Quanquam verò interdum differuntur, & improbi petulantesq; aliquandiu florent & lasciuiunt: tamen re ipsa tandem sentient modesti, nullam partem diuinarum promissionũ esse falsam. Memorabile est illud Euripidis in Ioue: εἰς τέλος οἱ μὲν ἐσθλοὶ τυγχάνουσι ἀξίων: tandem boni digna consequuntur præmia.

Contrà verò fructus contumaciæ & neglectæ disciplinæ sunt tristes & tragici. Præterquam enim, quòd nihil discunt contumaces, conscientiam etiam grauiter sauciant, offendunt præceptores, parentes & bonos omnes, immò Deum ipsum, & accersunt sibi maledictionem, multorum malorum causam. Cumque à Deo deficiunt, in Diaboli potentiam & laqueos incidunt, cuius ductu reguntur tantisper, dum in exitium præcipitantur. O quàm graue est, Dei gratia excidere, & Angelorũ custodia priuari. Caueant igitur sibi rebelles pueri, qui cũ Deum & parentes præceptoresq; audire nolint Diabolũ & alios carnifices audire tandem coguntur. Est enim Deus suæ discipli-

næ custos vigilans & perpetuus, nec relinquit impunitam obedientiæ disciplinæq; violationem. Sunt etiam in ipsam patriam & posteritatem impij, rebelles pueri. Non enim vsui esse Reipub. possunt qui non rectè institui atque erudiri in prima ætate patiuntur.

Carolus Magnus iniuria & ignominia magna se affici existimauit sese ab ijs, qui in scholis obedientes & studiosi non fuerant. Venit enim aliquando in gymnasium Parisiense, quod ipsemet fundauerat, & in quo nobiles pariter & inopes scholasticos complures educandos curabat. Hos cum explorare vellet, & experiri, quid didicissent, scripta & versus iussit eos exhibere. Tum pauperum filij talia afferebant scripta, vt satis appareret, eos operam non malam nauasse literis: diuitum verò & nobilium filij contrà sic sese gesserant, vt nulla ex parte expectationi Cæsaris satisfacerent. Quamobrem pauperes separatim ad dexteram suam asistere Cæsar iubebat sicque eos alloquebatur: Gratia, inquiens, sit vobis, filij charissimi: satisfecistis enim mandato meo, & executi estis id quod volui. Augebo vos honoribus & commodis: reditus amplissimi, & Episcopatus vestri

erunt:recipiam vos in aulam meam, vt sitis mihi à consilijs, & præcipuis muneribus fungamini. Deinde conuersus ad diuites & nobiles à sinistra, cum ira: Vos duri & peruersi, inquit, nitentes opibus, & nominis celebritate à maioribus accepta: ignominia effecistis Cæsaream Maiestatem, nec obtemperastis mãdato meo, sed despexistis me. Iuro per Deum, nisi vos emendaueritis, à me nil nisi iram & graues pœnas expectabitis. Efficiam enim, vt vestro exemplo alij à simili inertia deterreantur.

Egregia verò historia, & omnium pectoribus altè infigenda, quæ vtrumque docet, & quæ præmia obsequentes & industrios discipulos, & quæ pœnæ ignauos, atq; rebelles scholasticos comitentur. Equidem sibipsi & Reipub. toti iniuriam fieri existimauit sapientissimus Imperator ab ijs, qui ad discendum literas ordinati, tempus ocio luxuque consumpserant, & præceptoribus immorigeri fuerant.

Tum prædicatione perpetua dignum est, quòd ipsemet inspectorem studiorum puerilium sese præbuit tantus Imperator, & animaduersione iusta vsus est, in inertes & ignauos: sedulos verò & obsequen-

tes digno honore & præmijs ornauit. Quod certè incitamento magno esse debuit, nobilibus præsertim, quòd viderunt ipsum Principem non solùm doctrinam rectè intelligere, sed tanto etiam amore literas discentes & docentes prosequi.

Dignum est etiam prædicatione illustri Theodosij Imperatoris factum. Is liberos suos in disciplinam Arsenij tradidit, cuius nobilitata id temporis fuit industria. Dixit autem Imperator, ne Arsenius liberis suis vteretur vt dominis, sed vt seruis, vel potius discipulis. Cùm ergo in ludũ aliquando venisset, & discipulos cum splendore magnifico considentes, præceptorem verò inter docendum eis astantem reperisset, indignè tulit, insignibus omnibus liberos nudauit & grauiter eos obiurgauit, inquiens: si disciplinam in schola patientibus animis tuleritis, & pietatem colueritis: paratus sum vobis imperium aliquando tradere: Sin minus, satius erit priuatam vos agere vitam, quàm sine doctrina cum periculo imperare, Nicephorus lib.12.cap. 23.

Dedit Deus his etiam terris hac ætate principem, Augustum, non linguæ solùm Latinæ perstudiosum, sed omnis etiam doctrinæ & artium liberalium amantem.

Huius igitur exemplo decet nobiles pueros inflammari, vt maiori cura & animi impetu incumbant in recta studia, & artes linguasq; ament & discant vigilantiùs.

Deniq; sciant disciplinæ contemtores, se aliquando coram iudice Christo sententiam audituros tristissimam, cum sic allocuturus est eos iudex ille viuentiũ & mortuorum: Parentes vobis dedi, præceptores præfeci: horum vox & doctrina, mea ipsius vox atq; doctrina fuit. Hos igitur audire debuistis, atq; ab eorum iussis transuersum vnguem non discedere. At vos floccipendistis omnes conciones illorum, & à vobis repulistis iugum disciplinæ. Huius igitur contumaciæ vestræ nunc pœnas iustas grauesq; in omni æternitate mihi persoluetis. Probis autem scholasticis, qui disciplinam amarunt, quibusq; minima cũ improbis pueris consuetudo fuit, læti intuebuntur filium Dei, ab eoq; accipient æterna obedietiæ & studij sui præmia, cum sic eos affabitur: venite, vos dilecti mei, vos in munere vestro integrè pieq; & castè versati estis, parentibus, præceptoribus, quos præfeceram vobis meo loco, obtemperastis. Quare nunc mecum in omnem æternitatem, in hac cœlesti Academia, cum

pa-

patre meo & toto electorum cœtu lætabimini. Porro parentibus & præceptoribus, ecqua tandem præmia dabuntur? Ignauis certè & inertibus idem dicet iudex ille, quod ad episcopum dicebat Euangelista Ioannes: Redde depositum: Credidi enim tibi tot pueros, ad commune Ecclesiæ & Reipub. Christianæ salutem informandos, quos omnes & singulos mihi, Ecclesiæ meæ, & societati ciuili præstare debuisti, quo ad eius fieri potuit. Quod si horum unus uel minimus tua culpa aut negligentia corruptus est, pro eo nunc pœnas meritas debitasq; mihi persolues.

De his verò, qui piè fideliterq; suo munere in hac terra functi sunt, sententia pronunciabitur ea quæ apud Danielem extat, fulgebũt, inquit Daniel, qui doctores fuerunt, quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam multos erudiunt, fulgebunt vt stellæ in perpetua æternitate.

Ingens profectò remuneratio est, quòd non cœli huius puritas, non Solis claritas superatura sit eam lucem, qua DEVS parentes & præceptores, rectè erudientes & instituentes lieberos atq; discipulos, ornaturus est.

Talem igitur remunerationem totis animis

animis ſpectantes, officium docendi, & caſtigandi munus cum quadam alacritate exequamur, & breuia incõmoda patienter feramus, nõ odijs, non difficultatibus, non inopia, non impedimentis cæteris deterreamur. Quia dum reſpicimus, quod aiunt, verſamusque nos, immortalis vitæ gloria nos excipiet.

FINIS.

FRANCOFORTI AD Mœnum, apud Ioannem Spies.



M. D. LXXXVII.